


Digitized by Google



Digitized by Google

TEOLOGIA
DOMMATICA
163
K
4.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
K
4
NAPOLI

THEOLOGIA DOGMATICA ET MORALIS,

AD USUM SEMINARII Catalaunenſis.

TOMUS QUARTUS,

Continens Tractatus de Juſtitiâ & Jure ; & de Virtute Religionis.

Autore D. LUDOVICO HABERT, *Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore Theologo, & Socio Sorbonico.*

NOVA EDITIO

Auctior & emendatior.

PARISIIS,

Apud BARTHOLOMÆUM ALIX, viâ Jacobæâ, ad inſigne Griphi.

M. DCC. XXXVI.

Cum Approbationibus, & Privilegio Regis.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Tractatûs de Juſtitiâ & Jure.

PRIMA PARS.

De Juſtitiâ & Jure ſecundùm ſe ſpectatis.

CAP. I. DE *nomine & notione Juſtitiæ & Juris*, page 1
CAP. II. *De diviſione Juſtitiæ*, 10
CAP. III. *De peccatis juſtitiæ diſtributivæ oppoſitis*, 16
CAP. IV. *De Juris diviſione*, 32
CAP. V. *De diviſione & acquiſitione rerum*, 49
CAP. VI. *An & quomodo acquiritur dominium in homines*, 55
CAP. VII. *De acquiſitione dominii per occupationem beſtiarum*, 59
CAP. VIII. *De venis auri & argenti; de paſcuis & ſylvis*, 64
CAP. IX. *De acquiſitione dominii in bona vacantia & derelicta*, 66
CAP. X. *De acquiſitione dominii in res inventas*, 67
CAP. XI. *De acquiſitione dominii in Theſauros*, 71
CAP. XII. *De acquiſitione dominii per uſucapionem & præſcriptionem*, 74
CAP. XIII. *De ceteris dominii acquirendi modis*, 87
CAP. XIV. *De ſubjecto juſtitiæ & dominii*, 89
CAP. XV. *Utrùm ſit in Deo dominium*, 91
CAP. XVI. *Utrùm infideles & peccatores ſint capaces dominii*, 96

CAP. XVII. *Utrùm ſit juſtitia inter patrem & filium, habeantque diſtincta dominia?* 97

CAP. XVIII *Utrùm maritus & uxor habeant dominia diſtincta, poſſitque inter eos intercedere juſtitia?* 103

CAP. XIX. *Utrùm ſervi ſint capaces dominii?* 106

CAP. XX *Utrùm Religioſi habeant aliquarum rerum dominium?* 107

CAP. XXI. *Utrùm Clerici ſeculares dominium habeant fructuum ſuorum Beneficiorum?* 114

SECUNDA PARS.

De Injuſtitia & Reſtitutione.

CAP. I. DE *nomine & definitione Injuſtitiæ,* 134

CAP. II. *De definitione & neceſſitate reſtitutionis,* 136

CAP. III. *De radice, ex quâ oritur obligatio reſtituendi,* 138

CAP. IV. *Satisfit nonnullis difficultatibus circa damnificatores præcedenti capite recenſitos,* 156

§. I. *De Mandante,* ibid.

§. II. *De Conſulente,* 157

§. III *De Conſentiente,* 160

§. IV. *De receptante & participante,* 162

§. V. *De muto, non obſtante, non manifeſtante,* 163

CAP. V. *Cui facienda eſt reſtitutio,* 168

CAP. VI. *Quo ordine facienda eſt reſtitutio,* 175

CAP. VII. *Quo loco, quibuſve impenſis reſtitutio eſt facienda,* 179

CAP. VIII. *De iis, qui excuſant à reſtitutione,* 181

CAP. IX *De reſtitutione in particulari,* 185

§. I. *De bonis ſpiritualibus,* ibid.

§. II. *De Adulterio*, 188
§. III. *De Homicidio & mutilatione*, 190
§. IV. *De læſione famæ & honoris*, 200
§. V. *De furto & rapinâ*, 204

TERTIA PARS.

De Contractibus.

CAP. I. DE *Definitione Contractûs*, 214
CAP. II. *De conſenſu requiſito ad validitatem contractûs*, 221
CAP. III. *Quinam contrahere poſſunt*, 226
CAP. IV. *Quomodò dividitur contractus*, 230
CAP. V. *De contractibus non puris*, 232
CAP. VI. *De contractu ad conditionem*, 233
CAP. VII. *De contractu ad modum*, 236
CAP. VIII. *De contractu ad cauſam*, ibid.
CAP. IX. *De contractu ad diem*, 238
CAP. X. *De contractu ad demonſtrationem*, ibid.
CAP. XI. *De contractibus innominatis*, 240
§. I. *De Horis Canonicis*, 241
§. II. *De Beneficiariis curam animarum habentibus*, 268
CAP. XII. *De contractibus in particulari*, 281
§. I. *De venditione & emptione*, ibid.
§. II. *De pretio*, 285
§. III. *De Merce*, 296
§. IV. *De retractu gentilitio*, 301
§. V. *De negotiatione ſeu mercaturâ, & monopolio*. 303
CAP. XIII. *De Mutuo*, 306
CAP. XIV. *De uſurâ*, 310
CAP. XV. *De contractu ſocietatis*, 333
CAP. XVI. *De Cambio*, 338
CAP. XVII. *De Cenſibus*, 340

§. III. *Utrùm votum ſit actus honeſtus?* 506
§. IV. *Utrùm opus ex voto factum melius ſit?* 511
§. V. *Utrùm votum obliget?* 517
§. VI. *Utrùm tolli poſſit voti obligatio?* 523
CAP. VI. *De Juramento?* 544
§. I. *Quid eſt juramentum?* ibid.
§. II. *Utrùm juramentum ſit licitum, præſertim Chriſtianis?* 547
§. III. *Quot conditiones requiruntur, ut juramentum ſit licitum?* 552
§. IV. *Utrùm ſit in Eccleſiâ poteſtas diſpenſandi in juramentis vel ea commutandi?* 560
§. V. *Quale peccatum eſt perjurium?* 563
§. VI. *Quale eſt peccatum juramentum, ſine judicio & neceſſitate prolatum?* 572
§. VII. *Quale eſt peccatum jurare ſine juſtitiâ?* 576
§. VIII. *Quid eſt blaſphemia?* 576
CAP. VII. *De reliquis peccatis Religioni oppoſitis,* 585
§. I. *De Superſtitione,* ibid.
§. II. *De irreligioſitate,* 596
CAP. VIII. *De ſimoniâ,* 600
§. I. *Quid eſt ſimonia?* ibid.
§. II. *Quotuplex eſt ſimonia?* 633
§. III. *Quale peccatum eſt ſimonia?* 646
§. IV. *Quæ ſunt ſimoniacorum pœnæ?* 648
§. V. *Reſolvuntur nonnulli caſus ex præſtructis fundamentis,* 661

Finis Indicis.

CAP. XVIII. *De promiſſione & donatione*, 344
CAP. XIX. *De ludo*, 356
§. I. *De Ludo generatim ſpectato*, 357
§. II. *De Ludo, in quo pecunia exponitur*, 354

TRACTATUS

De Virtute Religionis.

CAP. I. DE *nomine & definitione Religionis*, 389
CAP. II. *De Religionis actibus*, 395
CAP. III. *Quid eſt devotio, & quomodò ſtatuitur Religionis actus*, 395
CAP. IV. *De Oratione*, 401
§. I. *Quid eſt Oratio?* ibid.
§. II. *Quotuplex eſt Oratio?* 410
§. III. *Utrùm Oratio ſit actus bonus & honeſtus?* 429
§. IV. *Utrùm in Oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere?* 436
§. V. *Utrùm Oratio ſit actus Religionis?* 453
§. VI. *Utrùm Oratio ſit donum Dei ſupernaturale?* 457
§. VII. *Utrùm Oratio ſit ad ſalutem neceſſaria?* 461
§. VIII. *Utrùm Oratio habeat infallibilem effectum?* 472
§. IX. *Quot requiruntur, ut Oratio piè fiat*, 474
§. X. *Qualis debet eſſe orantis fiducia, ad infallibiliter impetrandum*, 480
§. XI. *Utrùm ad infallibiliter impetrandum neceſſe ſit ut quis pro ſe ipſo petat?* 485
§. XII. *Utrùm Oratio ſine perſeverantiâ ſemper ſit inefficax?* 487
CAP. V. *De Voto*, 492
§. I. *Quid eſt votum?* ibid.
§. II. *Quotuplex eſt votum?* 499

Approbatio D. Brillon, *Doctoris Sorbonici & Theologiæ Profeſſoris.*

Illuſtriſſimi Galliæ Cancellarii juſſu, legi novam hanc Theologiæ Dogmaticæ & Moralis editionem ad uſum ſeminarii Catalaunenſis, quod quidem opus propriâ laude & publicis elogiis ita ſe commendat ipſum, ac tuetur, ut noſtris non indigeat. Datum in Sorbonâ pridie Calendas Auguſti anni 1717.

Brillon.

Approbatio altera anteriorum editionum.

De Mandato Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii, librum legi, cui titulus eſt, *Theologia Dogmatica & Moralis, ad uſum Seminarii Catalaunenſis.* Hunc luce publicâ dignum judico: continet enim documenta Evangelio & doctrinæ Eccleſiaſticæ maximè conſentanea, quæ Clericis imprimis magno uſui eſſe poſſunt. Datum Pariſiis anno Domini 1706. die ſextâ menſis Maii.

Pastel, Lector Sorbonicus.

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

TRIBUS partibus conſtabit hic Tractatus. Prima erit de Juſtitia & Jure ſecundùm ſe ſpectatis. Secunda, de Injuſtitia & Reſtitutione. Tertia, de Contractibus.

PARS PRIMA.

De Juſtitia & Jure ſecundùm ſe ſpectatis.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & notione Juſtitiæ & Juris.

Q. 1°. *Quot modis ſumitur juſtitia?*
R. Tribus modis.

1°. Pro omnium virtutum complexione; id enim juſtum dicitur, quod regulæ ſuæ æquale

eſt, ita ut juſtum cum æquali idem ſit; unde juſtitia æquitas appellatur, quaſi æqualitas. Quare cùm collectio omnium virtutum reddat voluntatem planè conformem legi adæquatè ſumptæ, tota illa collectio dicitur Juſtitia, & quævis virtus pars Juſtitiæ. Sic accipitur juſtitia à Chriſto, *Math.* 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam:* à ſancto Chryſoſtomo homil. 12, in Math. *Juſtitia nihil aliud eſt, quàm omnium mandatorum plena cuſtodia.* Hinc charitas dicitur juſtitia, quia charitas reddit voluntatem conformem toti legi divinæ; vocaturque ab Apoſtolo, *vinculum perfectionis. Charitas inchoata*, ait ſanctus Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. ult. *inchoata juſtititia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.*

2°. Uſurpatur pro juſtitia generali, cujus eſt ordinare actus virtutum particularium in commodum Reipublicæ, ſicut charitas omnium virtutum actus ordinat in Deum: hoc ſenſu juſtitia dicitur à Philoſopho virtutes omnes in ſe continere, quemadmodum charitas vocatur à ſancto Auguſtino *tota virtus.*

3°. Pro virtute morali reddente alteri debitum ad æqualitatem, quo ſenſu hîc ſumitur.

Q. 2°. *Quot modis ſumitur Jus?*

R. Sex modis.

1°. Pro juriſprudentiâ; quia quemadmodum ars medicamentorum medicina dicitur, ſic ars & ſcientia juris vocatur Jus.

2°. Pro loco in quo jus dicitur, hoc pacto dicimus aliquem in jus vocari.

3°. Pro judicis ſententiâ, licèt nonnunquam injuſtâ.

4°. Pro lege, quæ eſt regula, quâ diriguntur actiones juſtitiæ; quo ſenſu jus dividi ſolet in

jus naturale & poſitivum, hoc eſt, in legem naturalem & legem poſitivam.

5°. Pro actione vel re juſtâ, ſeu pro objecto juſtitiæ, quo ſenſu res ad nos pertinens dicitur jus noſtrum.

6°. Pro facultate, quam habet quis ad utendum re aliquâ, vel ad eam obtinendam in judicio, vel ad eam retinendam; ſic dominus fundi dicitur habere jus circa fundum. Et hoc ultimo modo hîc ſumitur nomen juris.

Q. 3°. *Quomodo definitur Juſtitia?*

R. Definitur à Juriſconſultis poſt Ulpianum, conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Nomine autem voluntatis intelligitur habitus, ſeu inclinatio & propenſio voluntatis; juſtitia enim habet ſedem in voluntate. Additur, *conſtans & perpetua;* quia ut quis verè ſit juſtus, conſtans eſſe debet in affectu reddendi unicuique jus ſuum, nec enim uno aut altero virtutis actu comparatur ipſa virtus.

Clariùs & magis ad Logicæ regulas definiri poteſt juſtitia, virtus moralis, firmans voluntatem ad perpetuò reddendum alteri jus ſuum ad æqualitatem.

Dicitur 1°. *virtus*, quia facit bonum habentem ſe; differt enim habitus virtutis ab aliis, in eo quòd iſti non faciant bonum habentem ſe, niſi ſecundùm quid. Ab habitu Muſicæ v. g. aut Picturæ non dicitur homo bonus ſimpliciter, ſed bonus Muſicus aut Pictor; cùm poſſit eſſe vir peſſimus, & malè diſpoſitus circa ultimum finem & regulas bene vivendi. Ab habitu autem virtutis dicitur homo ſimpliciter bonus; quia per illum diſponitur ad agendum ex præſcripto rectæ rationis.

Dicitur 2°. *moralis*, quia habet pro objecto immediato aliquid creatum, nempe jus alteri

reddendum; quo differt virtus moralis à Theologicâ: hujus enim objectum materiale, ſaltem primarium, eſt Deus, & formale aliqua divina perfectio; illius verò tam materiale, quàm formale, eſt aliquid creatum.

Dicitur 3°. *ad reddendum alteri jus ſuum*, id eſt, quod ſtrictâ obligatione debetur.

Debitum ergo aliquando latiùs ſumitur pro præcepto: quo ſenſu objectum miſericordiæ dicitur debitum, quando pauperis indigentia poſtulat eleemoſynam. 2°. Debitum ſumitur ſtrictiùs pro eo quod ita debitum eſt, ut niſi tribuatur, per ſe fundet obligationem dandi aliàs, aut reſtituendi; quia non tam noſtrum eſt, quàm alienum: quod autem debitum eſt hoc poſteriori modo ſupponit jus eo, cui ſic debetur, ſeu facultatem utendi, vel obtinendi rem ſic debitam.

Additur in definitione, *ad æqualitatem*; quæ æqualitas conſiſtit in commenſuratione rei debitæ cum jure alterius: ita ſi centum nummi ſint debiti, eorum ſolutio, quam juſtitia poſtulat, commenſurata eſt juri creditoris: ergo ſi non reddatur æquale, non erit perfecta juſtitia; juſtitia enim idem eſt ac æquitas ſeu æqualitas.

Q. 4°. *Quomodo dividitur Jus?*

R. Definitur, poteſtas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad ejus uſum, vel ad aliquam functionem, aut quaſi functionem, aut negationem functionis, cujus violatio conſtituit injuriam.

Dicitur 1°. *Poteſtas*, quæ nihil aliud eſt, quàm habitudo ad id, ad quod dicimur jus habere, ſeu poſſe aliquid: concipitur autem hæc habitudo vel per modum potentiæ paſſivæ, quale eſt jus quod habet civis ut à Magiſtratu guber-

ætur; vel per modum potentiæ reſiſtendi, quale eſt jus, quo quis impedire poteſt, ne alter muros altiùs extollat, ne feneſtram aperiat in ipſius area: hæc enim poteſtas non eſt aliquid phyſicum & reale, ſed morale duntaxat; ſeu ſolâ hominum opinione, ſive etiam naturæ beneficio conceſſum: quod ſecundùm communem æſtimationem ſufficit ad varios effectus producendos, non quaſi tales effectus procedant effectivè & phyſicè à tali poteſtate; ſed quòd ab ea tantùm habeant ut ſine injuria exerceantur.

Supponit tamen nonnunquam illa poteſtas phyſicum aliquid, ſaltem ea quæ eſt per modum potentiæ activæ; v. g. poteſtas docendi in Doctore ſupponit ſcientiam & capacitatem interpretandi.

Dicitur 2°. *legitima*, id eſt, lege conceſſa, ſeu legi conformis; quia poteſtas, quæ ſecundùm legem non competit alicui, jus non eſt, ſed vis & injuria; lex autem illa vel naturalis eſt, à quâ eſt poteſtas hominis ad uſum membrorum, ad vim repellendam; vel poſitiva; ſive divina à qua eſt jus recipiendi Sacramenta, ſive humana, à qua eſt jus ad ſucceſſionem hæreditatis, ad præſcriptionem, &c. Tot enim ſunt juris genera, quot legum; quanquam hæc diverſitas non facit diverſitatem in habitu juſtitiæ, quæ eodem modo ſe habet, ſive jus pendeat à lege naturali, ſive à poſitiva tantùm: conſuetudo autem ad legem poſitivam redducitur.

Dicitur 3°. *ad rem aliquam obtinendam, vel ad ejus uſum*, &c. quæ particulæ objectum juris explicant; nam jus habemus vel ad rem obtinendam, ut fundum paternum per ſucceſſionem hæreditariam: vel ad ejus uſum, colligendo

fructus : vel ad functionem, ut ad jus dicendum : vel quaſi ad functionem, ut ad retinendum dominium, aut functionem in qua ſumus : vel denique negationem functionis, ut ad non militandum vel non ſolvendum aliquod tributum, quemadmodum competit Clericis.

Q. 5°. *Quodnam eſt objectum materiale juſtitiæ?*

R. Res debita ſecundùm æqualitatem reddenda; quia eſt illud objectum materiale alicujus virtutis, circa quod virtus illa verſatur : atqui juſtitia verſatur circa rem debitam ad æqualitatem reddendam.

Dices, Juſtitia verſatur etiam circa paſſiones; quia vir juſtus debet eas temperare : ergo.

Nego antecedens. Ad cujus confirmationem, diſtinguo : debet temperare per auxilium aliarum virtutum, concedo; per juſtitiam proximè & directé, nego. Itaque hæc ratio oſtendit ſolùm, juſtitiam imperare actus aliarum virtutum, nec poſſe haberi in ſtatu perfecto ſine earum conſortio : quemadmodum charitas indiget manſuetudine quæ iram cohibeat, temperantiâ quæ libidinem comprimat, fortitudine quæ audaciam & timorem dirigat, liberalitate quæ contra avaritiam pugnet. Sufficit ergo ut virtus vincat difficultates circa propriam materiam, & juvetur ceteris virtutibus, ut alienis difficultatibus non impediatur; alioquin omnes virtutes in unam eſſent confundendæ.

Inſtas. Juſtitia per ſe & proximè inclinat voluntatem ad reddendum unicuique quod ſuum eſt : ergo & appetitum & omnes ejus paſſiones.

Nego conſequentiam; nam, ut ait S. Thomas, *paſſiones per ſe non ordinantur ad alterum, ſed ſolùm ad conſervationem individui in quo ſunt,*

quamvis effectus earum, ſcilicet actiones exteriores, ſint ad alterum ordinabiles.

Q. 6°. *Quodnam eſt objectum formale juſtitiæ?*

R. Eſt res quatenus debita & ad æqualitatem reddenda. Quia objectum formale eſt ratio ſub quâ tendit habitus vel potentia in ſuum objectum materiale; ſic viſibilitas eſt objectum formale viſûs, quia viſus tendit in colores quatenus viſibiles ſunt: atqui juſtitia verſatur circa rem externam, v. g. pecuniam, quatenus debita eſt & ſecundùm æqualitatem reddenda. Ergo.

Q. 7°. *Juſtitia eſt-ne virtus diſtincta à reliquis virtutibus?*

R. Eſt: quia habet objectum formale diſtinctum; nulla enim alia virtus tendit ad reddendum alteri debitum ad æqualitatem. Temperantia v. g. & fortitudo non reſpiciunt quid alteri debeatur, ſed quid deceat eum in quo ſunt; illa in temperandis voluptatibus, iſta in moderandis audacia & timoribus. Spectat quidem religio debitum Deo; pietas debitum parentibus & patriæ; obſervantia debitum majoribus ratione gubernationis. Sed cùm ejuſmodi perſonis æquale reddi non poſſit, ſequitur illas virtutes à perfecta ratione juſtitiæ deficere. Gratitudo quidem inclinat ad reddendum alteri quantum acceptum eſt; ſed debitum ex gratitudine diverſum eſt à debito ex juſtitia; nam debitum ex juſtitia non tam noſtrum eſt, quàm alienum: adeò ut ſi illud retineamus, teneamur ad reſtitutionem, poſſimuſque in judicio cogi ad reddendum: quod non convenit debito ex gratitudine: nam ſi quis fuerit ingratus erga alium, poterit abſolvi & veniam conſequi abſque eo quòd alteri reſtituat, nec qui beneficium contulit poteſt

cogere alterum ad aliquod munus dandum: quia etſi debitum ſit ex gratitudine, tamen non cenſetur ejus, cui debitum eſt; & hoc diligenter eſt notandum.

Q. 8°. *Quare dicitur juſtitia verſari circa medium rei?*

R. Quia ſpectat ſemper æqualitatem reſpectu cujuſque, nec habet rationem nobilitatis aut ignobilitatis: contrà verò aliæ virtutes ita verſantur circa ſuum objectum materiale, ut conditionem etiam perſonnæ ſpectent; v. g. temperantia pro diverſitate perſonarum determinat menſuram alimentorum.

Neque verò inde colligas juſtitiam nullo modo rationis medium obſervare: nam ex Philoſopho 2. Ethic. cap. 4. non quicunque juſta agit, is juſtus eſt, niſi eadem juſtè agat, id eſt, ex intentione rectа: ſed in hoc differt juſtitia ab aliis virtutibus moralibus, quod iſtæ verſentur tantùm circa medium rei, & medium rei ſit illi medium rationis.

Q. 9°. *Juſtitia præſtat ne cæteris virtutibus moralibus?*

R. Minimè. 1°. enim legalis juſtitia, quæ proximè ſpectat bonum commune, eſt præſtantior particulari, quæ proximè non ſpectat bonum commune. 2°. Religio, pietas, & miſericordia ſunt juſtitiâ præſtantiores; nam religio ſpectat cultum Dei, qui eſt quid præſtantius, quàm res proximo debita; pietatis etiam debitum præſtat debito juſtitiæ, cùm illud ſpectet parentes, hoc ſpectet alterum, ſive ſit parens, ſive non. Miſericordia denique præferenda eſt juſtitiæ, tùm quia miſereri maximè ſuperioris eſt, ut ait S. Thomas ſecundâ ſecundæ quæſt. 30. a. 4. & proprium Deo, cùm & in hoc manifeſtari dicatur ejus omnipo-

tentia; tùm quia melius eſt, ceteris paribus, dare gratis, quàm ex debito.

Juſtitia tam nobilior eſt temperantiâ; & fortitudine; quia temperantia & fortitndo ſpectant tantùm bonum privatum; juſtitia verò particularis publicum, non quaſi ejus ſit primò per ſe ſpectare bonum commune, quod eſt juſtitiæ legalis; ſed quia actus juſtitiæ particularis ad omnes ſe extendunt, magiſque conducunt ad bonum commune tuendum, ſervandamque pacem publicam. Si enim cuique tribuatur quod ſuum eſt, pax publica ſervatur.

Dices: Fortitudo etiam utilis eſt bono publico, & hoc habet ſupra juſtitiam, quòd verſetur circa difficiliora; ergo nobilior eſt juſtitiâ.

Confirmatur. Martyres & Heroes ceteris præferuntur ob animi fortitudinem.

Reſpondeo 1°. fortitudinem eſſe ſolùm utilem in bello; juſtitiam verò in bello & in pace. 2°. virtutem non eo præciſè eſſe perfectiorem, quòd verſetur circa difficiliora, niſi & verſetur circa meliora: porrò juſtitia verſatur circa meliora; cùm ſit ad promovendum bonum, fortitudo ad removendum malum.

Ad confirmationem, reſpondeo Martyrum fortitudinem magni fieri per accidens, & præſtantiorem eſſe juſtitiâ ratione charitatis, quæ maximè elucet in martyrio, juxta illud Joannis 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

A v

CAPUT II.

De diviſione Juſtitiæ.

Q. 1. *Quomodo dividitur Juſtitia?*

R. Dividitur in legalem, commutativam, diſtributivam & vindicativam.

Probatur hæc diviſio ex triplici ordine qui eſt in republica: primus eſt ſingularum partium ad bonum totius reipublicæ: ſecundus eſt partium reipublicæ inter ſe: tertius, totius reipublicæ ad partes, ſive ut eas remuneret propter merita, ſive ut eas puniat propter demerita. Virtus, quæ diſponit ſingulas partes ad bonum totius reipublicæ, eſt juſtitia legalis: quæ diſponit partem ad partem, ut contingit in contractibus & commutationibus, eſt juſtitia commutativa: quæ dirigit totam rempublicam ad partes ut eas remuneret, eſt juſtitia diſtributiva; ut puniat, eſt vindicativa.

Q. 2°. *Quid eſt Juſtitia legalis?*

R. Eſt virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum reipublicæ debitum ſcilicet procurando bonum commune & præponendo illud privato.

Q. 3°. *Juſtitia legalis eſt-ne virtus diſtincta ab aliis?*

R. Eſt: quia illa virtus ſpecialis eſt, quæ habet objectum formale à ceteris virtutibus diſtinctum: atqui talis eſt juſtitia legalis; ſpectat enim bonum communitatis, ſeu bonum publicum quatenus publicum eſt; quod nulli alteri virtuti convenit: ergo.

Dices. Juſtitia legalis dicitur complexio omnium virtutum: ergo non eſt ſpecialis virtus.

Diſtinguo antecedens : dicitur complexio omnium virtutum directivè, quatenus omnes virtutes ad bonum commune refert, Concedo : formaliter, quaſi ſit ipſa omnis virtus. Nego antecedens ; quia habet objectum ſpeciale : ſic charitas imperat omnibus virtutibus, & earum actus refert ad Deum tanquam ad proprium objectum.

Q. 4°. *Quotuplex eſt injuſtitia legalis?*

R. Duplex. Prima dicitur imperans & nomothetica : ſecunda exequens ſeu miniſterialis. Illa reſidet in Principe vel in Magiſtratu, quatenus dirigit actus omnium civium ſibi ſubditorum ad bonum commune ; hæc in civibus, quando amore boni communis odiunt & obſervant ea quæ legibus continentur.

Q. 5°. *Quid inde ſequitur?*

R. Duo ſequntur.

Primum : ſicut charitas comites habet omnes virtutes, nec ſine illis Deus eam infundit : quia proprius effectus charitatis eſt ſervare omnia mandata & facere quæ Deo placent, juxta illud Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit* ; ſic nec juſtitia legalis conſiſtere poteſt ſine ceteris virtutibus, cùm omnes concurrere debeant ad bonum publicum.

Secundum : quòd rata ſit admodum juſtitia legalis. Quis enim ſubditus amore boni publici obedit Magiſtratibus? quis capeſſit dignitatem aut aliquid officium in republica intuitu boni publici? nonne iſta emuntur, quomodo emeretur aliquis fundus propter proprium commodum? quid attendunt plerique in dignitatibus conſtituti, niſi quid, & quantum propter illas ſibi debeatur : quanta obedientia, quantus honos, quanta retributio, aut quantus proventus? utinam ejuſmodi vitia uſque ad Sanctuarium non penetrarent.

Q. 6°. *Juſtitia legalis eſt-ne juſtitia propriè dicta?*
R. Minimè, quia non eſt ſufficienter ad alterum; cum per juſtitiam legalem civis ad communitatem, cujus eſt pars, & quatenus eſt pars ordinetur.
Advertes tamen cùm juſtitiâ legali ſæpe concurrere juſtitiam commutativam. Duplex enim ratio in Magiſtratu eſt attendenda: prima eſt particularis perſonnæ, ſecundùm quam paciſcitur quodammodo cum republica, ut honorarium vel certè honorem accipiat à civibus, in præmium adminiſtrationis ſuæ: ſecunda eſt capitis communitatis, cujus intereſt ſalutem totius corporis publici procurare. 1°. modo agit ex juſtitia particulari. 2°. non item. Unde multa facit in bonum commune, quæ ſi non faceret, ad reſtitutionem non teneretur, ut ſi magnos velit facere ſumptus ad reipublicæ ſplendorem & utilitatem. Obligatur igitur ad reſtitutionem, non quatenus reipublicæ caput eſt & pars præcipua totius communitatis, ſed quatenus ut perſonna privata honorarium à republica percipit in mercedem laboris, quam ex juſtitia ſuſtinere tenetur, v. g. ad jus dicendum, peſtiferos coërcendos.
Q. 7°. *Quid eſt juſtitia commutativa?*
R. Eſt virtus firmiter inclinans privatum ad reddendum alteri privato æquale ſecundùm proportionem arithmeticam, in actionibus in quibus inter ſe communicant, ſeu in commutationibus, quales ſunt contractus. Et hæc ſola ſpecies juſtitiæ habet pro objecto jus ſtrictum, cujus violatio obligat ad reſtitutionem.
Q. 8°. *Quid eſt Juſtitia diſtributiva?*
R. Eſt virtus inclinans communitatem ſeu eum qui illam repræſentat, qualis eſt Magiſtratus, ad diſtribuenda civibus officia, mu-

nera, & onera juxta proportionem geometricam; unde juſtitia diſtributiva principaliter reſidet in Principe aut Magiſtratu, ad quem pertinent ejuſmodi diſtributiones. In privatis autem ſecundariò reſidet, quatenus eos diſponit ut juſtam diſtributionem ament, eique legitimè factæ acquieſcant.

Q. 9°. *Quomodo differunt proportio arithmetica & geometrica?*

R. Proportio arithmetica eſt numeri ad numerum, ſeu æqualitas rei ad rem; Geometrica verò eſt proportionis ad proportionem, quod clarum redditur exemplo ſequenti: v. g. tres nummi proportionem arithmeticam habent cum jure, quod eſt in creditore tot nummos recipiendi. Si autem centum nummi ſint diſtribuendi decem militibus, ſecundùm eorum dignitatem & meritum; ſi ille, cujus dignitas eſt ut duo, accepturus ſit ſex nummos, is, cujus dignitas eſt ut quatuor, debet accipere duodecim.

Unde patet 1°. proportionem geometricam reperiri etiam ubi partes ſunt inæquales; nam ſex & duodecim ſunt inæqualia, & tamen in allato exemplo proportionem habent; ſicut enim ſex ſuperant duo duabus partibus, pari proportione duodecim ſuperant quatuor 2°. in juſtitia diſtributiva non conferri rem cum re, ſicut in commutativa, ſed meritum & dignitatem unius perſonæ cum merito & dignitate alterius.

Q. 10°. *Quid eſt Juſtitia vindicativa?*

R. Eſt virtus reddens malefactori debitam pœnam culpæ adæquatam.

Dicitur 1o. *virtus*, quia bene diſponit Principem, Judicem, Superiorem ad alterum, nempe malefactorem.

Dico, *Superiorem:* nam vindicta vetatur privato, & præcipitur ſuperiori tanquam Dei Miniſtro, juxta illud Rom. 13. *Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.*

Dicitur 2o. *debitam pœnam*, non quidem civili obligatione ſtrictoque jure, ita ut malefactori irrogaretur injuria, niſi ei infligeretur pœna; debita ergo pœna intelligitur pœna juſtè promerita.

Dicitur 3o. *culpæ adæquatam*, juſtitiæ enim vindicativæ eſt adæquare pœnam culpæ, ut pro menſura delicti plagarum modus, ſicque fiat reparatio injuriæ, ipſeque malefactor & alii ab inferenda injuria coërceantur.

Ex his patet juſtitiam vindicativam ad diſtributivam eſſe revocandam. Nonnulli tamen, ut S. Thomas 2. q. 21. a. 4. ad commutativam eam revocant; quia per juſtitiam punitivam judex conſtituit æqualitatem inter partem offendentem & offenſam; ſiquidem per offenſam reus manſit in lucro, ex Philoſopho: cenſetur autem illud amittere dum punitur, ſicut & perſona offenſa ſuum quodammodo reſarcit damnum, quantùm reſarciri poteſt, quando ejus dolori ſatisfit. Sed hæc explicatio videtur habere ſuum locum ubi pœna talionis viget, ſicut olim apud Judæos, quibus dictum fuit, *oculum pro oculo, & dentem pro dente*, quam legem Chriſtus Dominus ſuſtulit, prohibens privatis vindictam, Math. 5.

Q. 110. *Juſtitia diſtributiva eſt-ne juſtitia ſtrictè ſumpta?*

R. Minimè: quia officia & bona communia reipublicæ non ſunt ſtricto jure debita, quod explicari poteſt exemplo ejus qui habet eleemoſynas pauperibus diſtribuendas; ſi enim in diſtributione aliquos prætermittit, non facit

illis injuriam, nec iſti poteſtatem habent exigendi partem pecuniæ diſtribuendæ; quia liberum eſt diſtribuenti eligere quos voluerit pauperes, modò verè ſint pauperes, & ſimili inopia laborent, ſic Magiſtratus aut Superior Eccleſiaſticus poteſt ſine injuſtitia ex multis dignis eligere quos voluerit ad officia vel beneficia, nec qui prætermiſſi ſunt, jus ſtrictum habent, ut illa bona faciant ſua.

Nota tamen ſæpiùs juſtitiam commutativam conjungi cum diſtributiua, ideòque Superiorem peccare contra juſtitiam, tenerique ad reſtitutionem, ſi violet privatorum jus; ſicut jàm monuimus ipſum injuſtè agere erga rempublicam, tenerique ipſi reſtituere, quando non ſervat pactum cum illa initum, nec impendit curas, propter quas ex quodam contractu, quem innominatum vocant, accipit ſtipendium aut honorarium. Hujus obſervationis exempla ſubjicio.

Primum; cum oneribus, tributis, militum hoſpitio privatos gravat, nec in his ſervat proportionem: privatus enim quilibet jus ſtrictum habet ne ſupra facultates ſuas gravetur, ut patet ex definitione juris ſtrictè ſumpti allatâ capite præcedenti: quare Magiſtratus tenetur ad reſtitutionem, ſi, ut ſeipſum, parentes, familiares & amicos levet; alios premat.

Secundum, quando in concurſu minùs dignum præfert digniori; per concurſum enim Superior init pactum cum iis qui ſe offerunt dandi beneficium aut officium ei qui ſuperaverit. Ex pacto autem naſcitur jus ſtrictè ſumptum, ut patet ex definitione contractûs ſuo loco explicandâ.

Tertium, quando bona communia ſunt ſpecialiter quibuſdam deſtinata. Exemplum ſit eleemoſynarii, qui accepit à Domino pecu-

niam cuidam pauperi familiæ diſtribuendam; in quo caſu ſi aliis pauperibus illam pecuniam eroget, peccat contra juſtitiam commutativam reſpectu familiæ contemptæ. Hæc enim jus ſtrictum habet ut ſibi diſtribuatur illa pecunia, teneturque eleemoſynarius ipſi reſtituere. Similiter dux, qui ſecundùm intentionem Principis debet dividere ſpolia urbis expugnatæ militibus qui eam expugnarunt, tenetur ex juſtitia commutativa iiſdem militibus dividere ſpolia juxta proportionem Geometricam, dando dupliciter ei qui habet meritum ut duo: aliàs injuſtus eſt teneturque ad reſtitutionem; quantò verò magis, ſi majorem partem ſpoliorum ſibi applicet? Item ſi, cùm ex diſpoſitione Eccleſiæ & ex pacto cum fundatore initio Beneficium conferendum ſit alicui ex familia fundatoris oriundo: modò dignus ſit, conferatur tamen alteri. In hac enim hypotheſi, dignus contemptus habet jus ſtrictum ad illud Beneficium, ſicut & ille qui electus aut nominatus eſt à patrono aut qualibet alia diſpoſitione canonica. Unde patet, judices, quando lis movetur ſuper aliquo Beneficio, contra juſtitiam commutativam peccare, ſi non expendant jura contendentium, & obnoxios eſſe reſtitutioni, ſi propter favorem humanum Beneficium adjudicent ei, cujus jus eſt magis dubium.

CAPUT III.

De peccatis Juſtitiæ diſtributivæ oppoſitis.

Q. 10. *Quomodo vocatur peccatum juſtitiæ diſtributivæ oppoſitum?*

R. Acceptio perſonarum, ut habetur Jacobi 2.

Q. 2°. *Quomodo definitur acceptio perſonarum?*

R. Definitur, peccatum quo in diſtributione bonorum communium non attenditur cauſa ſeu titulus, cur aliquis plus minuſve debeat accipere; ſed ipſius perſona ſeu perſonæ conditio nihil ad prædictam diſtributionem faciens, ut ſi Princeps aut Prælatus, omiſſis dignioribus, conferat minùs dignis officia Reipublicæ, vel Eccleſiæ beneficia, quia ſunt conſanguinei aut amici.

Advertes ad peccatum acceptionis duo requiri. Primum, ut qui diſtribuit, teneatur ex juſtitia vel erga Rempublicam, vel erga ſubditos diſtribuere; quia bona illa quæ diſtribuit, non ſunt ſua, ſed Reipublicæ. Secundum, ut in diſtribuendo ſpectetur aliqua conditio perſonnæ, nihil ad diſtributionem faciens, & quæ non reddat eum, cui datur Officium vel Beneficium, digniorem, aut utiliorem Reipublicæ vel Eccleſiæ. Hinc in Deum non poteſt cadere acceptio perſonarum, etiamſi alteri ex duobus æqualiter diſpoſitis, imo indigniori conferat majora gratiæ auxilia. 1°. quia nemini quidquam debet; 2°. quia ſemper habet juſtiſſimam cauſam cur unum alteri præferat, ut gratiam ſuam magis commendet; 3°. quia præferendo indignum, facit illum digniorem; bonitas enim major vel minor provenit ex gratia majori vel minori.

Q. 3°. *In quorum bonorum diſtributionibus locum habet acceptio perſonarum?*

R. 1°. In diſtributionibus juris quando Judex in ferenda ſententia conſiderat perſonam potiùs quàm æquitatem cauſæ, contra illud Levitici 19. *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis; juſtè judica proximo tuo*: ubi Deus prohibet ne Judex moveatur miſeriâ pauperum, aut authoritate potentum, dum fert

ſententiam. Et Prov. 18. *Accipere perſonam in judicio non eſt bonum.* Porrò Judex poteſt peccare peccato acceptionis, non ſolùm ferendo ſententiam contra æquitatem cauſæ, ſed etiam cauſas pauperum differendo, cauſas verò potentum expediendo; vel uni parti concedendo longiorem terminum ad probandum vel inquirendum, quàm alteri; cùm tamen par utriuſque ſit ratio.

Dices Judicis arbitrio relinquitur ut terminos vel extendat, vel reſtringat: ergo non facit injuriam parti adverſæ, ſi amico concedat longiorem terminum.

Diſtinguo ant. Relinquitur arbitrio prout expediens viſum fuerit & cauſa poſtulaverit, Concedo: ut pro ſua libidine & gratificandi ſtudio uni poſſit concedere longiorem terminum quàm alteri, maximè cum notabili partis incommodo. Nego ant.

2°. Acceptio perſonarum habet locum in diſtributione onerum reipublicæ; hæc enim juſtâ proportione diſtribui debent: ſiquidem quilibet habet jus, ne nimis gravetur; neceſſariò autem aliqui nimis gravantur; ubi non ſervatur juſta proportio.

3°. In diſtributione officiorum ſæcularium; hæc enim ſunt bona quædam communia reipublicæ, inſtituta in ipſius commodum, quorum diſtributio pertinet ad Principem; unde tenetur jure naturæ ea maximè idoneis & reipublicæ utilibus conferre.

4°. In exhibitione honoris ſeu reverentiæ, ut ſi quis in publico conſeſſu non aſſignet locum qui ratione gradûs debetur: id expreſsè prohibetur in Epiſtola catholica ſancti Jacobi, v. 2. his verbis: *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ. Etenim ſi in-*

troierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu; & intendatis in eum qui indutus eſt veſte preclarâ, & dixeritis ei, Tu ſede hîc bene, pauperi autem dicatis, Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne ... facti eſtis judices cogitationum iniquarum?

Advertit S. Chryſoſtomus non ex vitio acceptionis perſonarum, ſed ex mera charitate divitem aliquando præferri pauperibus, quia fragilior eſt minùſque fert alios ſibi præferri quàm pauperes; unde ſi quis eo motivo, ne ſcandalizet divitem, priùs illum alloquatur quàm pauperem, exercebit actum charitatis, comparanduſque eſt Medico ſapientiſſimo, qui primo loco ſubvenit iis ægris, quos ſine magno eorum incommodo differre non poteſt.

Titulus autem ob quem debetur alicui honor, eſt excellentia naturæ rationali congruens, quæ conſiſtit in ſapientia, virtute, & dignitatis gradu; nullæ enim aliæ perfectiones reddunt hominem excellentem & honore dignum.

5°. Acceptio perſonarum reperiri poteſt in collatione Beneficiorum, in electione, & præſentatione ad illa. Siquidem jure naturali & poſitivo debent conferri dignioribus, id eſt, iis qui creduntur meliùs officio functuri; unde ſi conſanguinitas, amicitia, aut quid ſimile nihil ad officiũ pertinens in electione, præſentatione, vel collatione ſpectetur omiſſis dignioribus, committitur vitium acceptionis perſonarum.

Q. 40. *Licet-ne officia ſæcularia vendere?*

R. Abſolutè licitum eſt, quia ſunt res merè humanæ & prætio æſtimabiles; ut autem licitè vendi poſſint, hæ requiruntur conditiones. 1°. Ut vendens habeat autoritatem. 2°. Ut vendantur digniori quantùm fieri poteſt. 3°. Ut rep-

tio moderato. 4o. Ut id cenſeatur neceſſarium vel utile bono publico, quia hæc officia non ſunt bona ſuperioris propria, ſed reipubicæ communia quorum adminiſtrationem commiſit ei qui præſidet utilitatis communis causâ.

Q. 5o. *Quale eſt peccatum acceptio perſonarum?*

R. Ex genere ſuo eſt mortale; quia fit cum injuria proximi; poteſt tamen fieri veniale ex levitate materiæ, ut ſi in loco accumbendi ad menſam præferatur minùs dignus digniori.

Q. 6o. *Eſt-ne peccatum mortale conferre beneficia minùs dignis, dignioribus omiſſis?*

R. 1o. Certum eſt peccare eum ſaltem venialiter, qui relicto digniore eligit minùs dignum.

1o. Quia agit contra juſtitiam diſtributivam, ut patet ex dictis.

2o. Quia id prohibetur in jure canonico, nam Cap. unico titul. ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur, ſic ſcribit Innocentius III. *non ex affectu carnali, ſed diſcreto judicio debuiſti eccleſiaſticum officium in perſonam magis idoneam diſpenſare:* & Seſſ. 12 Concilii Baſileenſis decernitur, *ut electores jurent Deo & ſanctæ Eccleſiæ patrono, in qua eſt præbenda, ſe electuros quos noverint digniores.*

3o. Quia id communiter docent ſancti Patres. Origenes in cap. 8. Levit. ubi Dominus miraculo oſtendit ſe elegiſſe Aaronem in ſacerdotium, ex omnibus Principibus collectis tanquam præſtantiſſimum, ſic habet: *requiritur ergo in ordinando Sacerdote, etiam populi præſentia, ut ſciant omnes quòd qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſapientior: qui in omni virtute eminentior, ille eligitur in ſacerdotium:* & S. Gregorius expendens quod Scriptura dicit de Saül 1. Reg. cap. 10. nempe quod ceteris præemineret, & non eſſet melior illo in Iſraël, fusè do-

cet doctiſſimum & digniſſimum eſſe eligendum. S. Hieronymus in caput 1. Epiſt. ad Titum, ſic ſcribit: *At nunc cernimus plurimos hanc rem* (electionem) *beneficium facere, ut non quærant eos, qui plus poſſint Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant vel quorum ſunt obſequiis deliniti.* S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, eadem docet his verbis: *Equidem non opinor aliunde in Eccleſia tam multas turbas naſci, quàm ex Epiſcoporum & Antiſtitum electionibus, caſu potiùs ac temerè, quàm diligenter & accuratè factis: nam caput valentiſſimum eſſe oporteret.* Item S. Auguſtinus Epiſt. 29. *Quis ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ contempto paupere & ſapientiore.*

Similia docent Juriſperiti & omnes Doctores Scholaſtici; ſufficiet referre verba S. Thomæ, qui diſertè reſponſionem noſtram confirmat: nam ſecundâ ſecundæ quæſt. 63. a. 2. ad 3. ſic habet: *ut electio non poſſit impugnari in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam; ſed ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter vel in comparatione ad bonum commune.* Et ad primum docet ibidem Prælatum poſſe eligere conſanguineas, ſi æquè digni ſint, non autem ſi alii ſint digniores. Et quodlibeto 6. a. 9. ait, *non ergo Epiſcopus tenetur ſemper meliori ſimpliciter, id eſt ſapientiori, ſed tenetur dare meliori quoad hoc, hoc eſt quoad hoc beneficium; non enim poteſt eſſe quòd unum præferat alteri, niſi propter aliquam cauſam, quæ ſiquidem pertineat ad amorem Dei & utilitatem Eccleſiæ, quantùm ad hoc ille eſt. Si autem illa cauſa ad hoc non pertineat, erit acceptio perſonarum, quæ tantò eſt gravior, quantò in rebus divinis committitur.*

4°. Quia beneficia primariò ſunt inſtituta ad cultum Dei & Eccleſiæ utilitatem. Secundariò

ſunt in præmia virtutum, quibus digniores in Eccleſia honorentur & juventur; atqui eſt contra utrumque finem, ſi digniores & Eccleſiæ utiliores omittantur, & in eis conferendis ſpectetur conſanguinitas, aut privata amicitia, aut commendatio potentum.

Confirmatur exemplo cujuſcunque patrisfamilias, qui non ferret ſi œconomus negligeret familiæ commoda, ut gratificaretur conſanguineis aut amicis: ſi v. g. conducendi eſſent ſervi, optimos pro conſanguineis eligeret, & mediocriter bonos domino reſervaret: ſi quid emendum foret, omnia in ſuum majus commodum converteret aut amicorum, v. g. meliores merces, equos generoſiores; è contra ſi quid vendendum eſſet de rebus domini ſui, rejectis mercatoribus qui pretium ſummum offerrent, traderet amicis viliori pretio, juſto tamen. Porrò in domo Dei œconomi ſunt, non domini, qui Eccleſiæ Beneficia diſtribuunt; juxta illud Matth. 24. *Quis, putas, eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuus ſuper familiam ſuam?* Ergo peccant contra fidelitatem, ſi cùm poſſint digniorem reperire, vel etiam præſentem habeant, eligant minùs dignum: & hæc ratio probat jure naturali teneri collatores ſeu patronos eligere digniores, ac proinde nullâ diſpenſatione, nullâ conſuetudine ſeu uſu contrario, poſſe quemquam excuſari; quia contra jus naturale & divinum nulla eſt præſcriptio.

Confirmatur iterùm exemplo Chriſti Domini, cui non ſatis fuit eligere dignum; ſed clarè nos docuit Joan. 21. ſe velle digniorem; nam affirmantem ſanctũ Petrũ ſe eum diligere, iterùm interrogavit an plus ceteris illum diligeret, *diligis me plus his?* & cùm ei ſatisfeciſſet, commiſit ei curam ſuæ Eccleſiæ, *paſce oves meas.*

Videri poſſet eos qui ſolùm vel permutant Beneficia, vel reſignant, vel præſentant excuſandos eſſe, ſi omiſſo digniore elegerint minùs dignum, quia in poteſtate eſt Superioris rejicere eum quem ſic elegerint vel præſentaverint; ſed futilis eſt hæc excuſatio, tum quia poſſent eâdem ratione non ſolùm eligere aut præſentare minùs dignum, ſed etiam abſolutè indignum: tum quia peccant contra juſtitiam diſtributivam, cujus eſt diſtribuere bona communitatis ſecundùm proportionem Geometricam iis qui ampliùs merentur; Beneficia enim non ſunt propria reſignantis aut permutantis bona, ſed Eccleſiæ; tum quia ſuâ permutatione & electione jus tribuunt ei qui non debet habere; cùm ſupponatur alter dignior, nec in foro externo poſſit rejici dignus, ſi electus aut præſentatus fuerit. Quare in hoc caſu non eſt in poteſtate Superioris corrigere præſentationem, electionem, reſignationem, & permutationem: tum denique quia Judex inferior peccat, ſi apertè contra formam juris ferat ſententiam, eo prætextu, quod quem damnavit poſſit recurrere ad ſuperiorem judicem, qui priorem ſententiam reformabit.

Dices, ex capit. *Cùm dilectus, de elect.* ſufficit eligere bonum, nec requiritur ut melior eligatur: ergo.

Reſpondeo 1°. hæc verba citari tanquam Innocentii III. qui ſupra docebat perſonam magis idoneam eſſe eligendam. Ut itaque Innocentius III ſibi non videatur contrarius,

Reſpondeo 2°. cum S. Thoma, quodlibeto 8. quæſt. 4. a. 6. Decretalem intelligendam eſſe hoc ſenſu, quòd non ſemper oportet eligere meliorem ſimpliciter, ſed eum qui magis utilis erit in illo beneficio ad quod eligitur: *poſ-*

ſibile enim eſt, inquit S. Doctor, *quòd illi, qui in charitate perfectior eſt, deficiant multa quæ requiruntur ad hoc, ut aliquis ſit Prælatus idoneus, quæ in alio qui minoris eſt dignitatis, inveniuntur, ut ſunt ſcientia, induſtria, potentia, & alia ejuſmodi, quæ etſi non faciant meliorem ſimpliciter, faciunt tamen meliorem ad hoc Beneficium.* Addit. S. Thomas, *Decretalem poſſe etiam intelligi quantùm ad forum contentioſum; in quo non reprobatur electio; quia magis idoneus potuiſſet inveniri, dum modo ille qui eligitur, ſit revera idoneus.*

Ex his patet multò magis peccare eum qui eligit aut præſentat indignum, aut ei reſignat, ſive confert aliquod Beneficium. Indignum autem voco, qui in alicujus peccati mortalis verſatur habitu; quia cùm omne Beneficium ſit propter aliquod officium ſpirituale & ſacrum à Beneficiario præſtandum nomine Eccleſiæ; certum eſt hominem peccato mortali infectum, legitimè non poſſe illo fungi officio, ac proinde indignum eſſe, cui aliquod Beneficium conferatur. Ita S. Thomas cit. art. quodlibeti 8. *Dicendum eſt ergo*, inquit, *quod oportet eligere ad Prælationem, vel eccleſiaſticum officium aliquem, qui ſit bonus ſimpliciter; quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exercendum.*

R. 2°. Eſt peccatum mortale eligere dignum relicto digniori, ad Beneficia quibus cura animarum eſt annexa. Circa hanc reſponſionem nulla jam poteſt eſſe controverſia, cùm fuerit definita in Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 11. de reform. his graviſſimis & clariſſimis verbis: *Omnes verò & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus quâcunque ratione à Sede Apoſtolicâ habent ... hortatur* (ſancta Synodus) *& monet, ut in primis meminerint nihil ſe ad Dei gloriam &*

& populorum ſalutem utilius poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint. Atque ut nullus decretum tam claris verbis conceptum ſuis explicationibus obſcurare & depravare poſſet, obſtitit Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ eſt 33a. in qua ſic habet: *non ſolùm dignis, ſed etiam magis idoneis repertis, juxtà Concilii Tridentini decretum, Parochiales Eccleſiæ conferantur, volumus & eadem autoritate decernimus. Quòd ſi Epiſcopus minùs habilem poſthabitis magis idoneis elegerit, poſſint ii, qui rejecti fuerint, à mala electione hujuſmodi ad Metropolitanum appellare.*

Ex hoc Decreto authenticè ſic explicato mirari licet temeritatem & præſumptionem nonnullorum Theologorum, qui nimiùm faventes hominum cupiditatibus, etiam nunc docent licere eligere dignos poſthabitis dignioribus, Conciliique Decretum, non obſtante Pii quinti explicatione, interpretantur, vel potiùs depravant in hunc modum: *Cùm dixit Concilium Tridentinum*, inquiunt, *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel 1o. videtur per hoc* DIGNIORES *non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo pro poſitivo: vel 2o. locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos...: vel tantùm loquitur 3o. quandò ſit concurſus..* Sed ut obſtruatur os hominum loquentium iniqua, acceſſit anno 1679. Cenſura Innocentii XI. in quâ damnavit hujuſ-

modi Theologorum propoſitionem ut *ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam*, prohibuitque eam doceri ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Pontifici Romano reſervatæ.

Nec dicant adverſarii hanc cenſuram non fuiſſe in Gallia receptam; nam 1°. nihil indè lucrari poſſunt, niſi quòd non incurrant pœnam excommunicationis, qui in hoc regno damnatam propoſitionem docuerint; ſed ſemper erit verum in Gallia & ubique terrarum citatam propoſitionem, à Sede Apoſtolicâ, ad quam pertinet explicare Decreta Concilii Tridentini, fuiſſe damnatam uti ſcandaloſam & in praxi pernicioſam, atque Decreto Concilii Tridentini contrariam. 2°. Clerus Gallicanus anno 1700. eandem propoſitionem ſuâ cenſurâ notavit, tanquam Concilio Tridentino contrariam, & Eccleſiæ utilitati ac ſaluti animarum, quæ Paſtorum delectu præcipuè pendet, adverſam.

Probatur etiam ratione noſtra reſponſio: Qui in re gravi fidem debitam violat, lethaliter peccat: Atqui eligens minùs dignum, relicto dignori, fidem debitam violat in re gravi, ut patet exemplo œconomi in prima reſponſione mox allato: Ergo.

Confirmatur: Qui magis idonei cenſentur; veriùs dicerentur minùs inepti ad curam animarum. Non enim dicuntur magis idonei per ordinem ad officia exhibenda, quibus ſemper minùs ſufficiunt, quantiſcunque fulgeant dotibus; ſed ſolùm per comparationem ad eos qui minoribus dotibus ſunt inſtructi. Namque experientia conſtat ſub regimine eorum, qui magis idonei cenſentur, multos defectus contingere, nonnunquam oriri ſcandala & difficultates, quæ Præpoſitus potioribus dotibus

ornatus potuiſſet præcavere vel ſtatim ſopire. Undè omnibus perſpicuum eſſe debet eos graviter peccare, qui animabus regendis minùs dignos præferunt dignioribus, Chriſtumque de manibus eorum requiſiturum ſanguinem ovium ſuarum, quæ ſub imperfecto illo regimine peribunt.

Quod ſpectat illa Beneficia, quibus cura animarum annexa non eſt, quales ſunt Canonicatus, omnes agnoſcunt peccatum ſaltem veniale in iis, qui minùs dignos ad illa eligunt; quia hujuſmodi electio eſt contra juſtitiam diſtributivam. Sed multi contra alios negant eſſe peccatum mortale; quia (ut ipſis videtur) Eccleſia indè non patitur magnum incommodum. Verùm illa ſententia abſolutè & univerſaliter falſa eſt, januamque multis abuſibus & corruptelis aperit. Quare jure & meritò rejicitur à S. Antonino, *2. part. tit. 1. cap. 22. paragr.* 1. à Covarruvia, *2. part. qaragr. 7. num.* 4. à Cajetano, *quæſt. 67. art.* 2. à Navarro, *de Oratione, Miſcellaneo* 38. & ab alliis. Itaque.

R. 30. Eſt peccatum mortale, ſi beneficia ſine animarum cura ordinariè conferantur minùs dignis, rejectis dignioribus. Ita Leſſius, *lib. 2. de Benefic. cap.* 34. *dub.* 13. *n. 66.* Dico *ordinariè;* quia in nonnullis caſibus hæc beneficia abſque peccato etiam veniali ſic conferri poſſunt.

Caſus autem illi ſunt, ſi alimenta ſubminiſtranda ſint Paſtori infirmo & minùs idoneo ad officia Paſtoralia obeunda, ideòque à cura animarum removendo. Item ſi aliquis Sacerdos aut Clericus non poſſit aliter ex inopia relevari, quàm ſi ei conferatur aliquod beneficium ſimplex; quia ex hujuſmodi diſpoſitione Ec-

cleſia commodum percipit, ac proindè laudanda eſt potiùs, quam damnanda.

Probatur autem reſponſio abſolutè ſumpta, Quia ſi Patroni & alii ordinariè non curarent digniores præferre, peccarent in re magni momenti contra intentionem fundatorum & fidelitatem quam debent Eccleſiæ. Magni enim intereſt ad religionis Chriſtianæ decus, ut divina officia quàm decentiſſimè ac devotiſſimè celebrentur; Canonici, præſertim Cathedralium Eccleſiarum, doctrinâ & pietate præluceant, Epiſcopi cooperatores eſſe poſſint, meritòque Eccleſiæ ſenatus dicantur, quemadmodùm loquitur Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. c. 12. ubi propterea expetit, ut ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecleſiis & Collegiatis inſignibus conferatur tantùm Magiſtris, vel Doctoribus aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico.

Porrò bonum illud tàm neceſſarium, tàmque expetendum nunquàm aſſequitur Eccleſia, niſi depoſitiò omni favore humano & carnali affectu digniores præferantur. Atque ut vis hujus argumenti clariùs pateat, expendendum eſt, quinam vulgò cenſeantur digni comparati cum dignioribus.

Dignus cenſetur infelici hac noſtrâ ætate, in quem non cadunt illa flagitia quæ humanis puniuntur legibus, & reos infamia aſpergunt, quamvis bonis inhiet temporalibus, & in carne ambulans Deo placere non poſſit; qui faciliora Breviarii loca ſic interpretatur, ut in paulò difficilioribus hæreat, ſenſumque integrum eorum, quæ legit, nec aſſequatur, nec ſpiritualem fructum indè percipiat: qui denique tritis quæſtionibus ad ſacros Ordines accedentibus proponi ſolitis, utcunque facit ſatis, licèt in-

ferim rerum Theologicarum ſit omninò ignarus, nec ad earum ſtudium rudi ingenio pateat acceſſus, Scriptura quæ ſacra ſit illi veluti liber obſignatus. Ex quo fit, ut cùm nec lectio, nec oratio, rerumque divinarum meditatio ipſi ſapiant, deplorandâ quâdam neceſſitate ad externa delabatur, vel negotiis ſæcularibus ſe implicet, vel ludo, venationi & compotationibus indulgeat, vel ſaltem inutilibus planè colloquiis, ne dicam perniciosis, etiam cum mulieribus ſe ſe immiſceat, non turpi minùs quàm ſcandaloſo otio diffluens.

En digni quos conſanguinei & amici carnales eligunt Eccleſiæ bono, populorum exemplo, fundatorum votis, qui eâ mente bona ſua largiti ſunt, ut cultus divini numinis amplificaretur, & in iis ipſis locis, in quibus liberalitatis ſuæ monimenta reliquêre, nova fieret pietatis acceſſio, novumque Religioni decus adderetur. Porrò nemo non intelligit iſta non poſſe dici ſeriò, ſed ad verecundiam eorum, qui tales dignos nuncupant & eligunt.

Confirmatur: ſi beneficia etiam ſimplicia non darentur niſi dignioribus, plures indè ad virtutem & ſtudium litterarum incitarentur, ignavi & mente tardiores non per ſacros Ordines, ſed per honeſtam artem neceſſaria vitæ ſubſidia conquirerent, perſuaſi quòd Eccleſiæ beneficia non conferantur, niſi his qui ingenio, ſcientiâ virtutibuſque præcellunt, ſicque mirum in modum flóreret Religio. Sed cùm tanto bono privetur per infidelem eorum diſpenſationem, qui favore humano & affectu carnali accipiunt perſonas nullâ ratione habitâ majoris meriti, dubium non eſt, quin infideles illi diſpenſatores reos ſe conſtituant gravioris peccati.

Hæc ratio efficaciter concludit, primò quoad eos, qui ſua beneficia reſignant aut permutant, quia reſignandi & permutandi facultaté ab Eccleſia acceperunt cum eodem onere, quo obligantur Prælati. Secundò quoad Principes & illos omnes qui Reipublicæ officia diſtribuunt, quia niſi in his ſumma cura adhibeatur, & Reſpublica impletur miniſtris ambitioſis & avaris qui omnia ad ſua commoda detorquent, jura negligunt, & undique corradendo colligunt, ex quibus nonniſi omnis ordinis, publicæque tranquillitatis ſubverſio expectari poteſt.

Quamobrem in re tanti momenti, aït Leſſius lib. 2. cap. 32. dub. 30. num 12. *tenentur Superiores ſub peccato mortali, dare operam, ut quammaximé idoneis conferantur talia officia.* Addit idem autor, *aliquando tam multos abuſus irrepere, ut ii, qui aliàs videri poſſent idonei, in tali rerum ſtatu indigni cenſendi ſint, ac proinde Principem tùm maximè teneri præficere digniores, qui ſoli in illâ hypotheſi ſimpliciter digni habendi ſunt.*

Quibus autem dotibus ornati eſſe debeant, qui ad officia publica eliguntur, docet Scriptura Exodi 18. his verbis: *Provide de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam; & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* In quibus verbis quatuor dotes notantur iis neceſſariæ, qui aliis præficiuntur. Prima, ut ſint potentes, nempè ſapientiâ & animi fortitudine, ne extimeſcant faciem potentis, & ponant ſcandalum in æquitate ſuâ, ut dicitur Eccli. 7. verſ. 6. Secunda, ut timeant Deum; quia timor Dei expellit timorem humanum, & ad ea quæ ſunt juſtitiæ ſe-

ctanda compellit ; ſcriptum eſt enim Eccli. 25. verſ. 14. *Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*, & cap. 15. *qui timet Deum , faciet bona.* Tertia , ut ſit in eis veritas , id eſt neminem decipiant, ſed præſtent quod promiſerunt , & quod legibus præſcribitur. Quarta , ut ſint odientes avaritiam , id eſt , non ſtudeant opibus accumulandis , multò minus munera accipiant. Hic eſt enim maximus juſtitiæ ſcopulus , ut idem Leſſius notat.

Objiciuntur nonnulla : primum , jura ſive antiqua ſive nova , præſertimque Concilium Trident. Seſſ. 7. cap. 3. de Reformat. ſolùm requirunt ut beneficia conferantur dignis; quibus ſuccinunt Canoniſtæ communiter. Secundum, juxta antiquos Canones non ſolent beneficia conferri , niſi Preſbiteris aut Clericis ejuſdem Eccleſiæ , ut patet ex capite *Nullus* , & capite *Obitum*, diſtinct. 61. Tertium , Apoſtolus primæ ad Tim. cap. 3. & ad Titum cap. 10. enumerans conditiones Epiſcopi , non requirit ut ſit ceteris omnibus dignior. Quartum , ſequeretur teneri eum qui ſe agnoſcit minùs dignum renuntiare beneficio , ad quod electus eſt.

Reſpondeo 1°. hæc & ſimilia nimis probare, cum indè concludi poſſit , etiam ſine peccato veniali , poſſe præferri dignos dignioribus , quod eſt contra omnium ſententiam.

Reſpondeo 2°. ad ſingula.

Ad primum , jura illa præſertimque Concilium Tridentinum , velle ſolùm electionem non eſſe irritandam in foro externo , ſi electus ſit dignus : quòd enim grave peccatum admittatur ſi rejiciatur dignior , diſertè docet citat. Seſſ. 24. cap. 18. de Reformat Eodem modo intelligendi ſunt Canoniſtæ.

Ad ſecundùm, ideò hæc obſervari, quòd ple-

rumque hi ſoleant eſſe utiliores ſuæ Eccleſiæ, quàm extranei; magis enim erga eam afficiuntur.

Ad tertium, tot conditiones requirit Apoſtolus, ut rariſſimi ſint, qui eas omnes impleant.

Ad quartum, 1°. hanc conſequentiam nihil contineri abſurdi, maximè cùm fulciatur exemplo Sanctorum, qui etſi ingenio & virtute pollerent, tamen regendis populis impares ſe judicantes, nonniſi coacti tantum onus ſubiere. 2°. Si electus videat ſe favore electum, & judicio ſapientum indignum, debet abjicere. 3°. Peccavit contra juſtitiam diſtributivam, ſi petiit ut digniori præferretur. 4°. Si humiliter de ſe ſentiens alios ſe digniores exiſtimet, debet ſequi conſilium viri prudentis, & efficere ut diligentiâ ſuâ compenſet quod ſibi deeſſe putat. Nam ex dictis dignior eſt, non qui abſolutè doctior aut ſapientior; ſed qui utilior plebi quam regit. Porrò qui hæc non præſtiterit, ſi in trutina ſanctuarii appenſus, levis, aut dubii admodum meriti reperiatur, quis pro eo ſpondere audebit, atque ante tribunal Chriſti ipſum defendere contra leges humanas & divinas & Sanctorum omnium exempla?

CAPUT IV.

De Juris diviſione.

Q. 10. *Quomodò Jus ſtrictè ſumptum dividitur?*

R. Dividitur in jus in re, & in jus ad rem.

Q. *Quid eſt jus in re?*

R. Eſt poteſtas legitima in re obtenta tanquam ſua, diciturque jus reale; quale habetur per emptionem & alios contractus, ſecutâ rei traditione.

Q. 30. *Quid eſt jus ad rem?*

R. Eſt poteſtas legitima ad rem obtinendam, ſibique obligandam, qualis contingit per ſtipulationem, donationem, vel emptionem ante traditionem rei; quanquam in hoc regno fiat traditio per contractum ipſum, in quo venditor v. g. teſtatur ſe rei poſſeſſionem relinquere, adeòque res ei tradita cenſetur, cui inſtrumentum traditum eſt.

Jus ad rem non dat actionem in rem, ſed in perſonam. Undè ſi res tibi vendita, putà vinum, ante traditionem vendatur alteri, eam tibi vindicare non potes, nec urgere emptorem ut eam tibi reſtituat; ſed habes actionem perſonalem in venditorem qui te fraudavit, ut tradat quod tibi vendidit. Jus verò in re dat actionem in rem ipſam. Undè ſi res tibi vendita ſit & tradita, quocunque tranſeat, potes eam vindicare, tanquam tibi obſtrictam; quia omnis res tranſiit cum onere quo affecta eſt. Hinc in Beneficiis, is qui prior eſt in data, ut loquuntur, præfertur ceteris, etiamſi illi priùs proviſiones atque poſſeſſionem fuerint adepti; quia primus habet jus in re; nam in Beneficiis acquiritur jus in re & quaſi dominium per collationem, & acceptationem abſque eo quòd traditio ſit neceſſaria, ut patet ex capite *Si tibi abſenti*, tit. de Præb. in 6°.

Q. 4°. *Quænam ſunt ſpecies juris in re?*

R. Dominium, uſus fructus, ſervitus, jus hypothecæ, & pignus, emphyteuſis, feudum, libellus, ſuperficies, & poſſeſſio.

Q. 5°. *Quomodò dividitur dominium?*

R. In dominium juriſdictionis & dominium proprietatis.

Q. 6°. *Quid eſt dominium juriſdictionis?*

R. Eſt poteſtas gubernandi ſubditos, quo ſenſu Principes domini dicuntur; ſed de hoc dominio hîc non agitur.

Q. 7°. *Quid eſt dominium proprietatis?*

R. Definitur jus in re, ſe extendens ad omnem ejus uſum & diſpoſitionem, niſi lege prohibeatur. Ab hoc dominio quiſque dicitur dominus rei ſuæ: ſive ille ſit perſonna privata, ſive publica, ſive etiam communitas; nam reſpublica poteſt poſſidere bona jure privato inſtar perſonnæ privatæ.

Dicitur 1°. *jus in re*, quæ particula eſt vicè generis, quia dominium omne eſt jus in re, licèt omne jus in re non ſit dominium, ut patet ex uſufructu & uſu, qui ſunt jus in re, nec tamen neceſſariò includunt, aut ſupponunt dominium, v. g. locatarius habet uſum domûs, ſine ejus proprietate ac dominio.

Dicitur 2°. *ſe extendens ad omnem ejus uſum & diſpoſitionem*; quæ particulæ habent locum differentiæ; quia ſolum dominium plenum extendit ſe ad omnem rei uſum & diſpoſitionem, cùm alia jura, ut uſusfructus, ad aliquam tantùm diſpoſitionem rei ſe extendant. Convenit autem illa diſpoſitio homini comparato tantùm ad hominem; non enim eam habet comparatè ad Deum, reſpectu cujus nullus eſt dominus; juxta illud Cantici, *Tu ſolus Dominus*.

Dicitur 3°. *niſi lege prohibeatur*; quia licèt dominium ſe extendat ad omnem uſum & diſpoſitionem rei, tamen hujus facultatis actus lege poteſt impediri: nam pupillus v. g. non poteſt alienare ſua bona uſque ad certum tempus,

cùm tamen ſit dominus, ut habetur ad Galatas c. 4. Idem de amentibus & furioſis dicendum. Atque ut hæ particulæ definitionis melius intelligantur,

Nota duobus modis aliquem impediri poſſe quominùs de re diſponat. 1o. Si diſpoſitio non ſit contra juſtitiam, licèt ob prohibitionem legis invalida foret. 2o. Si diſpoſitio fiat contra juſtitiam. Si 1o. modo aliquid obſtet, non deſinit eſſe plenum dominium, quia novum jus non acquiritur ſublato impedimento; ſic cùm pupillus ſit major, & tollitur impedimentum legis, nullum novum jus acquirit in bona ſua; quemadmodum nullam novam acquirit facultatem, qui incipit poſſe aperire oculos, quos alius ante occludebat: Si 2o. modo aliquid obſtet, erit dominium imperfectum; quia quando tollitur impedimentum, jus aliquod novum acquiritur domino; ſic dominus feudi jus novum acquirit, cùm ipſe incipit ſui feudi fructus percipere poſſe abſque cujuſquam injuriâ: ſimiliter novum dominium acquireret, cui concederetur facultas alienandi majoratum & alia bona vinculata. Ex quibus facilè intelligitur quid inter dominium perfectum & imperfectum interſit.

Majoratus autem eſt majori natu competens dominium bonorum, quæ alienari gravarique non poſſunt.

Bona vinculata, ſunt bona habentia annexum vinculum, ut alienari gravari-ve non poſſint.

Q. 80. *Quænam requiruntur ad dominium?*

R. Duo requiruntur, ſcilicet titulus, & traditio, niſi aliter diſponat. Requiritur 1o. titulus, cujus defectu fur & uſurarius dominium non habent circa pecuniam furto & uſura acquiſitam. 2o. Traditio, ut habetur leg-

de trad. Cod. de pactis. *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.*

Dixi, *niſi lex aliter diſponat*, quia licèt lex ordinariè requirat traditionem, tamen certis in caſibus eam non requirit. 1°. In Beneficiis per ſolam collationem & acceptationem jus in re acquiritur, ut ſuprà diximus. 2°. In hæreditate; ut enim quis fiat dominus hæreditatis ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, id eſt, ſine teſtamento, non requiritur aliud quàm ut hæreditas adeatur ex leg. *Cùm hæredes* 23. Digeſt. *de acquirenda vel amittenda poſſeſſione.* Aditur autem hæreditas, dum acceptatur dicto vel facto. 3°. In legatis; ſi enim tibi res certa legata ſit, hoc ipſo quo hæres acceptat hæreditatem, efficeris ejus dominus, ut habetur leg. *à Titio* 64. Digeſtis *de furtis*, ubi dicitur, *quòd res legata recta via ab eo qui legavit, ad eum cui legata eſt tranſeat.* 4°. In donatis ad pias cauſas, ſi quid Eccleſiis, Monaſteriis, Xenodochiis & aliis locis piis, aut in redemptionem captivorum donatum ſit, ſine ulla traditione acquiritur, leg. *Ut inter jus divinum* 23. Cod. *ſacro-ſanctis Eccleſiis.* 5°. In donatione ſub ea conditione quòd donatarius alimenta donanti præbeat: illo non præbente ſtatim recipitur dominium & poſſeſſio illius rei abſque ulla traditione, leg. 1. Cod. *de trad. quæ ſub modo.* 5°. Si res aliqua hypothecæ ſubjiciatur, & aliundè non ſit unde ſatisfiat, creditor jus habet in re in hypothecam data. His caſibus, in quibus non requiritur traditio, addi poſſunt alii privatis regnorum legibus.

Advertes autem, licèt in recenſitis caſibus dominium rei acquiratur ante traditionem, non tamen acquiri ejuſdem poſſeſſionem; poſ-

ſeſſio enim niſi naturaliter apprehenſa ſit, ad nos non pertinet; nam ut dicitur in lege *naturaliter*, paragrapho *de acquirenda poſſeſſione*, nihil commune habet proprietas cum poſſeſſione; quia ſæpè accidit hunc eſſe verum domûs dominum, alium verò poſſeſſorem; dominium enim juris eſt, poſſeſſio magis facti.

Q. 60. *Quid eſt titulus?*

R. Eſt radix dominii, ut donatio, venditio, ſucceſſio hæreditaria; quærenti enim cur ſim dominus ejus rei, oſtendo pro titulo venditionem aut donationem tanquam dominii fundamentum: quæ explicatio oſtendit titulum eſſe quid diſtinctum à dominio, ſicut radix à re, cujus eſt radix, diſtinguitur. Addo poſſe eſſe titulum ſine dominio, ut ſi res donata aut vendita nondum ſit tradita, quia tunc ad ſummum erit jus ad rem, non jus in re: dominium autem eſt jus in re, ut diximus.

Q. 100. *Quotuplex eſt titulus?*

R. Duplex, verus ſcilicet & præſumptus: verus eſt vera radix & origo dominii, ut ſi quis emat domum à vero domino, habet pro titulo veram emptionem. Præſumptus eſt qui præſumitur vera radix dominii, cùm non ſit, ut cùm quis bona fide poſſidet rem ab eo ſibi donatam, quem putat verum dominum, licèt talis non ſit.

Q. 110. *Quomodo dividitur dominium proprietatis?*

R. Dividitur in dominium altum, & dominium humile: altum eſt quod habet Princeps, vel Reſpublica in bona privatorum ratione cujus poteſt bona privatorum propter bonum commune ſibi vindicare. Humile eſt quod unuſquiſque habet in ſuam rem. Prius dominium dici poteſt remotum, poſterius, proximum; nam Reſpublica non poteſt uti

proximè privatorum bonis, ſed tantùm interveniente utilitate communi: privatus verò poteſt proximè ſuis bonis uti, & abuti abſque injuſtitia.

Q. 12°. *Quotuplex eſt dominium humile?*

R. Duplex, ſcilicet plenum, & non plenum: plenum eſt quando quis habet proprietatem rei ſimul & uſum. Non plenum eſt quando habetur duntaxat, vel proprietas rei, vel uſus vel uſusfructus. Dicitur etiam dominium non plenum, cùm res una eademque indiviſibiliter à pluribus poſſidetur; ſed prior acceptio eſt communior.

Q. 15°. *Quotuplex eſt dominium non plenum?*

R. Duplex, directum, & utile: directum eſt quod rei proprietatem tantùm continet; qui habet tale dominium, dicitur proprietarius. Utile continet ſolùm rei commoditatem & utilitatem; quale dominium habet uſufructuarius, feudatarius, emphyteuta. Requiritur autem ſemper ad dominium directum: ut in aliquo caſu poſſit redire ad dominium jus utendi, aliàs dominium directum inutile videretur.

Q. 14°. *Quid eſt uſusfructus?*

R. *Eſt jus utendi & fruendi rebus alienis, ſalvâ earum ſubſtantiâ*: ita leg. 1. Digeſtis *de uſufructu.*

Dicitur 1°. *jus*, ut diſtinguatur ab uſufructu actuali, qui dicitur uſus facti.

Dicitur 2°. *utendi*, ut diſtinguatur à jure quod habet creditor in pignore vel hypothecâ aut depoſitarius in depoſito; his enim rebus uti non poſſunt.

Dicitur 3°. *fruendi*, ut diſtinguatur uſusfructus à mero uſu, quia non extendit ſe ad fructus percipiendos; qui enim habet uſumfructum pecudum, habet fœtus, lanam, lac,

&c. ex Digeſt. leg. *de rerum diviſione*, ubi partus ancillæ dicitur non eſſe in fructu, quia abſurdum eſt hominem in fructu eſſe, cùm omnes fructus in rerum natura, gratia hominis ſint.

Dicitur 4°. *rebus alienis*, ut diſtinguatur uſus fructus formalis qui hîc definitur, ab uſufructu cauſali, qui cum proprietate conjunctus eſt, quique competit ſolùm domino proprietatis.

Dicitur ultimò, *ſalvâ earum ſubſtantiâ*; quia uſufructuarius debet rem integram proprietario reſervare. Quare uſusfructus propriè non eſt in his rebus quæ uſu conſumuntur, quales ſunt veſtes, numerata pecunia, vinum, oleum, &c. ex Inſtit. paragrapho *Conſtituitur*, titulo *de uſufructu*.

Dixi; *propriè*; nam etiam impropriè cadit uſusfructus, verbi gratiâ; in pecuniam; qui in eo conſiſtit, ut ſi legatarius accipiat uſumfructum pecuniæ, ſatisdare debeat hæredi de tanta pecunia reſtituenda, ſi moriatur. Hinc

Sequitur 1°. Eum qui habet uſumfructum totius armenti vel gregis collectivè ſumpti, teneri reſtituere totidem capita in locum mortuorum, ex fœtu quem percipit: quæ ubi ſubſtituta fuerint, cedunt in dominium proprietarii. Dixi, *collectivè*, nam ſi uſufructarius ſit tantùm ſingulorum capitum diviſim, non obligatur ad ſubſtituenda alia capita.

Sequitur 2°. Si quis ſit uſufructuarius vineæ aut ſylvæ, loco arborum aut vitium demortuarum, tenetur alias plantare, niſi tempeſtate aut ſimili caſu everſæ ſint.

Sequitur 3°. Si uſufructarius ſit ædium, tenetur modicas expenſas conferre de ſuo ad

earum reparationem, ut integræ permaneant, ſecùs ſi vetuſtate corruerint. Ei quoque incumbunt alia onera vel tributa ſolvenda, quæ rei ſunt impoſita. Tenetur etiam ad rationabilem rei uſum, & ſe gerere debet tanquam bonus paterfamilias, qui rem ſibi & ſuis in poſterum conſervare cupit.

Q. 170. *Quibus modis uſusfructus acquiritur?*

R. Duobus: primus eſt per diſpoſitionem legis, diciturque legalis, & hoc modo pater acquirit uſumfructum bonorum adventitiorum filii. Secundus eſt conventionalis, quia acquiritur per conventionem contrahentium, putà per contractum venditionis; poteſt etiam acquiri per ultimam voluntatem.

Q. 160. *Quid eſt uſus?*

R. Definitur, jus utendi tantùm re alienâ ad ſuum, non verò ad alienum uſum.

Dicitur, *utendi tantùm*, ut intelligamus multò minus juris competere uſuario, quàm fructuario; nam ut habetur Inſtitut. *de uſu & habitatione*, qui fundi nudum habet uſum, nihil ampliùs habere intelligitur, quàm ut oleribus, pomis, floribus, fœno, & lignis ad uſum quotidianum utatur. Tandem qui uſum ædium habet, ipſe ſolus eas habitare poteſt, vixque illi hoſpitem recipere licet. Similiter qui ſolùm uſum pecorum haberet, iis quidem uti poſſet ad ſtercorandum agrum ſuum; ſed non poſſet uti agnis, lacte, lana, &c. quia iſta ſunt in fructu.

Q. 170. *Quotuplex eſt uſus?*

R. Duplex, alius eſt irrevocabiliter conceſſus, quomodò in mutuo conceditur uſus pecuniæ, panis & vini. Alius revocabiliter conceſſus, qualis eſt uſus ciborum, & veſtium, quæ Superiorum Monaſterii concedit Religioſo ſub-

dito : ita enim concedit horum uſum, ut ad libitum revocare poſſit.

Q. 180. *In rebus quæ unico uſu conſumuntur, qualia ſunt vinum, frumentum, uſus poteſt-ne diſtingui à dominio?*

R. Celebris eſt quæſtio propter votum paupertatis, quo Fratres Minores profitentur ſe abjicere rerum omnium dominium etiam in communi, nudumque earum habere uſum. Ita ut panis quem comedunt, veſtes quibus veſtiuntur, pertineant ad Sedem Apoſtolicam; quod fictitium aliqui exiſtimant, quin & Joannes XXII. in Extravagante *ad Conditorem* profitetur ſe abdicare à ſe & à Sede Apoſtolica omne dominium harum rerum, ne Fratres Minores prætendant illud eſſe apud Sedem Apoſtolicam.

Conſtat ex dicendis, ubi de Mutuo, uſum irrevocabilem rerum unico uſu conſumptibilium non diſtingui à proprietate rei, & ita docet S. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 78. art. 1. *Quæ uſu conſumuntur*, inquit, *cuicunque conceditur uſus, conceditur etiam res ipſa ejuſque dominium.* Unde colligit ex mutuo hujuſmodi rerum non poſſe exigi uſuram ſeu pretium usûs diſtinctum à pretio rei mutuatæ. Difficultas ſolùm eſt de uſu revocabili.

Negavit Joannes XXII. in citata Extravagante ejuſmodi uſum ſeparari poſſe à dominio; ſed contra aſſeruit Nicolaus III. capite *Exivit qui ſeminat*, de verborum ſignificatione, ubi omnem proprietatem tam in ſpeciali quàm in communi à Fratribus Minoribus abdicari decernit.

Suadetur hæc ſententia duobus exemplis, 1°. Religioſi, qui peccaret contra votum paupertatis, ſi panem in uſum ſibi à Superiore conceſſum, vel alteri daret, vel Superiori re-

petenti reddere nollet : Ergo cùm de toto pane non poſſit libitum diſponere, ſequitur ipſum ejus non habere proprietatem. 2°. Convivarum, qui habent uſum ciborum menſæ appoſitorum, nec tamen poſſunt dici eorum habere dominium, ut pote qui aliis eos dare aut vendere non permittantur.

Dices : iſta diſtinctio usûs & dominii in rebus unico uſu conſumptilibus uſuris viam aperit ; poſſet enim quis dicere mutuando pecuniam ſe transferre non ſolùm uſum ejus, ſed & dominium tanquam duo diſtincta, & ita recipere à mutuatario ſortem principalem propter dominium ad ipſum tranſlatum, & uſuram propter uſum ipſi conceſſum : Ergo.

Nego antecedens ; vel enim revocatur jus utendi, v. g. pecuniæ antequam conſumatur, vel non : ſi revocetur jus illud non eſt pretio æſtimabile, nec debet dominus aliquid accipere pro eo : quia nec rei illum damnum paſſus eſt : nec qui rem utendam acceperat, lucrum percepit. Si non revocetur, æqualiter rem ſervat mutuatarius reddendo tantùm, quantùm accepit, ac proinde mutuans contra juſtitiam ampliùs exigeret.

Q. 19°. *Unde nomen Emphyteuſis ?*

R. A verbo græco, quod latinè ſignificat *inſero*, vel *conſero* ; quia hic contractus inventus eſt, ut agri ſteriles & inculti meliorentur, quod fit ſerendo, plantando, &c. Uſus tamen obtinuit ut etiam fœcundæ terræ in emphyteuſim dentur.

Q. 20. *Quomodo definitur Emphyteuſis ?*

R. Definitur contractus quo res aliqua immobilis utenda, fovenda, ac melioranda traditur ſub certa penſione. Qui rem ipſam accepit, dicitur Emphyteuta ; quod traditur, res

emphyteutica; penſio quæ debetur, dicitur canon; nec debet tanta eſſe, quanta perciperetur ex annuo cenſu. Ergo Emphyteuta tenetur ad meliorationem, nec petit diminutionem penſionis, niſi re totâ pereunte, vel ab hoſtibus capta, ex Gloſſa in cap. finale *de locatione.*

Q. 21°. *Quomodo diſtinguitur ab uſufructu?*

R. Tripliciter, 1°. Quia Emphyteuta poteſt transferre jus ſuum in alium, non uſufructuarius, 2°. Uſusfructus eſt etiam in rebus mobilibus, non Emphyteuſis. 3°. Ob Emphyteuſim debetur penſio, non ob uſumfructum. Denique uſusfructus morte fructuarii finitur, non ſemper Emphyteuſis; poteſt enim dari in perpetuum, vel ad plures generationes.

Q. 22°. *Unde nomen Feudi?*

R. A fœdere, vel à fide, ſeu fidelitate; quam vaſſallus domino præſtare debet; eſt enim quoddam genus clientelæ propter dignitatem, vectigal, vel prædium datum, eâ lege ut qui accipit & ejus poſteri, beneficii auctorem perpetuò noſcant.

Q. 23°. *Quomodo definitur Feudum?*

R. Definitur, contractus quo traditur res immobilis pro fidelitate & ſervitio perſonali exhibendo, retentâ proprietate, ut ſi Rex caſtrum dederit viro nobili. Qui dat, dicitur infeudator: qui accipit, veſſallus ſeu feudatarius: quod datur, res feudalis, aut etiam feudum, ſive ſit prædium ſive officium, aut quid aliud immobile, vel quod pro immobili habetur.

Q. 24°. *Quomodo differt Feudum ab Emphyteuſi?*

R. Differt 1°. Quòd Feudum, niſi aliter in conventione ſit expreſſum, deſcendat tantùm ad maſculos. 2°. Quòd in feudo propriè dicto,

imponatur ut plurimùm onus & perſonale; v. g. honorem ac reverentiam domino præſtandi, eum adjuvandi & defendendi contra hoſtes: in Emphyteuſi verò realis penſio ſolvatur. 3o. Quòd in Emphyteuſi non requiratur inveſtitura, quæ in feudo intervenit, ſive ſit realis & corporalis, ut quando feudatarius emittitur in poſſeſſionem caſtri, ſivè ſit abuſiva, ut quæ fit traditione annulli, enſis, &c.

Q. 25o. *Quid eſt Libellus?*

R. Eſt contractus quo Emphyteuta aut vaſſallus rem emphyteuticam, aut feudalem ab aliquo acceptam, dat tertio in emphyteuſim aut feudum. Qui rem ejuſmodi accipit, dicitur libellarius.

Q. 26o. *Quid eſt Superficies?*

R. Eſt jus quo quis habet ſuperficiem ſoli alieni, atque in eo ædificare poteſt. Qui eo jure gaudet, dicitur ſuperficiarius: proprietas autem domûs ſuperficiariæ pertinet ad dominum ſoli: ædificium enim cedit ſolo in quo conſtruitur. Superficiarius tamen dominium utile habet; unde ſub uſufructuario latiùs ſumpto comprehendi poteſt.

Q. *Quid eſt ſervitus?*

R. Definitur jus quod quis habet in re aliena ut ſibi ſerviat: dico *in re aliena*, quia res domino proprietatis propriè non ſervit.

Q. 28a. *Quotuplex eſt ſervitus?*

R. Duplex, realis & perſonalis. Realis eſt ea quæ à re debetur immediatè alteri rei; ſic ager tuus ſervit meo, quatenus ager meus dat mihi jus ut poſſim per tuum tranſire. Perſonalis eſt ea, qua res perſonæ obligatur, vel è contra, ut ſi jus habeam non propter agrum, ſed aliundè hac tranſeundi.

Q. 26°. *Quotuplex eſt ſervitus realis?*

R. Duplex, urbana ſcilicèt, quæ prædio urbano debetur; & ruſtica, quæ ruſtico. Prædium autem urbanum dicitur, vel habitaculum, etiamſi villa ſit, vel hortus amœnitatis causâ ei annexus. Ruſticum verò ſunt agri, prata, pecorum ſtabula à domibus ſejuncta.

Servitutes urbanæ ſunt verbi gratia, ut ædes non poſſint altiùs attolli, ne officiant vicini luminibus: feneſtram in muro aperire non liceat. Hujuſmodi ſervitutes dicuntur negativæ: affirmativæ verò ſunt, ut ædium mearum ſtillicidium in ædes, vel aream tuam recipiatur, ut lignum in tuum parietem mittatur, & ex domo mea in domum tuam tranſitus pateat.

Servitus ruſtica vel eſt nominata, vel innominata: illius ſpecies ſunt, iter, actus, via, aquæ ductus. Iter eſt jus eundi, ambulandi, non tamen agendi jumentum aut vehiculum. Via eſt jus eundi, ambulandi, & agendi. Actus eſt jus agendi jumentum & vehiculum. Aquæ ductus eſt jus aquæ ducendæ per alium fundum. Ad innominatam pertinent aquæ hauſtus, pecoris ad aquam appulſus, jus paſcendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

Q. 30°. *Quomodo conſtituitur ſervitus?*

R. Conſtituitur aut voluntate præſentium, aut emptione, aut donatione, aut teſtamento, aut contractu, ex paragrapho ultimo Inſtit. *de ſervitute prædiorum.*

Q. 31°. *Quomodo finitur ſervitus?*

R. Finitur 1°. contrariis pactis, aut ipſa redditione ſervitutis: 2°. exacto tempore ad quod fuit conceſſa: 3°, præſcriptione: 4°. reductione prædiorum ad ejus dominium cui ſerviebant, ex lege prima, parag. *Quemadmodum ſervitutes*

amittantur: 5°. alluvione, quamvis ſervitus in priſtinum ſtatum reſtituatur ceſſante alluvione.

Q. 32°. *Unde dicitur poſſeſſio?*

R. A pedum poſitione, quia per pedum poſitionem agrorum ſolet acquiri poſſeſſio.

Q. 33°. *Quotuplici modo ſumitur poſſeſſio?*

R. Duplici: 1°. materialiter pro re poſſeſſa; quomodo dicitur ager poſſeſſio alicujus: 2°. formaliter pro actu & jure poſſidendi, à quo denominatur quis poſſeſſor: actus poſſidendi dicitur poſſeſſio facti: jus verò poſſidendi, poſſeſſio juris.

Q. 34°. *Quomodo definitur poſſeſſio facti?*

R. Definitur, detentio rei adminiculo corporis, & animi, & juris.

Dicitur 1°. *detentio rei*, ſive corporeæ, ut agri, ſive ſpiritualis, ut Beneficii. Nomine autem detentionis intelligitur etiam apprehenſio, quæ eſt inchoatio poſſeſſionis.

Dicitur 2°. *adminiculo corporis;* quia, ut res incipiat poſſideri, debet aliquo modo apprehendi, v. g. manibus, pedibus, oculis, vel ſimili modo in ſe, vel in alio, in quo cenſeatur contineri, v. g. in ſcriptura vel inſtrumento publico; nam in tali inſtrumento res ipſa contineri videtur.

Dicitur 3°. *& animi* adminiculo; quia debet apprehendi animo poſſidendi. Unde qui rem alienam à fure aufert vero domino ſtatim reſtituendam, rem illam non dicitur poſſidere; quia eam non detinet animo retinendi ſibi.

Dicitur 4°. *& juris* adminiculo, non quòd omnis poſſeſſio juſta ſit, nam fur verè poſſidet rem furtivam; ſed quia jus facit, ut talis detentio ſufficiens cenſeatur ad conſtituendam poſſeſſionem; nec eam impedit, ſicut impedit, ne deten-

tio rei ſacræ per Laïcum, cenſeatur poſſeſſio.

Q. 359. *Quomodo definitur poſſeſſio juris;*

R. Definitur, jus inſiſtendi alicui rei tanquam ſuæ non prohibitæ poſſideri.

Dicitur 1°. *jus*, ut excludatur poſſeſſio facti, qua formaliter eſt ipſa occupatio & detentio.

Dicitur 2°. *inſiſtendi rei*, ut excludatur dominium, quod per ſe & formaliter eſt ſolùm jus diſponendi de re; hoc verò jus in eo ſitum eſt, quòd poſſeſſor poſſit rem pacificè tenere, & juris remediis, interdum etiam armis tueri adversùs perturbantes: quod dicitur inſiſtere rei.

Dicitur 3°. *tanquam ſuæ:* nam ſi quis inſiſtat rei, nomine alterius, non erit vera poſſeſſio. Unde tutor non eſt poſſeſſor bonorum pupilli, ſed pupillus poſſidet per tutorem.

Dicitur 4°. *non prohibitæ poſſideri;* quia nemo poteſt habere jus poſſidendi contra juris diſpoſitionem, ſeu jure reſiſtente.

Poſſeſſio iterùm dividitur in poſſeſſionem bonæ fidei, qualis eſt in eo qui ex ignorantia invincibili putat ſe juſtè detinere, quod revera non debet detinere: & malæ fidei, qualis eſt in eo, qui contra leges rem aliquam ſcienter detinet. Item in coloratam, quæ habet titulum præſumptum: & non coloratam, quæ evidenter eſt injuſta.

Uſitatiſſima diviſio poſſeſſionis eſt in civilem & naturalem.

Q. 360. *Quid eſt poſſeſſio civilis?*

R. Eſt detentio rei adminiculo ſolius animi, quamvis enim ad inchoandam poſſeſſionem civilem ſit opus adminiculo corporis & animi; tamen ad illam continuandam ſufficit animus illam retinendi. Hoc modo abſens poſſidet domum; quia eam retinet animo.

Q. 37°. *Quid eſt poſſeſſio naturalis?*

R. Poſſeſſio naturalis poteſt conjungi cum civili, ut quando quis eſt præſens per ſe, vel per alium rebus quas civiliter poſſidet: diciturque civiliter & naturaliter poſſidere, & hæc poſſeſſio eſt firmiſſima. Poteſt etiam eſſe ſeparata à civili ut ſi invaſor occupet rem tuam immobilem, ille naturaliter poſſidet, tu verò civiliter. Prior poſſeſſio eſt infirmior poſteriore: attamen valet, ne poſſeſſor ab extraneo deturbari poſſit, & interdum ne ab ipſo quidem domino ſine autoritate publica.

Advertes civilem poſſeſſionẽ dici aliquando, quâ res poſſidetur quoad dominium directum; naturalem verò, quâ poſſidetur ſecundùm uſumfructum, vel uſum, vel habitationem; hinc uſufructuarius dicitur poſſidere naturaliter uſumfructum.

His duabus ſpeciebus poſſeſſionis additur tertia, quam vocant civiliſſimam, quia fit ſola legis civilis poteſtate, abſque ullo animi vel corporis adminiculo, etiam neſciente eo qui incipit poſſidere. Hoc modo apud nos etiam hæres parvulus poſſidet hæreditatem defuncti, ſine ullo apprehenſionis actu.

Q. 38°. *Quænam ſunt fructus, quæve privilegia poſſeſſionis?*

R. Primò poſſeſſio parit præſcriptionem. 2o. Melior eſt conditio poſſidentis in dubio quis ſit verus dominus. 3o. Habet præſumptionem dominii, unde poſſeſſor non tenetur probare rem eſſe ſuam. 4o. Poſſeſſor poteſt etiam armis tueri poſſeſſionẽ ſuam, & expulſus, armis eam repetere, modò id fiat ſtatim & non ex intervallo; alias recurrendum eſſet ad auctoritatem publicam. 5o. Turbatus priùs reſtituendus eſt in poſſionem, quàm de juſtitia poſſeſſionis agatur

Q. 39°.

Q. 39°. *Quomodo acquiritur poſſeſſio?*

R. Tribus modis: Primus eſt apprehenſio vera, quæ fit manibus, vel pedibus. Secundus, apprehenſio ficta, quæ fit per contractum, v. g. vel traditionem clavis. Tertius eſt legum diſpoſitio, per quam fit, ut ſine apprehenſione verâ vel fictâ res poſſideatur, putà hæreditas ab hærede, ut ſupra diximus.

Q. 40°. *Quomodo amittitur poſſeſſio?*

Tripliciter. 1. Si poſſeſſor cedat. 2°. Si res pereat. Si ſententiâ Judicis, vel alio facto inducatur contraria poſſeſſio.

CAPUT V.

De diviſione & acquiſitione rerum.

Nota 1°. Ex dictis legem nonnunquam Jus appellari, quod frequentius eſt in præſenti materiâ, ubi quæritur quo jure, id eſt quâ lege facta ſit rerum diviſio.

Nota. 2°. Jus hoc modo ſumptum eſſe duplex; naturale ſcilicet, & poſitivum. Naturale eſt, quod ex rei natura pendet, & non ex libera voluntate Dei, vel hominis. Poſitivum verò, quod vel ex Dei voluntate pendet, & dicitur Jus divinum; vel ex voluntate hominis, diciturque jus humanum, quod ſubdividitur in jus gentium, canonicum, & civile, quæ latiùs explicata ſunt, ubi de Legibus.

Nota 3°. Difficultatem eſſe circa jus gentium. Quidam enim ad jus gentium referunt concluſiones, neceſſariò elicitas ex principiis naturalibus, vel ſaltem concluſiones obſcuriores. Sed minùs rectè; neque enim humanæ gentes, ſed ipſamet rerum natura conſtituit

honorandos parentes, uſuram fugiendam: quæ ſunt concluſiones neceſſariò elicitæ ex principiis naturalibus, & independenter à voluntate hominum. Alii communiter docent jus gentium eſſe leges, in quibus omnes gentes facilè convenerunt; quia ſine illis, quamvis abſolutè, vix tamen ſocietas humana conſervari poſſet. Et ita jus gentium eſt jus poſitivum humanum, à voluntate hominum pendens.

Definitur jus gentium, Jus, quod naturalis ratio conſtituit inter homines, quodque, uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes ſibi conſtituerunt. His præſuppoſitis.

Q. 1°. *Quo jure facta eſt rerum diviſio?*

R. 1°. Non eſt facta jure naturali; quia ſtando in jure naturali omnia ſunt communia. Dictat quidem natura in hoc ſtatu naturæ corruptæ faciendam eſſe diviſionem, tùm ad tollendam inertiam; facilè enim homines negligunt communia, & propria curant: tùm ad conſervandam pacem; ſi enim res manſiſſent communes, multi concurrerent ad eandem rem occupandam, & potentiores omnia raperent. Sed natura ipſam diviſionem non facit, nec imperat, poſſent enim cogi inertes, & rapaciores coërceri alio modo, quam rerum diviſione.

R. 2o. Non eſt facta jure divino, nullum enim extat tale jus in ſcripturis. Imò videntur omnia omnibus indifferenter conceſſa. Geneſ. 1. *Replete terram, & ſubjicite eam: ecce ego dedi vobis omnem herbam.* Diviſerunt ergo homines quod Deus dederat ipſis in commune: quemadmodùm hæredes defuncto patre dividunt hæreditatem.

R. 3o. Non eſt facta jure civili; quia jus civile non eſt poſitum, niſi poſt conſtitutas civi-

tates, quas rerum diviſio anteceſſit; cœpit enim ab origine mundi, ut colligitur ex cap. 4. Geneſ. ubi refertur Abel & Caïn habuiſſe diſtincta dominia; & cap. 11. habetur ſtatim poſt diluvium diviſiones gentium & populorum factas fuiſſe à filiis Noë.

R. 4°. Diviſio rerum facta eſt jure gentium. Patet tùm ex definitione juris gentium, tùm ex confutatione aliarum ſcientiarum. Ex his:

Sequitur 1°. Rerum diviſionem eſſe juſtam & convenientem; aliàs ei non conſenſiſſent omnes homines, inter quos plures ſunt ſanctitate conſpicui, ut Abraham, Job, & innumeri alii, qui multa tanquam ſibi propria vindicarunt; quod enim apud multos unum invenitur, non eſt erratum. *Variaſſe debuerat error*, ex Tertull. lib. de Præſcript. cap. 28. Quin & Deus hanc diviſionem confirmavit ſuis legibus furtum & rapinam prohibentibus.

Dices: Perfectio Evangelica omnia reddidit communia, ut patet ex primo Eccleſiæ ſæculo, & exemplo omnium Ordinum, qui coaleſcere non potuerunt, niſi abjecta rerum diviſione: Ergo convenientior eſt communitas bonorum. Diſtinguo conſequens: convenientior eſt in aliqua hypotheſi, v. g. quod homines imitentur ſtatum innocentiæ, ſectentur perfectionem, & ad eam facilè induci poſſint, concedo: abſolutè, Nego; nam poſitis rebus ut ſunt, ubi videmus multos ſegnes & voluptatibus deditos, neceſſe fuit eis partem ſuam dare quam propria neceſſitas cogeret curare.

Confirmatur. Eccleſia ſæculo XIII. eos damnavit tanquam hæreticos, qui docebant neminem ſalvandum, niſi rerum proprietati renuntiaret Apoſtolorum exemplo, unde dicti ſunt Apoſtolici.

Inſtabis: capite, *Dilectiſſimi*, causâ 12. quæſt. 1. habetur ex Clemente I. *communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc modo, omnibus eſſe debuit; ſed per iniquitatem alius dixit hoc eſſe ſuum, & alius illud, & ſic inter mortales facta eſt diviſio*: Ergo iniqua eſt rerum diviſio.

Diſtinguo antecedens: per iniquitatem occaſionaliter, ſeu iniquitas fuit occaſio, cur alius dixerit hoc eſſe ſuum, Concedo: per iniquitatem formaliter, quaſi hujuſmodi appropriatio fuerit iniqua, nego antecedens. Nam citatis verbis S. Clemens, ſive quivis alius auctor, hortatur fideles ad vitam communem, utpote quæ eſſet conſentanea ſtatui innocentiæ, úbi non erat meum & tuum.

Dices 2°. S. Chryſoſtomus Homiliâ decimâ in primam ad Corinth. ait. *Meum & tuum verba tantùm inania ſunt, re autem non exiſtunt: licèt domum tuam eſſe dixeris, inaniter loqueris.*

Reſpondeo hæc & ſimilia à ſancto Chryſoſtomo & aliis Patribus dici, vel quia in neceſſitate debemus ea communicare proximo: vel quia brevi per mortem ea ſumus amiſſuri, nec niſi in tranſitu iis utimur, vel denique quia debemus eſſe parati iſta relinquere, ſi gloria Dei & ſalus animæ id requirat, quo ſenſu dixit Chriſtus dominus Lucæ 14°. *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Inſtabis: idem S. Chryſoſtomus Oratione de S. Phylogonio ait: *Meum & tuum frigidum verbum, & quidquid eſt malorum in vitam noſtram invehens; innumeraque gignens bella.* Ergo tollenda eſt omninò proprietas bonorum.

Diſtinguo antecedens: meum & tuum invehunt quidquid eſt malorum ſub imperio charitatis, Nego: ſub imperio cupiditatis ſubdi-

ſtinguo : ita invehunt mala, ut majora inundarent, ſi bona in commune concederentur : Concedo : inducunt majora mala aut etiam æqualia, Nego antecedens : & hoc patet exemplo fratrum, inter quos dividenda eſt hæreditas paterna, ut ceſſent jurgia, odia, pugnæ & ſcandala orta ex communitate bonorum.

Sequitur 2°. in extrema neceſſitate omnia eſſe communia ; quia Deus eo fine res inferiores condidit, ut hominum conſervationi ſubſerviant ; ex quo naſcitur cuilibet homini jus naturale utendi rebus neceſſariis propriæ vitæ. Quare diviſio rerum, quam diximus jure gentium & hominum voluntate introductam, juſtè fieri non potuit, niſi ſalvo cujuſque naturali jure.

Salvatur autem jus illud, ſi quis ad extremã neceſſitatem redactus, poſſit emendo, mutuando, petendo accipere vitæ neceſſaria, aliàs in foro externo tanquàm fur puniretur, ſi propriâ manu & auctoritate quæ alterius ſunt ſibi vindicaret.

Sed tranſactâ neceſſitate extremâ tenetur-ne reſtituere, qui ea conſumpſit, aut ſubripuit, quæ alterius erant, panem v. g. abſtulit ad alendam familiam : equum ejus obvium conſcendit ad fugiendos hoſtes inſequentes : ſegetes ejus fugiendo conculcavit : bona ejus mobilia tranſtulit, furibus mortem minitantibus, niſi eis pareret ?

R. 1°. Si bona illa erant minoris valoris, non tenetur reſtituere ; cenſetur enim illorum dominus illa concedere in eleemoſynam, quæ eſt præcepti naturalis & divini in hujuſmodi neceſſitate.

R. 2°. Si bona illa erant majoris pretii, tenetur reſtituere ; res enim ſic ablata, vel extat, vel non ; ſi extat, v. g. equus, reſtituenda eſt ; quia extrema neceſſitate hoc ſolum præſtat, ut

re alienâ utaris ad vitandum periculum: ſi non extat, vel accepta eſt per contractum, vel non: ſi primum, reſtitui debet res, aut pretium rei ſecundùm naturam contractûs: ſi ſecundùm, etiam reſtituendum eſt; quia in foro externo ad reſtitutionem cogereris, etiamſi probares te in extrema neceſſitate rem alienam conſumpſiſſe; quod ſignum eſt ſatis evidens extremam neceſſitatem non transferre dominium rei alienæ, ſed tribuere ſolùm jus eâ utendi.

Non videtur tamen reſtitutioni obnoxius, qui metu mortis bona furto oblata transferret, præſertim ſi ſine ullius ope fures nihilominus ea tranſtuliſſent; quia in illa hypotheſi dominus non cenſetur invitus, niſi reſpectu furum.

Sequitur 3o. injuſtum eſſe, qui diſponit de rebus ſuis contra leges municipales, ſeu conſuetudinem regionis, & contra Regni ſtatuta; quia quæ poſſidemus noſtra non ſunt, niſi jure humano *Quod hæc villa ſit mea, & illa tua*, inquit S. Auguſtinus tract. ſexto in Joan. eſt *ex jure Imperatorum;* nimirum quatenus Reges conſentiunt diviſioni rerum ab initio factæ, & eam obſervandam ſuis legibus declarant. Ubi ergo lex prohibet, ne maritus v. g. uxori, & hæc viciſſim marito quidquam donet, vel parentes alteri ex filiis, ſpretis aliis, peccant contra juſtitiam, tùm conjuges & parentes, tùm qui ab eis fidei commiſſum accipiunt, & ad reſtitutionem tenentur. Idem de iis dicendum, qui non ſervant in contractibus ſolemnitates, ſine quibus lex declarat irritum contractum.

Sequitur 4o. Bona, quæ nullius ſunt, quales ſunt feræ non cicuratæ, & theſauri, venæ metallicæ, bona vacantia & derelicta, jure naturali eſſe primi occupantis, idque habetur

lege, *quidem*, Digeſtis *de acquirendo rerum dominio*; *quod ante nullius eſt, id ratione naturali occupanti conceditur.*

Dixi, *jure naturali;* nam aliquando de hujusmodi bonis jus civile & poſitivum aliter diſponit propter bonum publicum: quod expendendum eſt ſequentibus capitibus.

CAPUT VI.

An & quomodo acquiritur dominium ad homines?

R. 10. NUllus, nequidem Princeps aut Reſpublica, poteſt acquirere dominium directum & plenum in hominem.

Probatur: Dominium directum & plenum eſt jus utendi & abutendi re aliquâ prout libet, abſque cujuſquam injuria: Atqui nullus tale jus habet in hominem: Ergo.

Minor probatur ex Scriptura, ubi aſſeritur Deum ſolum eſſe dominum vitæ noſtræ, Deut. 32. *Videte*, inquit Deus, *quòd ego ſum ſolus Deus, & non ſit alius præter me: ego occidam; & ego vivere faciam.* Sapient. 16. *Tu es Domine, qui vitæ & necis habes poteſtatem.*

Confirmatur: Non ſolùm Doctores Chriſtiani, ſed etiam Philoſophi ut Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 10. in eadem fuerunt ſententia: quin & Cicero lib. de Seneƈt. refert Pythagoram dixiſſe, nemini fas eſſe injuſſu Imperatoris ſummi Dei de præſidio & ſtatione diſcedere.

Dices: Principes poſſunt interficere & privati ſeſe vendere, ac etiam morti ſe exponere propter bonum publicum: Ergo.

Nego conſequentiam; nam ſicut licet homini amputare membrum putridum, quamvis non ſit dominus membrorum ſuorum: ita Princeps nocentem interimere poteſt tanquam noxium Reipublicæ membrum: quamvis in vitam nocentis dominium non habeat. Porrò Principes id faciunt tanquam miniſtri Dei, & cuſtodes tranquillitatis publicæ, Rom. 13. Quòd autem homo poſſit ſe vendere, probat duntaxat illum habere in ſe dominium indirectum & utile; quia in illo contractu diſponit ſolùm de uſu membrorum non de vita ipſa. Denique ad vitam exponendam exigente bono publico, opus dominio non eſt, ſed ſolo naturæ inſtinctu, ſecundùm quem pars pro totius conſervatione exponi poteſt. Ex his.

Patet dominium injuſtum fore in ſervum, ſi eum occidat, vel mutilet; quia ſervus habet jus ad conſervandam vitam & membra: unde quòd olim domini jus ſibi aſſumpſerint ſervos occidendi, non jus fuit: ſed ſumma injuſtitia. Imò S. Thomas 2a. 2æ. quæſt. 104. art. 5. & alii negant ſervum per vim & fraudem à matrimonio contrahendo per dominum impediri poſſe: ſecus de ſacris Ordinibus; quia per talem ſuſceptionem ſervus fieret liber; libertatem autem conſequi non debet, niſi legitimo domino conſentiente.

R. 2o. Homo jure naturali habet dominium indirectum & utile in propriam vitam & membra.

Probatur: quia homo jus habet utendi membris ſuis: Atqui jus illud vocatur dominium indirectum & utile. Ergo hinc ſequitur.

1o. Hominem poſſe ſe ipſum vendere, aut donare jus utendi ſuo corpore ad has, vel illas actiones.

2°. Injuſtum eſſe tùm erga privatum hominem, tùm erga Rempublicam, qui interimit aut mutilat; quia per occiſionem aut mutilationem eripitur membrorum uſus: quod cùm fiat contra jus alienum; injuſtum cenſeri debet.

Dices: Servitus eſt contra naturam.

Diſtinguo: contra naturam innocentem, Concedo: contra naturam peccato infectam, Nego. *Nemo iſtud culpa meruit, non natura,* inquit, S. Auguſtinus lib. 19. de Civ. c. 15.

Q. 1°. *Quot modis poteſt aliquis fieri ſervus?*

R. Duobus, ſcilicet propriâ voluntate, & neceſſitate juſtâ.

Q. 2°. *Quot modis propriâ voluntate?*

R. Duobus, nempe per venditionem aut alium contractum oneroſum; & per liberalem donationem: quia ex dictis homo dominium habet utile ſuorum membrorum: Ergo illud transferre poteſt in alterum, ſive per venditionem, ſive per donationem. Nec obſtat commune illud effatum, *Non benè pro toto libertas venditur auro;* quia licèt libertas ſit omni auro pretioſior, non eſt tamen pretioſior vitâ, propter quam conſervandam homo aliquando cogitur ſe vendere. Confirmatur ex Scriptura: Exodi 21. Et Livitici 25. permittitur Judæis egeſtate compulſis ad tempus ſe vendere.

Q. 3°. *Quot modis poteſt quis fieri ſervus neceſſitate?*

R. Tribus.

1°. Ratione delicti: quod contingit, vel in bello juſto; nam ſi in publici peccati pœnam occidi poſſit, poteſt à fortiori in ſervitutem redigi: vel extra bellum, nempè per ſententiam Judicis aliquis propter crimen puniatur ſervitute.

2°. Jure paterno, cùm pater ob ingruens

& patens periculum cogitur vendere filium. Dico, *ob ingruens & patens periculum*, putà propter nimiam paupertatem; nam aliæ cauſæ non ſufficiunt, ut pater filium in ſervitutem tradere poſſit, leg. primâ & ſecundâ, Digeſtis *de Patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt*. Porrò licèt mater ſit etiam principium filii, adeòque jus quoddam habeat à naturâ idem faciendi quod pater: tamed jure civili jus illud ſoli patri attributum eſt, quod cùm ſit odioſum, non non eſt extendendum.

3°. Jure nativitatis, cùm quis ex ſerva matre naſcitur, ſive pater liber ſit, ſive non: quia partus ſequitur ventrem. Ita ſanctus Thomas in quartum diſt. 36. quæſt. 1. articulo 4. ubi aſſerit Juribus Civilibus illud & Cananicis eſſe conforme; vigere nihilominus in quibuſdam terris, quæ jure civili non reguntur, conſuetudinem, ut ſervus ſit filius ex alterutro parene te ſervo genitus, quaſi dexteriorem partem ſequi debeat: ſed in his ſpectandæ ſunt propriorum locorum conſuetudines.

Q. 4°. *Chriſtiani poſſunt ne eſſe ſervi?*

R. Poſſunt eſſe, 1°. Infidelium, ut ſopponit S. Petrus cap. 2. Epiſtolæ 1. v. 18. ubi præcipit, ut ſervi ſint ſubditi dominis ſuis, non ſolùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis, 2°. Chriſtianorum, ut patet ex diſtinctione 54. ubi multa habentur Decreta de Servis Chriſtianorum. Conſuetudine tamen invaluit, ut Chriſtiani captivi facti à Chriſtianis in bello juſto, non fiant ſervi, ſed ſolutâ pecuniâ in redemptionis pretium remittantur.

Q. 5°. *Licet-ne ſervis fugere?*

R. Licet 1°. ſi injuſtè detinentur, quales ſunt ferè Saracenorum ſervi.

2°. Si per vim impellantur à domino ad pec-

candum, aut ſi dominus velit eos occidere; ſi cibos neceſſarios eis deneget: modò aliter ſe tueri non poſſint, niſi fugiendo.

3°. Si bello capti ſint, jure poſtliminii fugere licèt, modò in ditionibus hoſtium non remaneant; ita habentur Digeſtis *de Captivis*, & in Inſtitutis parag. *Item*, titulo *de rerum diviſione*.

Non licet autem ſervis fugere, 1°. ſi ſe vendiderint. 2°. ſi ex nativitate ſint ſervi; quia tales ſunt res domini ſicut ceteræ ejus poſſeſſiones: & de his ſervis intelligendæ ſunt leges, quæ puniunt cùm ſervos fugitivos, tùm eos, qui iiſdem conſulunt fugam. 3°. ſi in pœnam delicti damnati ſint ad perpetuam ſervitutem, cùm talis pœna ſit juſtè inflicta.

CAPUT VII.

De acquiſitione dominii per occupationem. Beſtiarum.

Q. 1°. L*Icet-ne occupare Beſtias*?

Nota, Beſtias vel eſſe manſuetas & cicures ut oves, gallinas: vel feras. Feræ vel ſunt cicuratæ, ut cervi, cuniculi, vel non; & hæ vel ab aliquo ſunt apprehenſæ, ut avis in laqueo, piſces in cavea vel ſtagno, columbæ in columbario, cuniculi in garena, apes in alveario: vel à nullo ſunt apprehenſæ; naturalemque libertatem habent. His præſuppoſitis.

R. 1°. Non licet occupare beſtias cicures & manſuetas, etiamſi effugiant. Ita habetur Inſtitutis de *rerum diviſione*, parag. *Gallinarum*, ubi dicitur furtum committere, qui hæc animalia detinet, cùm effugiunt.

R. 2°. Idem ſentiendum de animalibus cicuratis, quamdiu præſumuntur reverſura; ſin autem cenſentur recepiſſe priorem libertatem, nec ampliùs eſſe in prioris domini poteſtate. Porrò libertatem receperunt, ſi non impeditæ conſuetis horis domum redire non ſolent.

R. 3°. Feræ ab aliquo apprehenſæ ſub illius dominio ſunt, & ita futurum committit qui eas occupat. Unde qui in columbario ponit illecebras, ut aliorum columbas retineat, tenetur ad reſtitutionem; ſecùs ſi columbarium ad faciliùs ſuas columbas conſervandas, in commodiori loco ſtatuerit, vel iis melius pabulum dederit.

Dices: Columbæ ſat magnum detrimentum afferunt: Ergo licet eas vel occidere, vel occupare.

Reſpondeo 1°. non licere occidere beſtias domeſticas depaſcentes agrum alienum; ſed vel includendæ ſunt, ſi capi poſſint: vel urgendus earum dominus ad reparationis damnum.

Reſpondeo 2°. quia columbæ & cuniculi Reipublicæ ſunt ūtiles, rerum ordinem & æquitatem poſtulare, ut privati ex eis aliquid damni patiantur propter bonum publicum: hujuſmodi enim onera cenſentur à Republica impoſita. Sed nullus debet columbarium eligere, nec garenam inſtituere niſi ſecundùm leges & conſuetudines locorum; aliàs peccaret contra juſtitiā, & ad reſtitutionem teneretur; quia jam non autoritate publicâ alios oneraret. Idem dicendum de eo, qui plures columbas aut cuniculo aleret, quam leges permittunt.

R. 3°. Feræ à nullo apprehenſæ, ſunt primi occupantis, niſi lex pecularis, aut loci conſuetudo obſtet, quia, ut ſupra dictum eſt, quod nullius eſt, id ratione naturali occupanti conceditur.

Dixi, *niſi lex pecularis, aut loci conſuetudo obſtet;* nam aliquando leges prohibent in flumine publico piſcari, & in agris venari, aut aucupari.

Q. 2°. *Princeps poteſt-ne venationem impedire?*

R. Poteſt, 1°. ſi populus in id conſentiat; quia poteſt populus cedere ſuo jure. 2°. ſi id neceſſarium & utile judicetur ad Reipublicæ onera ſuſtinenda, ut ſi ex animalibus capiendis magnus quæſtus ad Rempublicam perveniret. 3°. poteſt prohiberi venatio vel certis inſtrumentis, ne nimis multa capiantur animalia, & tandem deficiant; vel eo tempore, quo fœcunda ſunt, ne impediatur eorum partus, & multiplicatio. 4°. Poteſt etiam Princeps ad ſolam recreationem, ſine conſenſu populi, jus venandi in quibuſdam locis ſibi reſervare; quia cùm multos pro Republicâ ſuſcipiat labores, æquiſſimum videtur ut propriam ſibi voluptatẽ ac recreationẽ retineat; prӕterquam quòd illud pertinet ad Principis dignitatem.

Neque ſolus Princeps poteſt venationem prohibere, ſed & ii, quibus ipſe, vel conſuetudo idem jus conceſſit.

Advertes tamen in his modum eſſe ſervandum; nam injuſtum eſſet, ſi ex hujuſmodi prohibitionibus feræ nimis multiplicarentur, & agros devaſtarent; in illa enim hypotheſi teneretur Princeps aut dominus damnum reparare, niſi agri primitùs illius fuerint, & cum hoc onere incolis diviſi.

Q. 3°. *Quibus potiſſimùm perſonis venatio eſt interdicta?*

R. Jure communi interdicitur Clericis & Monachis, ſi venatio fiat cum ſtrepitu canum & armorum. Ita enim habetur cap. 1°. de Clerico venatore diſt. 34. cap. 1. quod ſumptum

eſt ex Concilio Aurelian. *Epiſcopum, Preſbyterum aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut ejuſmodi advenandum habere non licet. Quod ſi quis talium perſonarum in hâc voluptate ſæpiùs detentus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus; ſi Preſbyter, duobus; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur.* Et capite 2°. omnibus ſervis Dei venationes & ſylvaticæ vagationes, cum cane & accipitre & falcone interdicuntur.

Dixi, Jure communi prohiberi venationem, quæ fit cum magno ſtrepitu; nam Epiſcopi aliquando in ſuis diœceſibus omnem venationem prohibent Clericis, ob ſpeciales rationes. Unde quilibet debet attendere quid ferant ſtatuta diœceſis, in qua degit.

Permittitur Monachis in Clementinis capit. 1°. *de ſtatu Monachorum*, ut per alios venari poſſint, ſi ſaltus, vivaria, aut proprias garenas, aut jus in alienis venandi habeant; modò canes venaticos intra ſua Monaſteria non retineant, nec venationi præſentiam exhibeant perſonalem.

Q. 4°. *Citati Canones obligant-ne ſub mortali?*

R. Obligant; quia ex pœna graviori colligitur peccatum eſſe grave; aliàs eſſet injuſta. Porrò cenſura, ſub quâ Canon prohibet venationem, gravis omninò eſt.

Advertes 1°. cenſuram illam non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ. 2°. non eſſe ulli infligendam, niſi frequentiùs hac voluptate detineatur.

Q. 3°. *Vigent-ne hodie illi Canones?*

R. Dubitant nonnulli: in dubio autem lex eſt ſervanda juxta illud effatum: *In medio melior eſt conditio poſſidentis;* lex autem præſumenda eſt poſſidere, quando non probatur fuiſſe abrogatam.

Q. 6°. *Quibus diebus Venatio eſt prohibita?*

R. 1°. Prohibetur diebus jejuniorum. Cap. *An putatis*, diſtinctione 86. *an putatis*, inquit ſanctus Ambroſius, *illum jejunare, fratres, qui primo diluculo non ad Eccleſiam vigilat, non beatorum Martyrum ſancta loca perquirit, ſed ſurgens congregat ſervulos: diſponit retia: canes producit: ſaltus, ſylvaſque perluſtrat: ſervulos, inquam, ſecum pertrahit fortaſſe magis ad Eccleſiam feſtinantes; & voluptatibus ſuis peccata accumulat aliena, neſciens reum ſe futurum tam de ſuo delicto: quàm de perditione ſervorum.* Et cap. *Quid prodeſt*, ex eodem S. Ambroſio, *quid prodeſt jejunare viſceribus, & luxuriari venatibus: adſtinere cibis, & errare peccatis.*

R. 2°. Prohibetur etiam diebus feſtis, colligiturque ex Cap. *Licet* tit. *de Feriis. Indulgemus*, ait Alexander III. Archiepiſcopo Triburienſi, *ut liceat Parochianis veſtris diebus dominicis & aliis feſtis (præterquam in majoribus anni ſolemnitatibus) ſi halecia terræ ſe inclinaverint, eorum captioni ingruente neceſſitate intendere, ita quòd poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem?*

Nec dicas his Canonibus contrariâ conſuetudine fuiſſe derogatum; ſaltem enim ex his habemus venationem non convenire ſanctificationi diei feſti, & pœnitentiæ, quæ obſervari debet diebus jejuniorum. Imò plures Theologi cenſent venationem per ſe eſſe opus ſervile.

Q. 7°. *Cujus eſt fera ab uno vulnerata?*

R. Eſt vulnerantis, ſi hæ conditiones fuerint. 1°. ſi læſa ſit fera quantùm ſatis eſt ad eam capiendam. 2°. ſi eam inſequitur. 3°. ſi ſit certum moraliter loquendo quòd ſit eam apprehenſurus. Ratio eſt quia tunc moraliter apprehenſa eſt à vulneratore. Quòd ſi hæ con-

ditiones deſint, etiam in dubio eſt capientis, quia cenſetur fera ſuam habere libertatem. Quo ſenſu definitur paragrapho. *Item quæſitum*, Inſt. *de rerum diviſione*, dominium talis feræ eſſe capientis. Idem prorſus dicendum quoad utramque partem; ſi alter è canibus excitavit leporem, & alter ceperit.

Q. 8°. *Si fera, quam perſequor, in laqueum tuum incidat, cujus erit?*

R. Erit mea, ſi aliter occupaturus eſſem: ſi non eſſem occupaturus, in dubio erit primi occupantis.

CAPUT VIII.

De venis auri & argenti: de paſcuis & ſylvis.

Q. 1°. *Cujus ſunt venæ auri & argenti?*

R. Jure Gentium ſunt occupantis, etiamſi in agro alieno reperiantur; quia æquum non eſt res pretioſas accedere fundo viliſſimo, parag. *Litteræ*, Inſtit. *de rerum diviſione*.

Dices: Lapicidinæ & Carbonariæ, quæ ſunt in meo fundo, meæ ſunt, ſicut & fodinæ ferri: Ergo ſimiliter venæ auri & argenti.

Nego conſequentiam: ratio diſparitatis eſt, quòd res hujuſmodi viliores ex conſenſu Reipublicæ relinquantur domino agri. Hinc.

Jure Civili poſſunt fieri Reipublicæ, ita ut liceat Principi, cui voluerit concedere poteſtatem eas acquirendi, & effodiendi metalla, modò ſatisfaciat domino agri pro damno illato per fodinarum inquiſitionem.

Circa paſtionem attendendum eſt, qui ferat conſuetudo cujuſque regionis; nam alicubi

niſi ager ſit circunſpectus, dominus non poteſt prohibere paſtionem poſt primam herbam ſublatam, aut ſegetes collectas.

Nihilominus Reſpublica ſive Princeps poteſt prohibere paſtionem & lignationem in paſcuis & ſylvis ad urbem aut Rempublicam pertientibus; quia id aliquando expedit bono publico.

Notat Leſſius tum non eſſe reſtituendi obligationem, cùm urbs aut pagus, cujus ſunt paſcua, non ſolet exigere damni reparationem; ſed ei ſatisfit, ſi comprehenſi mulctam luant.

Q. 2o. *Quid ſentiendum eſt de pauperibus, qui ligna cædunt in ſylvis privatorum?*

R. 1o. Si conſentiant domini, non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur, cùm eis volentibus non fiat injuria.

R. 2o. Si eis invitis cædant, peccant, & ad reſtitutionem tenentur, niſi ſint in extrema neceſſitate, quia auferunt alienum invito domino. Dixi, *niſi ſint in extrema neceſſitate,* 1o. quia tunc omnia ſunt communia. 2o. quia in gravi neceſſitate non licet auferre alienum, ut infra dicetur.

Advertes autem eos, qui poſſident ſylvas, prohibere aliquando ne pauperes colligant ligna inutilia, non quòd velint ea ſibi retinere; ſed quia timent, ne colligentes damnum inferant ſylvis, & cædant ligna utilia, in quo caſu pauper, qui collegiſſet ſine damno proprietarii, non teneretur ad reſtitutionem.

periclitetur, ſub noſtro dominio eſt quandiu ſubſiſtit.

CAPUT X.

De acquiſitione dominii in res inventas.

AGitur hîc de bonis nuper amiſſis, quorum dominus ignoratur; difficultas autem eſt ad quem pertineant: Itaque.

Q. 1°. *Cujus ſunt res inventæ?*

R. 1°. Res inventa non tranſit in dominium inventoris, quando dominus inveniri poteſt. Ita habetur Deuter. 22. *Non videbis bovem fratris tui autem ovem errantem, & præteribis: ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum; duces in domum tuam & erunt apud te, quandiu quærat frater tuus, & recipiat: ſimiliter facies de aſino & de veſtimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit. Si inveneris eam, ne negligas quaſi alienam.* Et leg. *Nunquam*, paragr. *Inventoris*, titulo *de acquirendo rerum dominio: donec probari poteſt dominus rei inventæ, in alteriùs poteſtatem tranſire nequit.* Unde S. Auguſtinus homil. 6. lib. 50. Homiliarum ſic ſcribit: *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti: quantùm potuiſti, feciſti; quia plus non inveniſti, ideò plus non rapuiſti. Qui alienum negat, ſi poſſet, tolleret, quòd non tollis, timor te cohibet.*

R. 2°. Rei inventæ dominus ſedulò inquirendus eſt.

R. 3°. Res inventa non eſt inventoris, etſi dominus inveniri non poſſit, ſed impendenda eſt in pauperum aut piorum locorum uſus, niſi extet aliqua lex municipalis, quæ illam tribuat domino territorii, in quo inventa eſt.

Probatur 1°. ex Authentica: *Omnes peregrini*, ut habetur; *ſi peregrinus inteſtatus deceſſerit, ad hoſpitem nihil perveniat, ſed bona ipſius per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, hæredibus tradantur, vel in cauſas pias erogentur.* Idem S. Carolus Borromæus, quartâ parte Actorum Mediolanenſiis Eccleſiæ ſtatuit, *ut ſi dominus diù requiſitus non appareat, res inventa pauperibus aut piis locis erogentur.*

Probatur 2°. ratione: res, quæ eſt in dominio alterius, debet impendi ſecundùm ejus voluntatem: atqui res inventa eſt in dominio ejus qui eam amiſit, etiamſi ille non poſſit inveniri, præſumiturque velle, ut in hujuſmodi pios uſus impendatur: Ergo revera impendenda eſt. Minoris duæ ſunt partes.

Prior pars oſtenditur. 1°. quia qui perdidit rem aliquam, eo ipſo non cenſetur ejus dominium amiſiſſe, quo reperiri non potuit; ſi enim [illegible]et, cùm res inventa poſt diligentem perquiſitionem eſt diſtrahenda, certè reſtituenda eſſet ipſi tanquam vero domino, quamvis antea requiſitus inveniri non potuiſſet. 2°. quia tandiu aliquid remanet in dominio alterius quamdiu nec delicto nec ſuâ ullâ voluntate, nec lege aliquâ jus amiſit: Atqui dominus rei inventæ non amiſit jus in illam, neque ex delicto, neque ullâ ſuâ voluntate, neque lege aliquâ; quod eſt diſcrimen inter theſaurum, & rem nuper amiſſam; leges enim aliquid ſtatuunt circa theſaurum, & quibuſdam in caſibus inventoris eſſe decernunt. Per præſcriptionem quoque bona, ſive mobilia, ſive immobilia transferuntur ad illum, qui per aliquod tempus eadem poſſedit. Quibuſdam etiam legibus municipalibus, quibus in conſcientia parere oportet, res inventa fit Dyna-

ſtæ, Gallicè, *Haut Juſticier*, territorii in quo inventa eſt. Sed nulla lex rem inventam facit inventoris: Ergo.

Poſterior pars probatur. Quia rei alienæ detentor, putà uſurarius vel ejus hæres, & depoſitarius, qui rem furtivam bonâ fide in cuſtodiam accepit, jure naturali tenetur eam reſtituere domino, ſi compareat, vel pauperibus, ſi ignoretur: Atqui detentor eſt rei alienæ, qui eam nuper perditam invenit. Ergo.

Dicet aliquis, ita affectus ſum, ut ſi rem meam perditam recuperare non poſſim, velim eam tranſire in dominium inventoris; Ergo idem præſumere licet de quovis alio.

Nego conſequentiam, 1o. quia ex propoſitione ſingulari nihil concludi poteſt. 2°. quia contrarium colligitur ex communi hominum agendi ratione, qui teſtamento ſollicitè cavent, ne bona à ſe derelicta fiant primi occupantis, ſed curant ut in uſus pios utiliter diſpenſentur. 3o. Etiamſi quis dubitaverit, num talis ſit intentio illius, qui rem ſuam perdidit, nihilominùs rem inventam in proprium commodum vertere non poteſt; quia in dubio non licet rem alienam ſibi vindicare.

Q. 2. *Quomdo Confeſſarius ſe geret erga pœnitentem, qui contrariâ quorumdam opinione auctus, rem inventam in uſus pios diſtribuere nollet?*

R. Judicabit hujuſmodi pœnitentem abſolutionis eſſe indignum; quia opinio, quâ nititur, eſt prorſus improbabilis & pugnans contra legem naturalem.

Q. 3°. *Quid, ſi dominus inveniatur, poſtquam res inventa conſumpta eſt?*

Si inventor eam pauperibus erogaverit, nihil tenetur reſtituere poſt ſufficientem diligentiam adhibitam, neque enim conſentaneum

eſt, ut ex actu illo miſericordiæ detrimentum patiatur, præſertim cùm videatur utiliter geſſiſſe negotium prioris domini.

Q. 4°. *Poteſt-ne inventor retinere ſibi aliquid pro præmio inventionis?*

R. Non poteſt, niſi labor in rei inventione impenſus fuerit; & ratio eſt, quia nullum juſtum habet titulum ſibi quidquam retinendi. Poteſt quidem dominus, ſi appareat, dare aliquid titulo gratitudinis, ſed inventor id non poteſt exigere.

Q. 5°. *Quid cenſendum de præmio, quod aliquando dominus promittit inventori, ſi rem perditam deferat?*

R. Illud præmium communiter eſt ſecundùm quid involuntarium, offerturque à domino qui timet amittere, niſi hoc modo alliciat inventorem; & hoc explicari poteſt exemplo lucri ultrò oblati ab eo, qui indiget mutuò: ſicut enim mutuans illud acceptare non poteſt, niſi conſtet ex mera gratitudine offerri, ut ſuo loco dicetur; ita nec inventor debet acceptare præmium oblatum, niſi omnimodam libertatem domino reliquerit gratificandi vel non.

Confirmatur hæc reſponſio ex S. Auguſtino ſerm. 21. de verbis Apoſtoli, & lib. 83. quæſt. q. 71. ubi hanc refert hiſtoriam de homine pauperrimo, qui Mediolani invenit ſacculum ducentorum ſolidorum. *Memor ille legis*, inquit, *propoſui pittacium publicè. Qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum; ille qui plangens circunquaque vagabatur invento & lecto pittacio, venit ad hominem: repletus autem gaudio, & quærens vicem rependere tanquam decimas obtulit illi vigenti, quos noluit accipere: obtulit vel decem, noluit accipere; ſaltem rogavit vel quinque acciperet,*

noluit. Ille ſtomachabundus homo projecit ſacculum, nil perdidi, inquit, ſi non vis aliquid à me accipere. Victus tandem ille quod offerebatur accepit, & continuò totum pauperibus erogavit, unum ſolidum in ſua domo non dimiſit : hactenus S. Auguſtinus qui proponit hoc exemplum, quod ejus auditores imitentur.

CAPUT XI.

De acquiſitione dominii in Theſauros.

Q. 1°. QUid eſt Theſaurus?

R. Definitur, vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria; ut jam dominum non habeat.

Dicitur 1°. *vetus;* quia ſi pecunia non ſit vetus, non cenſetur theſaurus, ſed res inventa, cujus dominus quæri debet: qui ſi inveniri non poſſit, expendenda eſt in uſus pios, ut ſupra dictum eſt.

Dicitur 2°. *pecuniæ*, quo nomine intelliguntur quævis opes mobiles, ut gemmæ, vaſa.

Q. 2°. *Cujus eſt Theſaurus inventus ?*

R. 1°. Jure naturali eſt invenientis; quia quæ nullius ſunt, fiunt primi occupantis: Atqui theſauri nullius ſunt, ut patet ex definitione allatâ: Ergo.

R. 2°. Jure civili, ſi inveniatur abſque arte prohibitâ in proprio fundo, totus eſt invenientis: ſi in alieno, idque caſu, media pars eſt inventoris, & media ejus ad quem pertinet fundus: ſi verò in alieno datâ operâ; & inconſulto domino, totus eſt domini, cujus eſt fundus, deductis expenſis.

Prima pars probatur ex Inſtit. *de rerum diviſione*, parag. *Theſauros*, ubi dicitur, *Theſauros, quos quis in loco ſuo invenerit, D. Adrianus æquitatem naturalem ſecutus ei conceſſit, qui eos invenerit*; idem habetur leg. unica Cod. *de Theſauris*.

Secunda pars habetur utroque loco citato, eſtque ſervanda in foro conſcientiæ, etiam ante omnem judicis ſententiam; quia hæc juris diſpoſitio non pœnalis, ſed definitiva proprietatis rerum.

Tertia pars habetur cit. leg. unicâ his verbis: *In alienis verò terrulis nemo audeat invitis, id eſt, nec volentibus, vel ignorantibus dominis opes abditas ſuo nomine perſcrutari. Quòd ſi nobis aliquis ſuper hoc crediderit eſſè ſupplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco theſaurum ſcrutatus invenerit, totum hunc locorum domino reddere compellatur.*

Leſſius ex verbo, *compellatur*; deducit legem hanc eſſe pœnalem, proindeque inventorem non obligari in conſcientia ante ſententiam judicis ad reddendum totum, ſed ſufficere, ſi mediam partem reddat domino fundi.

Dixi, *ſi abſque arte prohibitâ*; nam ſi magicis artibus inventus eſſet, inventor per Judicis ſententiam eo eſſet privandus.

Q. 3°. *Si theſaurus inveniatur ab eo, qui habet tantùm uſumfructum fundi, ad quem pertinebit?*

R. Media pars ad proprietarium, altera ad inventorem. Si inventor ſit emphiteuta, tres partes habebit, & proprietarius quartam.

Q. 4°. *Si quis emat agrum, in quo ſit theſaurus reconditus, cujus erit theſaurus?*

R. Si ante emptionem invenit theſaurum, putà fodiendo, media ejus pars pertinet ad dominum fundi; quia theſaurus inventus eſt in fundo alieno: ſi autem ſcivit, ſed nondum effodit, quando emit, acquirit dominium totius theſauri; quia revera in proprio fundo invenit theſaurum. Et hoc ipſum Chriſtus Dominus innuit, Matth. 13. his verbis: *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui*

qui invenit, præ gaudio vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.

Atque hæc de theſauris dicta ſunt ſecundùm jus commune; cùm enim theſauri propriè nullius ſint, poſſunt per aliquam legem particularem Principi aut Reipulicæ appropriari.

Porrò in Gallia extra controverſiam eſſe aſſerit clariſſimus vir D. Bignon in oratione habita in Senatu Pariſienſi, anno 1639. die verò 21 Julii, quòd theſaurus in alio fundo inventus, in tres partes æquales, juxta Senatuſconſulta, ſit dividendus, ita ut altera pars pertineat ad inventorem; altera ad dominum fundi; tertia ad Dynaſtam (Gallicè, *Seigneur Haut-Juſticier*) vel ad Regem, ſi ſolus in loco altiorem illam poteſtatem exerceat. Vide Bardetum tom. 2. lib. 8. cap. 30. pag. 430. Si autem theſaurus inveniatur à domino fundi, media pars eſt inventoris; alia Dynaſtæ, juxta Conſuet. Senon art. 8. Autiſſiod. art. 11. Andegav. art. 62. Si in loco publico, ſimiliter dividendus, ex Camerac. art. 3. & Batr. art. 44. Lege verò Norman. art. 211. & 212. totus eſt Dynaſtæ vel Regis, niſi reperiatur in loco ſacro: nam ſi in cœmetrio, vel navi Eccleſiæ, totus ad Fabricam pertinet; ſi in choro, ejus eſt, cujus impenſis chorus eſt reparandus.

Addunt Camer. Senon. & Autiſſiod. res nuper perditas, domino requiſito, & intra annum non comparente, fieri Dynaſtæ proprias.

CAPUT XII.

De acquiſitione dominii per uſucapionem. & præſcriptionem.

Q. 1°. D*Ifferunt-ne uſucapio & præſcriptio?*
R. Minimè; ſed ſunt duo termini ſynonimi; nonnullis tamen uſucapio eſt in mobilibus, præſcriptio verò in immobilibus.

Q. 2°. *Quid eſt præſcriptio?*

R. Definitur, acquiſitio dominii & juris, per poſſeſſionem legitimo tempore continuatam, ex legis præſcripto.

Q. 3°. *Per præſcriptionem acquiritur-ne dominium rei alienæ, tam in foro interiori & conſcientiæ, quàm in foro exteriori; ita ut qui legitimè præſcripſit, non teneatur reſtituere priori domino repetenti rem præſcriptam, & probanti certis rationibus illam ad ſe olim pertinuiſſe?*

R. Acquiritur, ut patet ex definitione allatâ; probaturque 1°. ex jure tum civili, tit. *de uſucap.* tum canonico, tit. *de præſcriptionibus*, ubi ſtabilitur jus per præſcriptionem acquiſitum.

Probatur 2°. ratione; quia certum eſt Rempublicam aut Principem poſſe transferre dominium unius privati in alterum, quando id exigit bonum publicum; iis enim eſt uſus dominii alti, quod habet Princeps in bona privatorum: atqui ratio boni communis poſtulat ut poſitis certis conditionibus dominium unius in alterum per præſcriptionem transferatur. Nam lege primâ, Digeſtis *de uſucap.* dicitur, *bono publico introducta eſt uſucapio*, ne diù & ferè ſemper incerta eſſent rerum dominia. Et lege ultimâ præſcriptio conceſſa dicitur, ut aliquando

Digitized by Google

litium eſſet finis. Addi poteſt & alia ratio præſcriptionis, nempe in odium negligentis repetere rem ſuam, quam ſcit ab alio poſſideri.

Dices : nemo privatur re ſuâ ſine ſua culpa aut voluntate : Ergo.

Nego antecedens; nam ex regula 23. Juris in ſexto, ſufficit aliqua cauſa, nimirùm ſi ratio boni publici id exigat.

Q. 49. *Quænam conditiones requiruntur ad legitimam præſcriptionem?*

R. Quinque. Prima, ut res, quæ præſcriptione acquiritur, à jure non prohibeatur præſcribi; nam Digeſtis *de uſucap. & uſurpationibus*, & tit. *de præſcrip.* nonnulla præſcribi nequeunt. Secunda, ut res, quæ præſcribitur, poſſideatur; nam ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit, ex reg. 3. *de reg. juris*, in ſexto. Tertia, ut ſit legitimus titulus, ſive verus, ſive probabiliter præſumptus, id eſt, qui bonâ fide putetur validus, etſi talis non ſit in rei veritate. Quarta, ut ſit bona fides; nam poſſeſſor malæ fidei non præſcribit ullo tempore, ex regulâ 2. *de reg. jur.* in ſexto. Quinta denique, ut ſit tempus ſufficiens ad præſcribendum, ex Digeſtis *de uſurp. & uſucap.* & ex titulo *de præſcrip.* in Decretalibus.

Q. 50. *Quænam res præſcribi non poſſunt?*

R. 1°. Non præſcribitur adversùs hominem liberum, ut fiat ſervus, ex lege, *uſucapionem*, Digeſtis *de uſurpationibus & uſucapionibus.*

R. 2°. Nec etiam adversùs Superiorem præſcribitur; quia ſubditi tenentur obedire Superiori jure naturali, adversùs quod non præſcribitur, cap. ultimo *de conſuetudine*, in Decretalibus.

Hinc ſubditi non poſſunt præſcribere adversùs Prælatum, ut non viſitentur; quia Prælatus non poteſt abſolvi à ſollicitudine erga ſubditos,

quam ut præſtet neceſſaria eſt viſitatio. Similiter non præſcribunt ſubditi ut non ſolvant procurationem Prælato debitam, dum ab eo viſitantur, ex capite, *Cùm ex officii*, titulo *de præſcrip.* Poteſt tamen ex eodem capite Prælatus adversùs alium Prælatum præſcribere ut ad ipſum ejus ſubditi pertineant. Item poteſt aliqua Eccleſia, v. g. Collegiata, præſcribere adversùs Archidiaconum, ut ab eo non viſitetur, quia ejus dignitas non eſt juris divini, ſed humani; atqui adversùs jus humanum præſcriptio valet.

R. 3°. Non præſcribitur res publicis uſibus deputata, ut ſunt viæ, fontes, &c.

R. 4°. Jus decimarum, primitiarum, oblationes, aliaque jura ſpiritualia, à laïcis non præſcribuntur, titulo *de præſcrip.* capit. *Cauſam.* Et ratio eſt, quòd illa non poſſint poſſideri à laïcis in feudum; de ratione autem præſcriptionis eſt legitima poſſeſſio rei præſcriptæ. Eadem verò jura præſcribi poſſunt à perſonis Eccleſiaſticis; cùm ea poſſidere poſſint.

R. 5°. Non præſcribuntur tributa, functiones publicæ, cenſus, ac familia, quæ ſolvuntur Principi in ſignum ſupremæ poteſtatis, ex lege, *Comperit*, Codice *de præſcript. triginta & quadraginta annorum.* Nihil enim præſcribitur, niſi permittat lex civilis, vel Princeps: at Principes non conſentiunt præſcriptioni juribus ſuis contrariæ. Hinc non præſcribitur ſuprema jurisdictio, quæ in eo elucet, quòd ab omnibus Judicibus ad Principem appelletur.

R. 6°. Non præſcribuntur res ſacræ. Etenim ſi res Principi propriæ non præſcribuntur, à fortiori ea quæ Dei ſunt, quæque alienare vetat Imperator in inſtitutis, paragrapho, *Sacræ res*, titulo *de rerum diviſione*.

R. 7°. Præſcribi non poſſunt res ejus, qui adeò impotens eſt, aut impeditus, ut rem ſuam in judicio petere non poſſit. Hinc contra mente captum, minores vigenti quinque annis, filium ſub poteſtate patris exiſtentem, & uxorem, cujus vir non eſt adminiſtratione privatus, non præſcribitur.

R. 8°. Non præſcribuntur fines Provinciarum, Epiſcopatuum, & Parœciarum, quando conſtat de earum limitibus, ut habetur cap. *Dilectis* 16. quæſt. 3.

Advertes multa, quæ dicuntur non præſcribi, intelligenda eſſe de præſcriptione, quæ fit ordinario tempore, nempe ſpatio decennii aut vigenti annorum, nam præſcribuntur præſcriptione longiſſimi temporis, putà trigenta aut plurium annorum; tales ſunt res fiſci, fundus in dotem datus, & res furtivæ, leg. *Omnes*, & leg. *Sicut in rem*, Cod. *de præſcrip. trigenta annorum.*

Q. 69. *Quæ poſſeſſio requiritur ad præſcribendum?*

R. Non ſufficit naturalis; quia nullum parit effectũ, cùm ei jus reſiſtat. Hinc fur nunquam præſcribit, quia nunquam lege poſſidet; nec curator aut tutor, nec colonus, nec uſufructuarius; quia non poſſident ſuo nomine. Requiritur ergo poſſeſſio civilis, quæ ſola eſt legitima. Unde ſi quis juſtè re aliqua privaretur, & eandem poſtea reciperet, præſcriptio eſſet interrupta; & tempus ad præſcriptionem requiſitum computandum eſſet à poſteriori poſſeſſione; ſecùs ſi quis injuſtè re ſuâ privaretur; privatio enim illa non interrumperet tempus præſcriptionis.

Q. 70. *Quis titulus requiritur ad præſcriptionem?*

Nota 1°. titulum dici rationem aliquam legitimam propter quam quis cenſetur juſtè poſ-

ſidere rem aliquam ; v. g. habeo hunc librum, quia bona fide emi.

Nota 2°. titulum alium eſſe verum, ut ſi à vero domino emeris ; alium præſumptum, ut ſi emeris ab eo, quem probabiliter putas verum dominum.

Nota 3°. duplicem eſſe præſcriptionem ; aliam longi temporis, aliam longiſſimi : illa eſt triennii, decenii, & vicennii ; iſta verò trigenta, quadraginta, & aliquando centum annorum. His præſuppoſitis.

R. Ad præſcriptionem longi temporis requiritur titulus ; quia ſine titulo poſſeſſio non cenſetur legitima ſeu civilis, quæ neceſſaria eſt ex dictis ad præſcribendum.

R. 2°. Ad præſcriptionem longiſſimi temporis ordinariè non requiritur titulus ; quia difficiliùs probatur quâ ratione inierimus poſſeſſionem, in quâ ſumus à tam longo tempore.

Dixi, *ordinariè ;* quia aliquando ad præſcriptionem longiſſimi temporis requiritur titulus, nempe quando juris præſumptio eſt contra præſcribendum. Hinc ſi Epiſcopus velit præſcribere decimas in altera Diœceſi ſitas per quadraginta annos, ſine titulo non præſcribit, ex cap. 1. *de præſcrip.* in ſexto.

R. 3°. Titulus præſumptus ſufficit : quia ubi titulus eſt verus, ibi inutilis eſt præſcriptio, cùm ſine continuata poſſeſſione res ad nos propter verum titulum pertineat.

Advertes, eum, qui titulo hæreditatis, bonâ fide poſſidet rem à defuncto malâ fide poſſeſſam, nunquam præſcribere, ſi ſit hæres univerſalis : ita habetur Lege, *Cùm hæres*, Digeſt. *de diverſis temporibus præſcriptionis* : *Cùm hæres in jus omne defuncti ſuccedat, ignoratione ſuâ defuncti vitia non excludit.* Et paragrapho, *Diutina*, In-

ſtitut. *de uſucap. Si ille defunctus juſtum initium non habuit, hæredi & bonorum poſſeſſori, licèt ignoranti, poſſeſſio non prodeſt.* Ratio eſt; quia hæres, & defunctus efficiunt unam perſonam; ideòque fictione juris mala fides cenſetur in ſucceſſore, ſicut in eo cui ſuccedit. Dixi, *hæres univerſalis*, nam legatarius ſeu hæres particularis poteſt præſcribere.

Q. 8o. *Bona fides eſt-ne omnino neceſſaria?*

R. Eſt abſolutè neceſſaria. Probatur ex capite finali *de præſcrip.* deſumpto ex Concilio Lateranenſi, cujus hæc ſunt verba: *Quoniam quod ex fide non eſt, peccatum eſt; Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam canonica, quàm civilis; cùm generaliter ſit omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari. Unde oportet ut qui præſcribit, in nulla temporis parte habeat conſcientiam alienæ rei.* Et ex reg. 2. juris in ſexto: *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Quibus juribus abrogantur leges civiles admittentes præſcriptionem cum mala fide, ſive in actionibus realibus, ſcilicet quando res uſu non conſumuntur; ſive in actionibus perſonalibus, quando res ipſo uſu conſumuntur.

Dices 1o. Is, cujus bona per legem pœnalem addita ſunt fiſco, poteſt ſtatuto tempore præſcribere: Ergo poteſt præſcribi cum mala fide.

Nego conſequentiam; nam in eo eſt bona fides, cùm tandiù bona fide poſſideat, quandiù bonis ſuis per ſententiam Judicis privatus non eſt; lex enim pœnalis ante Judicis ſententiam non obligat.

Dices 2o. Poteſt aliquis præſcribere contra eum, qui habet jus ſervitutis ruſticæ in ſuo prædio, v. g. tranſeundi per ſuum prædium, quamvis ſciat eum jus illud habere, leg. *Hæc*

autem, Digeſt. *de ſervitutibus urbanorum prædiorum:* atqui in illo caſu eſt mala fides: Ergo.

Nego minorem; nam etiamſi ſciam illum jus habere tranſeundi per meum agrum, non ſum in mala fide, ſi non tranſeat; ſiquidem nihil facio illicitum, nec aliquid omitto, quod debeam; non enim teneor illum monere ut jure ſuo utatur. Bonâ itaque fide ſino illum jure ſuo non uti, & eo ipſo prædio meo libertatem acquiri. Ex his

Colliges: leges municipales, quibus præcipitur, ne mercenarii ſtipendium poſſint repetere, niſi ante triennium, vel aliud definitum tempus, illud poſtulent, injuſtas eſſe, ſi concedant veram præſcriptionem debitori malam fidem habenti; ſecùs ſi tantùm negent actionem in foro externo: quia talis actio meritò negatur, ut mercenarii ſolliciti ſint poſtulare ſtipendium definito tempore, ne debitores periculum repetendæ ſolutionis propter oblivionem minutorum debitorum incurrant.

Q. 9°. *Quid ſi mala fides ſit ex errore aut ignorantiâ juris; ut ſi quis putet non licere ſibi uſucapere id quod poſſidet, cùm tamen reverà liceat, præſcriberet-ne?*

R. Non præſcriberet; quia non videtur bonâ fide poſſidere: & ita habetur leg. *Si fur*, Digeſt. *de uſucap. Si quis id quod poſſidet non putat ſibi licere per leges uſucapere, dicendum eſt, etſi erret, non procedere tamen ejus uſucapionem, vel quia non bona fide videatur poſſidere, vel quia in jure erranti non procedat uſucapio.*

Q. 10°. *Sufficit ne quod fuerit bona fides quando res cœpit poſſideri;*

R. Non ſufficit, ſed requiritur bona fides continuata. Ratio eſt, quia non eſt legitima poſſeſſio cum mala fide: Atqui requiritur continuata poſſeſſio ex dictis: Ergo, &c. Hoc ex-

tendit Covarruvias, etiamſi recedat poſtea mala fides: *nam*, inquit, *mala fides interrumpit poſſeſſionem: interruptio autem inducit neceſſitatem uſucapiendi ſeu incipiendi uſucapionem.* Unde ſi quis juſtè re aliquâ privaretur, & eandem poſteà reciperet, inciperet de novo tempus præſcriptionis. Quare ſi lex requirat decennium ad præſcribendum, & finito quinquennio res alienetur; non præſcribitur, etiamſi per alterum quinquennium poſteà poſſideatur.

Dixi, *Si quis juſtè re aliquâ privaretur;* nam ſi injuſtè re ſuâ privaretur, non interrumperetur tempus præſcriptionis; quia in illo caſu poſſeſſio civilis cenſetur permanere.

Q. 110. *Dubitatio impedit-ne bonam fidem & præſcriptionem?*

R. 1o. Dubitatio, quæ omnem poſſeſſionem præcedit, impedit bonam fidem. Ratio eſt, quia non eſt bona fides, ubi quis debet judicare rem alienam eſſe; Nam in dubio favendum eſt reo potiùs, quàm actori: Qui autem poſſidere incipit, eſt veluti actor; & qui anteà poſſidebat, veluti reus: Ergo huic favendum eſt, adeòque judicandum rem illius eſſe.

R. 2o. Dubitatio ſuperveniens non impedit bonam fidem; quia in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis, ex reg. 65. *de reg. juris*, in ſexto. 2o. quia tandiù bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimus dicitur quandiù ſe poſſidere ignorat alienum, ex cap. *Si virgo*, causâ 34. q. 1.

Dices: Per litis conteſtationem interrumpitur poſſeſſio, etiamſi bonâ fide inchoata ſit: Ergo & per dubitationem interrumpitur.

Nego conſequentiam; nam ideò per litis conteſtationem interrumpitur præſcriptio, quia impeditur pacifica poſſeſſio, quæ requiritur ad præſcriptionem: at dubitatio paci-

ficam poſſeſſionem non interrumpit.

Obſervabis eum, qui bubitat, peccare, niſi debitam diligentiam adhibeat; quia non tam habet ſanam quàm læſam conſcientiam, adeòque non eſt in bona fide, ſed in mala.

Q. 12°. *Ignorantia juris impedit-ne præſcriptionem?*

R. 1o. Certum eſt ignorantiam culpabilem tollere præſcriptionem, cùm tollat bonam fidem. Quæſtio eſt ſolùm de ignorantia invincibili.

R. 2o. Ignorantia invincibilis juris ſaltem clari & manifeſti tollit præſcriptionem, ex lege, *Juris*, Digeſt. *de juris & facti ignorantia*, ubi habetur, *Juris ignorantiam in uſucapionibus negatur prodeſſe: facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat* Ex lege, *Nunquam*, Digeſt. *de uſucap. Nunquam in uſucapionibus juris error poſſeſſoribus prodeſt.* Unde ſi quid à pupillo ematur ſine tutoris auctoritate, à neſciente eam requiri, non præſcribit emptor; quia eſt error juris manifeſti. Quòd ſi ignoret emptor hunc eſſe pupillum, præſcribit; quia eſt error facti.

Dixi, *ſaltem juris clari & manifeſti;* quia plures Theologi exiſtimant ignorantiam invincibilem juris dubii non impedire præſcriptionē. Verùm cùm præſcriptio inducta ſit lege humanâ, nec lex diſtinguat inter jus clarum & obſcurum, certum & dubium; ſed abſolutè decernat in uſucapionibus nunquam juris errorem poſſeſſoribus prodeſſe, præferenda videtur ſententia affirmans ignorantiam etiam invincibilem juris ſive perſpicui & indubitati, ſive obſcuri & dubii, impedire præſcriptionem: & ita in foro externo Judex decerneret.

Q. 13°. *Quale tempus requiritur ad præſcribendum?*

Nota, res alias eſſe mobiles, alias immobiles. Mobiles ſunt res corporales, quæ loco moveri poſſunt, ut animalia, veſtes, naves, &c. Ad res mobiles reducuntur debita, & actiones ad illa obtinenda. Immobiles ſunt res corporales, quæ loco moveri non poſſunt, ut domus, fundi. Revocantur ad res immobiles, res incorporeæ, ut ſervitudes ad aliquid non ſemel, ſed iteratis vicibus faciendum, qualia ſunt Beneficium Eccleſiaſticum, Commenda, Jus Patronatûs, uſusfructus, cenſus, munus Tabellionis, &c.

R. 1o. Res mobiles alicujus privati, vel etiam cujuſvis Eccleſiæ cum titulo per poſſeſſionem triennalem bonâ fide continuatam præſcribuntur, Inſtitut. parag. 1. tit *de uſucap.* Fuit quidem in uſu in Italia ut annuali poſſeſſione bonâ fide continuata res mobiles præſcriberentur, ſicut & immobiles biennio; ſed hoc citatis juribus correctum eſt.

Dixi, 1o. *etiam cujuſvis Eccleſiæ*, ut habetur Authentica, *Si quas actiones*, Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*; refertur que cap. *Placuit*, causâ 16. qu. 3.

Dixi 2o. *cum titulo*; quia res mobiles ſine titulo, trigenta annorum ſpatio præſcribuntur, ut docent communiter; colligitur ex lege, *ſicut in rem* Cod. *de præſcrip. triginta vel quadraginta annorum.*

R. 2o. Res immobiles privatorum inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis cum titulo præſcribantur, ex Inſtit. tit, *de uſucap.* ubi dicitur inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis res immobiles uſucapi.

Dixi 1o. *cum titulo*; quia ſi deſit titulus, inter præſentes requiritur poſſeſſio trigenta annorum; inter abſentes, quadraginta: leg. *Si quis*

emptionis, parag. *Quod ſi quis*, Cod. *de præſc. trigenta vel quadraginta annorum.* Ex Authentica autem, *Quòd ſi quis*, Cod. *de præſcript. longi temporis*, ſi quibuſdam annis præſens ſit dominus, quibuſdam verò abſens, adjiciuntur ei ſuper decennium totanni, quot ex decennio fuit abſens; nimirum ſi per triennium ab fuerit, præſcriptio 13. tantùm annis abſolvetur.

Dixi 2°. *res immobiles privatorum;* nam ex cap. *Illud*, cap. *Quia*, & cap. *Ad aures*, *de præſcript.* requiruntur quadraginta anni ad præſcribendum contra Eccleſiam diſtinctam à Romana: dico, *diſtinctam à Romana;* nam citatâ Authenticâ, *Si quas actiones*, Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*, adversùs Eccleſiam Romanam non præſcribitur, niſi per poſſeſſionem centum annorum. Debent autem res illæ, quæ tantùm centum annis præſcribuntur, pertinere immediatè ad Eccleſiam Romanam; nam ſi pertineant ad inferiorem, quamvis indè aliquo modo præjudicetur Eccleſiæ Romanæ, quadraginta annis præſcribuntur.

Ad Eccleſias revocantur hoſpitalia, monaſteria, & quæcunque loca, quæ habent bona ad pias cauſas relicta. Non deſunt quædam Monaſteria, & Collegia Regularium, quorum res immobiles nonniſi ſexaginta annorum ſpatio poſſunt præſcribi. Hoc privilegium conceſſit Eugenius IV. Ordini ſancti Benedicti; ſed videndum utrùm apud nos talia privilegia autoritate regiâ ſint firmata. Fuit etiam, cùm res Eccleſiæ immobiles non præſcriberentur, niſi ſpatio centum annorum, ut colligitur ex lege, *Ut inter divinum*, Cod. *de ſacroſantis Eccleſiis*; ſed iſta præſcriptio limitata eſt ad quadraginta annos, ex citatis tum canonibus, tum Authenticâ.

Advertes 1°. majus tempus requiri, quando

præſcriptio dormit vel interrumpitur. Dicitur dormire, quando jam inchoata ceſſat; quod fit 1°. tempore belli vel peſtis, quando homines fugiunt in aliud territorium, vel quando jus non redditur. 2°. quando Eccleſia caret Rectore; tunc enim contra eam ceſſat præſcriptio. 3°. ſi is contra quem agitur, non poſſit agere, qualis eſt pupillus durante pupillari ætate. Dicitur interrumpi præſcriptio, quando poſtquam inchoata eſt, ita ceſſat, ut non debeat continuari cum præcedente tempore, ſive interrumpatur naturaliter, putà deſinente poſſeſſione, aut bona fide, ſive interrumpatur civiliter, ſcilicet per actum juridicum, putà litis conteſtationem, vel citationem. Porrò nulla habenda eſt ratio temporis, quo præſcriptio dormierit, vel interrupta fuerit. Diſcrimen tamen eſt inter tempus, quo dormire dicitur præſcriptio, & illud, quo interrumpitur; nam continuantur poſteriores anni cum prioribus dormientis præſcriptis, licèt non numerentur anni, quibus dormit: at ſi fuerit interrupta præſcriptio, non continuatur.

Advertes 2°. ſi res immobilis incipiat eſſe Eccleſiæ, & jam adversùs privatum præſentem cucurrerint anni quinque præſcriptionis, ſufficere viginti annos ad complendum præſcriptionis tempus contra Eccleſiam inferiorem, & annos quadraginta contra Romanam.

Advertes 3°. à generalibus regulis pro tempore præſcriptionis allatis, nonnulla eſſe excipienda. Namque 1°. Beneficium Eccleſiaſticum per tres annos à pacifico poſſeſſore titulum ſaltem coloratum habente præſcribitur. Dico, *ſaltem titulum coloratum habente*; quia ſine titulo non poteſt præſcribi beneficium, cùm nonniſi inſtitutione canonicâ acquiri poſſit ejus poſ-

ſeſſio. Unde ſi quis poſt completã præſcriptionem deprehendat titulum hactenus coloratum eſſe reverâ, nullum putà datam fuiſſe pecuniam ipſo neſciente, ad obtinendum beneficium; tenetur recurrere ad Ordinarium, vel ad ſummum Pontificem, qui defectum ſuppleat; ex Pragmaticâ Sanctione, & concordatis tit. *de pacificis poſſeſſoribus;* quamvis opus non ſit novam inire poſſeſſionem. 2o. Res oppignerata poſſeſſa à debitore, vel ejus hæredibus, præſcribitur tantùm quadraginta annis. Requiritur autem in debitore bona fides ſe non debere, & ut tanto tempore poſt diem ſolutioni aſſignatum creditor non exegerit. Quòd ſi res oppignerata poſſideatur ab eo qui non eſt debitor, nec hæres ejus, ut ſi fuit vendita ei, qui ignorabat eſſe oppigneratam, extinguitur decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes, L. *Cum noviſſimi*, Cod. *de præſcript. triginta annorum.* 3o. Legata & fideicommiſſa non præſcribuntur adversùs legatarium & fideicommiſſarium, ex lege ultimâ, Cod. *Communia, de legatis*, ubi dicitur, nec uſucapionem, nec longi temporis præſcriptionem contra legatarium & fideicommiſſarium procedere.

Addit tamen Leſſius communem ſententiam eſſe præſcriptionem longiſſimi temporis, putà triginta annorum, procedere. Sunt & aliqua pecularia jura de ſervitutibus, de bonis fiſco addictis; de bonis Principum, de Jure Patronatûs, ſed quæ ad forum externum ferè pertinent.

Q. 140. *Datur-ne remedium adversùs præſcritionem?*

R. Datur nempe reſtitutio in integrum, quæ conceditur, 1o. minoribus ætate, id eſt, iis, qui nundum vigeſimum-quintum annum ex-

pleverunt: 2°. Eccleſiis & piis locis: 3°. majoribus ætate in præſcriptione decem & viginti annorum, modò probent cum juſta & probabili ſua ignorantia, aut omninò ſine ſua negligentia præſcriptionem fuiſſe peractam. Conceduntur autem quatuor anni poſtquam ſciverint expletam præſcriptionem; intra quod ſpatium poſſunt autoritate Judicis reſtitui in poſſeſſionem & dominium rei amiſſæ: ſed hæc ad forum externum pertinent, videndumque eſt quis ſit uſus cujuſque regionis.

CAPUT XIII.

De cæteris dominii acquirendi modis.

Q. 10. *Quibus inſuper modis acquiritur dominium?*

R. Acquiritur per alluvionem, ſpecificationem, acceſſionem, commixtionem, ſive confuſionem, ædificationem, culturam, ſationem, & nativitatem.

Alluvio dicitur, cùm flumen ex unò prædio detrahit, & alteri adjicit; quod fieri poteſt vel paulatim, ſenſimque, & dicitur incrementum latens: vel ſubitò & repentinâ vi fluminis, & dicitur incrementum patens.

Incrementum latens accreſcit etiam uſufructuario; patens verò proprietario duntaxat; quia in priori caſu cenſetur remanere idem fundus: in poſteriori verò æſtimatur diverſus. Feudatarius tamen & emphyteuta utriuſque incrementi commodum capere debent, quia proprietarii vicem gerunt.

Specificacio dicitur, cùm res aliena ad aliquam artificii ſpeciem inſumpta eſt, ut lignum

vicini ad ædificationem domûs tuæ. Refert autem utrùm materia inſumpta ad priorem ſtatum redire poſſit, an non. In primo caſu ſpecies pertinebit ad dominum materiæ: v. g. ex tuo argento à me fabricatum vas, tuum erit. Altero caſu, ad eum ſpectabit, qui ſpeciem formavit, v. g. veſtis ex alienis lanis confecta pertinebit ad eum qui formavit: ſi tamen mala fide ſpecies confecta eſt, à priſtino domino vindicari poterit.

Acceſſio dicitur, cùm quid ornatûs causâ alteri rei adjicitur; & tunc acceſſionis jure adjectum acquiritur domino rei ornatæ; juxta regulam vigeſimam-octavam *de regulis juris* in ſexto; *Acceſſorium ſequi congruit naturam principalis.* Hinc ſi quis alienam domum pinxerit, pictura domino domûs vi acceſſionis cedit; nec tenetur ad expenſas, niſi tale ornamentum neceſſarium fuerit. Item ſi quis ædificaverit ex aliena materia, opus deſtruendum non eſt; ſed ſi bonâ fide, pretium ſolvendum eſt; ſi verò malâ fide, operam & impenſas amittet, actionemque furti illi intendere poterit materiæ dominus. Similiter ſi pars addita ſit toti, ut pes ſtatuæ, anſa vaſi; cedit domino totius. Aliter ſentiendum, ſi quis in aliena tabula pinxerit, tabula enim eſt Pictoris: ſiquidem ridiculum eſſet picturam Appellis in acceſſionem viliſſimæ tabulæ reputari, ex Inſtit. parag. *Si quis*, Digeſt. *de rerum diviſione*. Idem dicendum videtur de ſpecificatione, quæ fit facilè & quaſi ſine arte, ut ſi ex farina aliena confectus ſit panis, & ex uvis furtivis expreſſum vinum; videtur enim ridiculum, panem aut vinum non eſſe ſub ejus dominio, cujus farina & uvæ erant.

Commixtio differt à confuſione, quia quæ confuſa ſunt novam pariunt ſpeciem, ſic vi-

num & mel confuſa faciunt mulſum, quod eſt alia ſpecies liquoris; mixta verò in eadem remanent ſpecie, ut grana tritici. Si res permixtæ ſeparari poſſint, ut oves in grege permixtæ, debent ſeparari; ſi non poſſint, & mixtæ fuerint, amborum dominorum conſenſu erunt utriuſque. Idem dicendum, ſi permixtæ aut confuſæ fuerint caſu fortuito.

Quod ſpectat ad ædificationem, culturam, ſationem, & nativitatem; certum eſt 1°. quod in noſtro ædificatum eſt, noſtrum eſſe; quia ædificium accedit ſolo. Sed attendendum eſt, an bonâ, an malâ fide quis ædificaverit; ſi enim bonâ fide, ei ſolvendæ ſunt impenſæ, ſecùs ſi ex mala fide. 2°. Quod ex noſtris agris naſcitur, ad nos pertinere, ſicut & quæ ex noſtris animantibus proveniunt, noſtra fieri, ſi tamen ex animantibus feminei ſexûs; nam partus ſequitur ventrem: hinc planta, quam invenimus in noſtro ſolo radices egiſſe, noſtra eſt; ſecùs ſi radices non egerit.

CAPUT XIV.

De ſubjecto juſtitiæ & dominii.

Conſtat ex definitione juſtitiæ c. 1. allatâ, voluntatem eſſe ſubjectum *quo*, ſeu potentiam, in qua reſidet juſtitiæ virtus. Quæritur hîc ſolùm de ſubjecto *quod*, ſeu de perſona, in qua juſtitia reperiri poſſit. Itaque.

Q. 1°. *Utrum poſſit eſſe juſtitia ejuſdem ad ſeipſum?*

R. Negativè, quia juſtitiæ propriè dictæ eſt conſtituere æqualitatem: æqualitas autem eſt inter duo realiter diſtincta; cùm nihil ſit ſibi æquale: Ergo.

Dices : injuſtus eſt, qui ſe occidit, aut mutilat; ergo eſt juſtitia ejuſdem ad ſe ipſum.

Diſtinguo antecedens: injuſtus eſt erga Deum, qui ſolus habet dominium directum in vitam hominis; vel erga Rempublicam, cujus eſt membrum, quæque habet dominium indirectum & utile cujuſlibet civis, Concedo : injuſtus eſt erga ſeipſum, Nego antecedens; nam volenti non fit injuria, cùm cedat jure ſuo: qui autem ſeipſum occidit, aut mutilat, id facit omninò volens, renuntiatque juri, quod habet ad conſervandam propriam vitam.

Juſtitia ergo injuſtitia non eſt niſi per ordinem ad alterum, qui habeat jus aut dominium proprium & diſtinctum. Quare.

Q. 2°. *Quodnam eſt ſubjectum juris aut dominii?*

R. Sola natura intellectualis eſt capax dominii, quia dominium eſt facultas diſponendi de re aliqua: Atqui illa facultas ſupponit intellectum & libertatem; bruta enim animantia non diſponunt de ſuis operationibus, ſed aguntur & moventur potiùs, quàm agant aut ſeipſa moveant: Ergo.

Dices : parvuli & amentes ſunt capaces dominii, juxta illud Gal. 4. *quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit dominus omnium.* Præterea qui uſurpat bona parvulorum & amentium, injuriam facit: Ergo.

Diſtinguo antecedens : capaces ſunt dominii habitualis, ſicut & adulti dormientes, Concedo; habent enim facultatem diſponendi de rebus ſuis, nempè voluntatem : ſeu actualis adminiſtrationis rerum ſuarum, Nego anteced.

Q. 3°. *Quid inde ſequitur ?*

R. Creaturas irrationales injuriæ eſſe incapaces. Unde qui illas ferit, interimit, aut mutilat, non magis injuriam facit, quam qui arbo-

rem eradicat, aut ramum ejus frangit, ex S. Thomâ. 2. 2. qu. art. 1.

Q. 4°. *Utrùm omnis natura intellectualis ſit capax dominii & juſtitiæ?*

R. Quæſtio præcipuè movetur de Deo reſpectu creaturæ, & viciſſim: 2°. de infidelibus & peccatoribus: 3o. de filiis reſpectu parentum: 4o. de conjugibus inter ſe comparatis: 4°. de ſervis: 6o. de Religioſis: 7°. de Clericis ſæcularibus reſpectu fructuum ſuorum Beneficiorū: quæ examinanda ſunt ſequentibus capitibus.

CAPUT XV.

Utrum ſit in Deo dominium?

R. Eſt, idque abſolutiſſimum, teſtante Scripturâ, Eſther 13. *Domine rex omnipotens; in ditione enim tua cuncta ſunt poſita. Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es.*

Probatur ratione: Quidquid ſunt creaturæ, quidquid habent aut agunt, à Deo eſſentialiter pendet, ſive in fieri, ſive in conſervari, juxta illud actuum 17. *in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus.* Ergo omnia ſubjacent Dei dominio.

Dices 1o. Creatura libera, eſt domina ſuarum actionum liberarum; in eo enim conſiſtit libertas ut poſſit natura libera diſponere de ſuis actionibus: Ergo creaturæ liberæ dominium habent proprium & diſtinctum.

Diſtinguo antecedens. Domina eſt per ordinem ad aliam creaturam, reſpectu cujus eſt capax dominii proprii, Concedo: per ordinem ad Deum, Nego antecedens & conſeq. Deus enim eſt Dominus libertatis creatæ, & ejus uſûs, cùm utrumque ab ipſo pendeat.

Inſtabis: Creatura libera per uſum ſuæ liber-

tatis gratiâ adjutæ Deo ſatisfacit,& apud ipſum meretur: Ergo uſus libertatis eſt ſub dominio illius, etiam per ordinem ad Deum.

Diſtinguo antecedens: Satisfacit & meretur per virtutes à juſtitia diſtinctas, putà per pœnitentiam & charitatem, Concedo: Per juſtitiam ſtrictè ſumptam, quaſi transferat injus & dominium Dei, quod ad ipſum aliàs non pertineret, Nego antecedens. Itaque ad ſatisfactionem & meritum neceſſe non eſt ut offeratur aliquid non pertinens ad perſonam, cui ſatisfacimus, aut apud quam meremur, ut patet ex ſervo, qui operas ex juſtitia debet dominio; ſi enim ſtrenuè & ex affectu iis incumbat, meretur benevolentiam domini, & ſi antea deliquiſſet, hâc ſuâ diligentiâ delet offenſam, maximè ſi dominus præmium aut veniam promiſerit ſervo fideliter ſervienti & pœnitenti. Itaque creatura libera in eo laude digna eſt, quòd cùm poſſit tranſgredi, non tranſgrediatur; & ad gloriam Dei potiùs, quàm ad privatum commodum referat Dei bona.

Dices 2o. quod contractu donationis aut promiſſionis nobis conceditur, fit juris noſtri; Atqui Deus nonnunquam dignatur talem inire contractum cum creatura libera: Ergo creatura poteſt acquirere jus & dominium etiam per ordinem ad Deum.

Diſtinguo majorem: ſi perſona cum qua contrahimus, poſſit abdicare jus ſuum, & ita nobis communicare bona ſua, ut iis ſe ſpoliet, Concedo: ſecùs, Nego. Porrò Deus abdicare non poteſt jus ſuum; quia titulus talis juris, nempe creatio & conſervatio, in alium transferri non poteſt; aliàs agnoſcendum eſſet aliquid creatum, quod independens eſſet à Deo, ſicque terra, quàm dedit non Angelis, ſed fi-

liis hominum, *Pſalm.* 113. ſicut & piſces maris, volatilia cœli, & beſtiæ univerſæ terræ, *Gen.* 1. non ampliùs ad Deum pertinerent, quod repugnat. Creaturæ itaque, ſi comparentur inter ſe, habent dominium proprium: Angeli v. g. in ſuos actus, in ſuam famam & honorem, & in ſecreta ſua, & homines inſuper in res inferiores: ſed ſi comparentur cum Deo, nullum jus haberi poſſunt.

Inſtabis: Deus in Scripturis dicitur juſtus & debitor. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ* (inquit Apoſtolus 2. ad Tim. 4.) *quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Hinc S. Chryſoſtomus hom. 8. in epiſt. ad Rom. ſic ſcribit: *juſtus debitorem habet Deum non rerum vulgarium, ſed ſublimium*: Ergo.

Diſtinguo antecedens: juſtus dicitur, vel quia ordinat omnia, & diſtribuit unumquodque ſecundùm ejus naturam; vel quia fidelis eſt in promiſſis ſuis, ordinem per ſapientiam & bonitatem ſuam præſtitutum inviolabiliter ſervat, Concedo: juſtitia divina, inquit auctor libri de divinis nominibus, c. 8. *omnia ordinat & determinat.* Et S. Anſelmus: *juſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis quod te decet valde bonum:* Juſtus dicitur, quia obligatus eſt jure alieno, & reddit alteri debitum ſtrictè ſumptum: Nego antec. *reddis debita nulli debens*, inquit S. Auguſt. lib. 4. Confeſſ. c. 4. & S. Bernardus ſerm. 1. de Annuntiatione, *Si Deus merenti negaret præmium, nulli faceret injuriam.* Deus itaque creaturæ nihil debet, ſed ſibi ſoli, nempe bonitati, ſapientiæ, & fidelitati. Unde non poſſumus ab eo quidquam exigere. Ex his.

Sequitur 1°. poſſe abſolutè eſſe juſtitiam ſtrictè ſumptam hominis ad Deum; quia Deus habet dominium in ſuam famam & honorem, &

in omnes creaturas. Undè ſi quis diceret Deum eſſe crudelem, idque populo perſuaderet; non minùs injuſtus foret in Deum quàm filius in patrem, cujus formam macularet, teneretur que ex juſtitia honorem Dei ablatum reſtituere. Item poteſt Deus ratione ſui dominii & proprietatis velle hominem hanc vel illam actionem, hoc vel illud obſequium præſtare eo modo, quo herus præcipit operas famulo. Unde ſicut famulus non præſtando operas, eſt injuſtus erga herum; ſic & homo injuſtus foret erga Deum, ſi non obſequeretur. Attamen Deus non ita præcipere ſolet, ac propterea homo non obtemperans Deo, non peccat contra juſtitiam, ſed contra virtutem, in cujus materiâ eſt præceptum, adeò ut ſi Deus præcipiat jejunium, homo non jejunans peccet contra temperantiam.

Dices: ſi quis non honorat Deum, peccat contra religionem: Ergo non contra juſtitiam.

Nego conſeq. peccat enim contra religionem. & juſtitiam ſimul, ſicut filius detrahens patri, violat pietatem & juſtitiam.

Sequitur 2°. non poſſe eſſe juſtitiam Dei ad creaturam: quia inter eos juſtitia eſſe non poteſt, qui non habent duo jura diſtincta: atqui creaturæ ex dictis non habent jus ullum reſpectu Dei: Ergo.

Sequitur 3°. Deum pœnas irrogando, aut beneficia ſubtrahendo non poſſe facere injuriam vel injuſtitiam ſtrictè ſumptam: de ratione enim domini eſt diſponere de re aliqua, prout libet abſque cujuſquam injuriâ. Hinc Sap. 12. *quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Cùm ergo natura patitur quæ repugnant, aut privatur iis quæ concupiſcit, dicamus contra inſurgentes impatientiæ motus:

Deus utitur jure ſuo, Dominus eſt, Creator eſt. *Annon habet poteſtaem figulus luti ex eâ dem maſsâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Rom. 6. *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu meâ, domus Iſrael, ait Dominus.* Jeremiæ cap. 18.

Dices: cit. cap. 12. Sap. habetur: *cùm ſis juſtus, omnia diſponis; ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum exiſtimas à tua virtute.* Hinc can. 3. Conc. Arauſic. ſecundi: *injuſtitiam Deo dare convincitur, qui mortem, quæ eſt pœna peccati, ſine peccato, quod eſt meritum mortis, ad nos tranſire dicit.* Et S. Auguſtinus epiſt. 160. *quemquam immeritum & nulli obnoxium peccato ſi Deus damnare creditur ab antiquitate non creditur*: ergo Deus injuriam faceret creaturæ, ſi eam innocentem torqueret.

Diſtinguo antecedens. Exterum eſt à juſtitia Dei ſumpta, vel pro pro ſapientia, quâ cunctis rebus providet ſecundùm earum naturam & dignitatem, ut ſuprà diximus, vel pro fidelitate in adimplendis promiſſis, Concedo: A juſtitia ſtrictè ſumpta, quæ ſupponit jus in creatura & debitum propriè dictum, Nego antec. Itaque Deus nihil debet creaturæ, cùm tota ſit ſub dominio illius; unde non eſt quod conqueratur aut murmuret homo, ſi non faciat ſecundùm quod expetit; in promptu enim eſt reſponſio Matth. 20. *Amice non facio tibi injuriam .... tolle quod tuum eſt .. . aut non licet mihi quod volo facere?* Sed Deus debet ſuæ ſapientiæ & bonitati, ut creaturas ad finem convenientem dirigat; & fidelitati, ut quod promiſit impleat, ſi homines pactum non violaverint. Cùm ergo promiſerit Adamo vitam perennem, ſi in juſtitia perſeveraret, rectè ſanctus Auguſtinus & Concilium Arauſic. colligunt Deum inju-

ſtum, hoc eſt, infidelem facere, qui docet, ſicut revera docebat Pelagius, Adamum ſine peccato morti factum eſſe obnoxium.

Ceterùm cùm nihil poſſit Deus contra ſuam ſapientiam, bonitatem & fidelitatem, non eſt cur homines præparent voluntates ſuas ad perferenda graviſſima tormen[illegible], putà gehennæ, ſi Deus velit uti jure ſuo; non enim admittendæ aut fingendæ ſunt ejuſmodi hypotheſes, quibus admiſſis aut fictis, admittitur aut fingitur Deum non exiſtere: poſito enim quod Deus quidquam faciat contra ſuam ſapientiam, bonitatem, aut fidelitatem non erit verus Deus. Quæ autem pietas, quæ charitas, quis caſtus amor ſuperſtrui poteſt præſtructo tali fundamento?

CAPUT XVI.

Utrùm infideles & peccatores ſint capaces dominii?

R. De fide eſt ipſos eſſe capaces.

Probatur 1°. ex Scriprurâ. Exodi 9. agnoſcitur Pharao dominus Ægypti, & quidem legitimus: *Poſui te regem ut oſtendam in te fortitudinem meam.* Danielis 2. dicitur ad Nabuchodonoſor, *Deus cœli regnum, & fortitudinem & imperium, & gloriam dedi tibi.* Unde S. Auguſtinus *lib.* 5. *de Civitate Dei*, *c.* 21. ait, *Deum felicitatem dare cœlorum ſolis piis*, regnum verò terrenum & piis & impiis ſicut ei placet.

Probatur 2°. ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. ubi damnata eſt hæc propoſitio Wiclefi & Joannis Hus: *Nullus eſt dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

Probatur

Probatur 3°. ratione. Quia dominium non eſt fundatum in fide & juſtitia, ſed in ſucceſſione, donatione, aut ſimilibus titulis: ſicut debita reverentia filii in partem, non in probitate, ſed in paternitate fundatur.

Dices: Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Atqui impii non habent poteſtatē à Deo juxta illud Ozeæ 3. *ipſi regnaverunt, & non ex me*: Ergo.

Diſtinguo minorem: non habent poteſtatem à Deo inſpirante & excitante, Concedo: à Deo permittente, Nego minorem. Deus quidem non promovet impios ad prælaturas; quia indigni ſunt, & prohibet indignos eligere; ſed permittit eos eligi, & jam electos functiones ſacras obire, ſacrificia offerre, & Sacramenta miniſtrare, quæ quamvis illicitè, validè tamen præſtant. Et hoc poſtulat divinæ providentiæ ordo, ne ſub pretextu alieni peccati cuique liberum ſit contra ſuperiores rebellare, res alienas invadere, & omnia miſcere.

CAPUT XVII.

Utrùm ſit injuſtitia inter patrem & filium, habeantque diſtincta dominia?

R. 1°. Inter patrem & filium quatenùs tales ſunt, non eſt juſtitia propriè dicta; quia filius non eſt perfectè alter à patre, ſed aliquid patris, & quaſi pars ab eo deciſa; unde ſi pater non ſufficienter miniſtraverit filio, aut filius viciſſim patri, neuter tenetur ad reſtitutionem. Prætereà filius non poteſt parenti reddere æquale & quantum debet, nec proinde perfectam juſtitiam ad ipſum exercere.

Advertes tamen majus debitum eſſe filii ad

patrem, quam ſit juſtitiæ propriè dictæ, graviùs enim peccat filius, ſi in parentem contumelioſus ſit, quàm ſi in alium; quia debitum illud filii erga patrem eſt pietatis, quæ arctiùs obligat, ſicut & religio, quàm juſtitia.

Si ergo filius furetur bona paterna, unde pater grave incommodum ſubeat, putà, ſi inde ad inopiam redigatur, graviùs peccat; quia non ſolùm juſtitiam, ut mox dicetur, ſed & pietatem lædit: ſi verò nullum inde incommodum patris ſequatur, videtur minùs peccare filius, quia pater eſt minùs invitus.

R. 2o. Si pater & filius ad invicem conſiderentur ut perſonæ diſtinctæ, poteſt eſſe inter eos juſtitia ſtrictè ſumpta; quia ut ſic poſſunt habere diſtincta jura & dominia. Et ita filius furando bona patris peccat contra juſtitiam; quia uſurpat alienum.

Q. 20. *Quandonam pater conſideratur, non ut pater, ſed ut perſona diſtincta?*

R. Quando conſideratur ut homo eſt, & ut dominus bonorum quorundam. Unde filius etiam contra juſtitiam peccat, ſi patrem occidat, aut mutilet; ſi de fama ejus detrahat; ſi bona illius furetur, vel in res turpes & compotationes conſumat præter intentionem patris: ac proinde tenetur reſtituere & reparare damnum.

Filium tamen Theologi communiter eximunt à bonorum fortunæ reſtitutione, 1o. Si conſtet ceteros tantundem expendiſſe. 2o. Si fratres poſtea ſibi invicem remittant. 3o. Si pater ipſe remittat, vel expreſsè, vel tacitè, ut ferè remittit, cùm in ejus notitiam veniunt filii libidines. Sed notandum eſt aliud eſſe, remiſiſſet pater, ſi poſtulaſſet filius; aliud, remiſit: primum non abſolvit filium, quia pater reverâ non remiſit.

Q. 3°. *Quale eſt peccatum filii, qui bona patris uſurpat?*

R. Eſt mortale, ſi notabilem quantitatem uſurpet, colligiturque ex cap. 20. Prov. ubi habetur: *qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps eſt homicidæ*, id eſt, nihil differt à latrone: imò graviùs peccat, ſi à parentibus indigentibus ſubripiat: quia non ſolùm violat juſtitiam, ſed etiam pietatem, ex qua parentibus indigentibus ſubvenire tenetur.

Q. 4°. *Qualis quantitas requiritur, ut filius cenſeatur peccare mortaliter?*

R. Prudentis eſt Confeſſarii id judicare. Habebit autem rationem ſtatûs & conditionis perſonarum; nam ſi filius ſubtrahit patri prædivitī, non ſtatim damnandus eſt peccati mortalis, ſicut damnandus eſſet, ſi res paterna eſſet anguſta. Porrò conveniunt omnes Theologi, majorem quantitatem requiri ad furtum mortale filii, ſive quia pater non ita eſt inventus, ac ſi extraneus acciperet: ſive quia ſæpè non tam invitus eſt ratione rei acceptæ, quàm modi accipiendi, aut finis ad quem accipitur, nempe ad ludum & compotationes.

Q. 5°. *Quando conſideratur filius ut perſona diſtincta à patre?*

R. 1o. Quando emancipatus eſt. 2°. Quando etiamſi ſit ſub poteſtate paternâ, conſideratur per ordinem ad vitam, famam, & peculium, quod ſit à paternis bonis ſeparatum. Unde ſi quid pater in iis filium lædit, injuſtus eſt.

Q. 6°. *Quomodo fit emancipatio?*

R. Duobus modis. 1o. Expreſsè, cùm coram Judice poſtulat pater, ut filius extrà poteſtatem paternam ponatur, ſuorumque jurium dominus conſtituatur. 2o. Tacitè, cùm ſit vel ratio-

ne Dignitatis a filio adeptæ, vel propter lapſum ætatis, ſcilicet viginti quinque annorum, vel propter matrimonium, ſaltem communiori jure; nam conſuetudines aliquæ filium nobilem minorem vigenti quinque annis emancipatum nolunt per matrimonium, niſi emancipatio expreſſa fuerit.

Q. 7°. *Quotuplicis generis filius non emancipatus peculium habere poteſt?*

R. Quadruplicis. Primum, bonorum caſtrentium. Secundum, bonorum quaſi caſtrenſium. Tertium, adventitiorum. Quartum, profectiorum.

Q. 8°. *Quid ſunt bona caſtrenſia?*

R. Sunt bona, quæ filius in militia vel occaſione militiæ acquiſivit, qualia ſunt ſtipendia eorum, qui ſequuntur caſtra, prædæ de hoſtibus, donativa ducum & commilitonum, legata occaſione militiæ, mobilia à parentibus vel aliis data eunti ad militiam, & omnia lucra quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proveniunt.

Q. 9°. *Quid bona quaſi caſtrenſia?*

R. Sunt ea 1°. quæ acquiruntur, vel ex officio publico non mechanico; ut Judicis, Advocati, Tabellionis: vel poſſeſſione alicujus artis liberalis, & quod datur intuitu talis functionis, ut libri, qui dantur à parente: vel ex Beneficio Eccleſiaſtico, imò quidquid advenit poſt Clericatum, etiamſi aliàs eſſet adventitium, ut expreſsè habetur authenticâ, *Preſbiteros*, Cod. *de Epiſcopis & Clericis*. 2°. quæ proveniunt ex liberalitate Principis. 3°. quæ dantur filio familias, ut ſint tanquam caſtrenſia, ſeu ut ipſe duntaxat, excluſo parte, habeat uſumfructum. Hujuſmodi autem bona vocantur quaſi caſtrenſia; quia habent privilegium caſtrenſium, etiamſi verè caſtrenſia non ſint.

Q. 109. *Quid ſunt adventitia?*

R. Sunt ea, quæ non proveniunt à patre, neque ejus cauſâ vel intuitu principaliter dantur; ſic enim eſſent profectitia. Talia ſunt, quæ filius acquirit, vel ſucceſſione, vel donatione facta alio intuitu quàm patris: vel fortuitò obveniunt, ut ſi filius theſaurũ inveniat: vel propriâ induſtriâ filii comparantur, ita tamen, ut non ſint caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, nempe ſi negociando lucretur ex pecunia mutuò accepta, lucrum illud eſt peculium adventium: item ſi in domo parentis aliquid extraordinariè lucretur, præſtitis ordinariis operis, ad quas tenetur: ſi plus lucretur, quàm conſuevit, & inſinuet ſe cupere lucrum; quod ſi non inſinuet, cenſetur id concedere amori patris.

Q. 110. *Quid ſunt profectitia?*

R. Sunt ea, quæ proveniunt à parente vivo, vel principaliter & proximè ejus cauſâ dantur, nec ſunt caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia. Talia ſunt, quæ à parentibus conceduntur filiis, ut ea adminiſtrent, vel quæ eis dantur ab aliis ob amicitiam vel obſequium parentum; ſecùs, ſi ob amicitiam vel obſequium filii.

Jure communi filiifamilias perfectum habent dominium in bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia. Unde de iis poſſunt abſolutè diſponere per donationes & contractus, imò per teſtamentũ & ultimas voluntates, ſi tamen puberes ſint; nam ante pubertatem teſtari non poſſunt. Bonorũ adventitiorum proprietatem tantùm habent, & uſusfructus ad patrem pertinet. Quare pater poteſt de iis diſponere etiam invito filio, ſalvâ tamen eorum proprietate, quæ ad filium pertinet. Profectitiorum verò nec proprietatem, nec uſum fructum habent, ſed ſolam adminiſtrationem. Hæc patent ex lege, *Cùm opor-*

Digitized by Google

ret, Cod. *de bonis, quæ liberis.* Ubi derogatur antiquiori juri, quo bona filiorum in plenum pertinebant ad patres.

Excipiuntur aliqui caſus, in quibus pater bonorum ædventitiorum filii non habet uſumfructum. Primus, ſi pater talem uſumfructum remittat filio. Secundus, ſi filiofamilias relicta ſunt illa bona, hâc lege, ut uſusfructus non acquiratur patri. Tertius, ſi pater cum filio ſuccedat alteri filio in bonis adventitiis; tunc enim pater non acquirit uſumfructum in parte in qua filius ſuccedit, citatâ lege, *Cùm oportet.* Quartus, quando pater noluit aſſentiri filio adeunti hæreditatem. Quintus, quando pater inceſtas nuptias contraxit. Sextus, ſi uſusfructus alicujus rei filiis relictus ſit; tunc enim parens nihil habebit, quia uſusfructus alterum uſumfructum non habet.

Dixi, *jure communi:* quia conſuetudines patriæ aliquando de iis aliter diſponunt, quare ſemper ſunt conſulendæ.

Q. 120. *Filiusfamilias, qui præ ceteris fratribus patri inſervit, ac rei familiaris curam gerit, poteſtne acquirere aliquid inſtar ſalarii.*

R. 1°. Poteſt, ſi emancipatus ſit: quia filius emancipatus reſpectu patris, eſt veluti perſonna extranea.

R. 2°. Filius non emancipatus non poteſt; quia debet patri ejuſmodi ſervitia: ſi tamen proteſtetur vel expreſsè, vel tacitè ſe velle ſalarium, nec teneatur patrem alere, lucrum expetere poteſt ex ſuo labore, maximè ſi laboret aliis fratribus otiantibus. Quâ in hypoteſi bona quæ ex ejus labore proveniunt, dici poſſunt adventitia; quia acquirit ex ſua induſtria, quæ proprium eſt ipſius bonum.

CAPUT XVIII.

Utrùm maritus & uxor habeant dominia diſtincta, poſſitque inter eos intercedere juſtitia?

R. 1o. Inter maritum & uxorem, quâ tales ſunt, non poteſt eſſe juſtitia; ſecùs, ſi conſiderentur ut perſonæ diſtinctæ.

Prima pars probatur: vir & uxor conſiderantur ut tales, quatenus ſunt una caro & unum veluti totùm, cujus vir eſt caput, & uxor corpus; adeò ut viri ſit regere familiam, uxoris verò ſubjacere viro, eique obſequi, quemadmodùm membra ſubſerviunt capiti: Atqui ſub hâc ratione vir & uxor non ſunt ſatis diſtincti, ut inter eos juſtitia intercedere poſſit. Unde ſi hanc ſubordinationem ſubvertant, peccant quidem, ſed non ſunt injuſti.

Secunda pars probatur: quia vir & uxor quatenus ſunt perſonæ diſtinctæ, habent jura diſtincta, putà in propriam vitam, membra & famam, quin & per contractum matrimonii alter acquiſivit poteſtatem in corpus alterius; unde maritus injuſtus eſt ſi uxorem occidat, mutilet, infamet, ſi adulterium committat, aut neget debitum conjugale. Similiter & uxor.

R. 2o. Uxor habet dominium directum ſeu proprietatem dotis, maritus verò adminiſtrationem & uſumfructum.

Prima pars probatur, quia matrimonii contractus eſt quædam ſpecies ſocietatis: Atqui in ſocietate ſinguli habent proprietatem eorum bonorum, quæ contulerunt. Ex quo ſequitur

maritum peccare contra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, ſi dilapidet dotem uxore invitâ, a ut ad conſentiendum coactâ.

Secunda pars conſtat ex lege ſeptimâ Digeſt. *dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas ſuggerit.* Cùm enim ipſe onera matrimonii ſubeat, æquum eſt eum etiam fructus percipere. Jur communi concinunt pleræque leges municipales Regni, quæ in hac materia conſulendæ ſunt.

R. 30. Uxor habet proprietatem & adminiſtrationẽ bonorum paraphernalium jure communi, Cod. *de pactis conventis.* Sed in hoc ſervanda eſt conſuetudo locorum.

13°. *Quid ſunt bona paraphernalia?*

R. Sunt bona extra dotem, ut ſi uxor in contractu matrimonii ſibi quædam reſervavit, non ſolùm quoad dominiũ, ſed etiam quoad uſumfructum & adminiſtrationem. Paraphernalia etiam dicuntur quæ uxor contracto matrimonio acquiſivit, ſive donatione, ſive legato, ſive alia ratione.

Sequitur ex dictis:

1°. Uxorem peccare contra juſtitiam, & eſſe furti ream, ſi aliquid ſubripiat ex bonis communibus, ſive etiam ex dote, inſcio aut invito marito; quia etſi dotis proprietatem habeat, facit tamen contra jus mariti ad quem adminiſtratio & uſus fructus pertinent.

2°. Si eadem bona conſumat in ludo, ornamentis ſuperfluis, & nimis pretioſis, marito non conſentiente, niſi quia aliter non poſſet obtinere pacem in familia, quomodò mutuans conſentit in uſuras, ne repulſam ab uſurario patiatur.

3°. Maritum dilapidantem bona communitatis, illæſâ dote & ſervatis bonis paraphernа-

ſibus, licèt peccet graviter, tamen injuſtum non eſſe, nec ad reſtitutionem teneri; quia ex dictis dominus eſt illorum bonorum.

Advertes, ſæpè excuſari à furto uxorem, quæ inſcio marito, diſponit de bonis communitatis. 1°. Si capiat, ut faciat eleemoſynas & donationes communes, quas feminæ paris conditionis facere ſolent; quia his maritus conſentire cenſetur, vel ſaltem non eſt rationabiliter invitus. Dico, *communes*; nam exceſſus damnat S. Auguſtinus epiſt. 196. relatâ cap. *quod Deo*, c. 33. q. his verbis. *Nihil ergo de tua veſte, nihil de tuo auro vel argento, vel quâcunque pecuniâ aut rebus terrenis tuis ſine arbitrio ejus* (viri) *facere debuiſti.* 2°. Si quid capiat ad vitandum damnum mariti; quia tunc mariti negotium utiliter gerit. Videndum tamen eſt, ne eo prætextu mariti; bona ſine fructu diſſipet. 3°. Si maritus amens ſit, & curatorem non habeat; tunc enim adminiſtratio bonorum uxori competit. 4°. Si maritus ſit prodigus, poteſt uxor abcondere quod ſibi familiæque eſt neceſſarium. 5°. Cùm maritus eſt abſens, neque cuiquam reliquit adminiſtrationem familiæ, poteſt uxor re domeſticâ uti, ſicut maritus uteretur. 6°. Poteſt mulier è bonis communibus aut ſuâ dote ſubtrahere quod det pauperibus parentibus, aut filiis ex alio matrimonio natis, quia jure naturæ debet iis ſuccurrere; ſi poteſt, & illi jus habent ad petendum ab ea alimentum. Tenetur tamen uxor ea quæ ſic dedit in ſuam partem referre, cùm ad partitionem cum heredibus mariti venitur.

CAPUT XIX.

Utrùm ſervi ſint capaces dominii?

R. 1°. SErvus non habet dominium in propriam vitam & membra : quia hoc eſt diſcrimen inter famulos, qui apud nos operas ſuas heris locant, & ſervos ſeu mancipia, Gallicè, *Eſclaves ;* quod illi obligent ſolùm quaſdam operas ad tempus : iſti verò quidquid ſunt, domini ſint, unde poteſt illos dominus vendere, donare, & iis uti ut libet ad propria commoda : Ergo.

R. 2°. Servus eſt domini capax, ac proinde dominus poteſt eſſe in eum injuſtus. 1°. Eſt dominus famæ propriæ. 2°. Bonorum ſpiritualium, qualia ſunt gratia, fides; & ita injuſtè ageret dominus, ſi ſervum ad peccatum cogeret. 3°. Dominus eſt eorum bonorum. 1°. quæ dominus ei conceſſit: 2°. de eorum, quæ ei data ſunt eâ conditione, ut non acquirantur domino : 3°. quæ ſervo reſtituuntur pro injuria illi allata in eis, quæ non ſubjacent domini poteſtati, ut in fama : 4°. quæ ſervus de bonis ſuis ludo, aut aliquâ negotiatione ſine prejudicio domini acquiſivit. Ex quibus patet ſervum differre à Religioſo profeſſo ; hujus enim perſona, utpote ſæculo mortua, nullum dominium rerum externarum retinere aut acquirere poteſt.

CAPUT XX.

Utròm Religioſi habeant aliquarum rerum dominium?

R. 1o. Congregatio ſeu communitas Regularium capax eſt dominii.

Probatur. 1o. ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. capite tertio, *de Regularibus*, ubi concedit omnibus Monaſteriis & Domibus tàm virorum, quàm mulierum, etiam mendicantium, exceptis Franciſcanis bonorum etiam immobilium poſſeſſionem. Item Nicolaus III. in Extravagante, quæ incipit, *exiit*, docet dominium rerum quibus Franciſcani utuntur ad Papam pertinere, non ad eorum Congregationem. Quod ſupponit in aliis Monaſteriis bona communia Congregationis eſſe propria.

Probatur 2o. quia ſummus Pontifex non poteſt niſi ex juſta cauſa, & propter majorem Eccleſiæ utilitatem, transferre bona unius Monaſterii ad illud, quin peccet contra juſtitiam: quod indicat monaſteria jus habere in illa bona.

Dixi; *niſi ex juſta cauſa*: etenim propter majorem Eccleſiæ utilitatem poteſt transferre ejuſmodi bona, ut patet ex praxi quotidiana; quia eſt adminiſtrator omnium bonorum Eccleſiaſticorum.

Dices: Monaſteria non poſſunt alienare bona illa communia, ſaltem immobilia: Ergo in illa dominium non habent.

Diſtinguo conſequens: dominium non habent omninò liberum, Concedo: aliquatenus ligatum, Nego conſequentiam. Itaque ut Ordo religioſus poſſit perſeverare, fundatores Mo-

naſteriis dederunt eâ conditione; ut ſine Eccleſiæ conſenſu legata alienare non poſſint.

R. 20. Religioſus ſolemniter profeſſus in particulari eſt omninò incapax dominii.

Probatur ex capite, *Cùm ad Monaſterium*, quod eſt Innocentii III. in Concilio quarto Lateranenſi, de ſtatu Monachorum: *Prohibemus diſtrictè in virtute obedientiæ, ſeu obteſtatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat.* Additurque nec Papam in eo diſpenſare poſſe. Ex cap. *Monachi*, eodem titulo: *Monachi non pretio recipiantur in Monaſterium, nec peculium permittantur habere. Qui verò peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuſta adminiſtratione permiſſum, à communione altaris removeatur.* Denique Concil. Trid. confirmans antiquos Canones ſeſſ. 25. c. 3. *de Regularibus*, ſic habet: *Nemini igitur regularium tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modò ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs poſſidere vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commodum. Adminiſtratio autem .... ad ſolos Officiales ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat; nihilque ſuperflui in eâ ſit: nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Quòd ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus aut convictus fuerit, is biennio activâ & paſſivâ voce privatus ſit; atque etiam juxta ſuæ Regulæ & Ordinis conſtitutiones puniatur.*

Dixi Religioſum eſſe incapacem dominii rerum temporalium; quia jurium & bonorum ſpi-

ritualium poteſt habere dominium, vel quaſi dominium; nam regulares Beneficiarii habent dominium vel quaſi dominium & poſſeſſionem ſuorum Beneficiorum, poſſuntque agere nomine proprio ad eorum poſſeſſionē obtinendam, retinendam, & recuperandam. Poteſt etiam ſimplex Religioſus agere ſuper jure alimentorum, & jure manendi in tali Monaſterio; quia Religioſi per votum paupertatis bonis hujuſmodi non renuntiant. Ex his.

Sequitur 1o. Superiorem regularem non habere poteſtatem concedendi ſuperflua inferioribus; nec ſi conceſſerit, inferiorem iis licitè uti.

Sequitur 2o. Religioſum profeſſum peccare contra paupertatis votum.

1o. Si ita velit habere, poſſidere, vel uti re aliquâ, ac ſi eſſet ipſi propria, id eſt, cum affectu retinendi jure ſuo, & independenter à voluntate Superioris.

2o. Si non ſit paratus exui poſſeſſione & uſu, omni momento, quo Superior juſſerit; quia non poteſt hæc retinere niſi cum dependentia à voluntate Superioris; alioquin eſſet proprietarius.

3o. Si det vel alienet quidquam abſque facultate Superioris, tuncque irrita eſt donatio; & qui accipit, tenetur reſtituere.

4o. Si cùm diſpenſator eſt aliquarum rerum, eas diſtribuat pro ſuo arbitratu, & contra mentem Superioris.

5o. Si mutuo vel commodato quidquam ex iis, quæ ad uſum ipſi permiſſa ſunt, det alteri abſque Superioris facultate; & ratio eſt quia eſt ſolùm uſuarius habens nudum uſum, putà veſtimenti, quo induitur, libri, quo utitur, &c. idque precariò quandiù Superiori videbitur:

uſuarius autem non poteſt alteri uſum rei concedere; hoc enim eſt uſufructuarii, Inſtit. *de uſu & habitatione*, parag. 1. & 2.

6°. Si ex rebus quæ domi ſunt, abſque Superioris conſenſu aliquid ſibi uſurpet, ſive ſint eſculenta, ſive poculenta, ſive libri, ſive alia utenſilia, cùm enim nihil horum ipſius ſit, ſed Communitatis, non poteſt invito Superiore quidquam ſibi uſurpare: alioquin furtum committit, uſurpans rem alienam invito domino ſeu adminiſtratore, qui eſt loco domini.

7°. Si quidquam abſcondat, ut illud Superioris liberæ diſpoſitionis ſubducat.

8°. Si bona ipſius uſui conceſſa in res illicitas, aut vanas expendat, etiamſi Superior ei id permitteret: ratio eſt quia jura & canones non concedunt adminiſtrationem Regularibus, niſi ad res neceſſarias, utiles, aut honeſtas. Superior autem nihil poteſt præter aut contra quod jura ipſi concedunt. Peccat itaque Regularis contra votum paupertatis, ſi expendat in turpia, in ſumptuoſa convivia, vanas picturas, veſtes ſericas, & in ludos. Imò qui ludo quidquam lucrati ſunt ex bonis Religioſi, tenentur ad reſtitutionem; quia exponi non poterant illa bona à Religioſo, utpote qui non eſſet eorum dominus.

9°. Si non præſtat diligentiam in conſervandis rebus ipſis permiſſis, quam uſuarius qui precariò utitur, tenetur adhibere. Itaque ſi res ipſius negligentiâ pereat, vel deterior fiat, peccat contra juſtitiam, & conſequenter contra obligationem voti.

10°. Si aliquid ab externis accipiat abſque Superioris conſenſu expreſſo vel tacito. Præſumitur autem conſenſus Superioris, quando Religioſus eâ intentione accipit, ut cedant in

commodum Monaſterii. Manifeſtè autem contra votum paupertatis ageret, qui tali donatione vellet ſibi acquirere, vel acquieſceret donantibus eâ conditione, ut donum fiat ipſius proprium.

Q. 2°. *Quid ſentiendum de penſionibus, quæ conceduntur à parentibus Moniali, quando Monaſterium non habet ſufficientes reditus.*

R. Poſſunt tolerari ab Epiſcoqis, 1o. ſi non ipſa Monialis, ſed quæ rerum temporalium Monaſterii adminiſtrationem habet, vel alia ad id præpoſita, pecuniam illam conſervet, & ad nutum Abbatiſſæ vel Prioriſſæ expendat ad uſus neceſſarios illius, cujus intuitu conceſſa eſt à parentibus. 2°. Si ipſa Monialis conſentiat ut Monaſterium dominium ſeu proprietatem acquirat hujuſmodi pecuniæ à parentibus conceſſæ; neque exiſtimet plus juris directi in eam ſibi competere, quàm alteri è Monaſterio. Si enim injuriam ſibi fieri quæreretur in eo caſu, in quo Prioriſſa ex illâ partem ipſi ſuperfluam detraheret ad ſubveniendum alteri Moniali, contra paupertatis votum ageret; quia reverà non ipſa, ſed Communitas in illam pecuniam jus acquiſivit. Quod notandum eſt diligenter ab iis, qui præficiuntur regendis Monialibus. Etenim ſicut admittunt Theologi uſuram aut ſimoniam mentalem, ita eſt admittenda proprietas mentalis contraria voto paupertatis.

Q. 3°. *Unde votum ſolemne paupertatis vim illam habet, ut vovens reddatur incapax omnis dominii & juris temporalis, cenſeaturque civiliter mortuus?*

R. Ex ordinatione Eccleſiæ; non enim eam habet præcisè ex naturâ voti, ut patet ex voto ſimplici, quod non inducit hanc incapacitatem: neque etiam ex intentione voventis; qui enim voveret in Religione non approbata,

quantumvis intenderet ſe reddere incapacē dominii, tamen incapax non fieret. Unde ſequitur, votum ſolemne paupertatis ex ordinatione Eccleſiæ efficere incapacem dominii, quemadmodum ex eadem ordinatione votum ſolemne caſtitatis inducit capacitatem matrimonii.

Dices: ex Innocentio III. ſupra citato, Papa non poteſt diſpenſare, ut Religioſus quidquam tanquam proprium poſſideat: Ergo non jure Eccleſiaſtico, ſed vel naturali, vel divino votum ſolemne paupertatis vim iſtam habet; cùm Papa habeat poteſtatem diſpenſandi in iis, quæ ſunt juris Eccleſiaſtici.

Alii, ut ſanctus Thomas, conceſſo antecedente, negant conſequentiam, & ejus confirmationem; quia, inquiunt, votum ſolemne eſt quædam conſecratio hominis ad Deum: quod autem conſecratum eſt, non poteſt ampliùs ad uſus profanos converti; quia non poteſt deſinere eſſe conſecratum, ut patet ex Calice conſecrato, & ex Clerico ad Ordinem ſacrum promoto.

Porro ſicut conſecratio Calicis eſt juris humani, ita & ſolemnitas voti; confirmaturque ex capite unico *Quod votum*, tit. *de voto* in Sexto; ubi habetur: *nos igitur attendentes, quòd voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa.*

Alii negant antecedens, afferuntque multa exempla, quibus conſtat ſummum Pontificem diſpenſaſſe circa votum ſolemne, præſertim caſtitatis.

Ad auctoritatem autem Innocentii III. reſpondent Papam diſpenſare non poſſe, ut Religioſus aliquid tanquam proprium poſſideat manente ſtatu Religionis, cui votum paupertatis eſt eſſentiale; ſed id poſſe efficiendo, ut

non ſit ampliùs Religioſus propter urgentem & publicam Eccleſiæ utilitatem.

Q. 40. *Eſt-ne mortale, aut veniale peccatum violare votum paupertatis?*

R. Idem dicendum eſt cum proportione de illo peccato ac de furto; nempe eſſe mortale peccatum, ſi ſit in materia gravi; veniale verò, ſi in materiâ levi.

Q. 50. *Cui acquirit Religioſus habens Beneficium extra Monaſterium?*

R. Non acquirit Monaſterio, ſed Beneficio. Eſt ſententia communis, colligiturque ex capite, *Statutum*, causâ 18 q. 1. ubi dicitur Religioſum provectum ad Epiſcopatum acquirere non Monaſterio, ſed Epiſcopatui, item Clementinâ 2. parag. *Sed & tales, de vita & honeſtate Clericorum*; ubi ponitur differentia inter Regularem ſimplicem & Beneficiarium, quòd hic abſque facultate Superioris poſſit immediatè in opera pia impendere; ille non poſſit. Unde patet Regularem Beneficiarium poſſe diſponere de fructibus Beneficii ad honeſtam ſui ſuſtentationem, & ad cauſas pias, perinde ac Beneficiarium ſæcularem: Limitant noſtram reſponſionem nonnulli, niſi ex privilegio contrarium alicubi ſit receptum. Sed videndum eſt, an illud privilegium ſit in ædificationem, & non potiùs in deſtructionem; nam vix Parochia poteſt rectè gubernari, niſi rector habeat liberam facultatem Beneficii in pias cauſas conſumendi, ſublevandi miſeras perſonas; debet fovere ut pater.

CAPUT XXI.

Utrùm Clerici ſæculares dominium habeant fructuum ſuorum Beneficiorum?

R. 1°. Bona Eccleſiaſtica ſunt Deo dicata, & ideo ſacra, ac proinde ſine peccato ſaltem contra Religionem aut charitatem conſumi non poſſunt in uſus ſuperfluos aut profanos; ſed impendenda ſunt in uſus pios, qualis eſt honeſta ſuſtentatio Miniſtri; honeſta, inquam, non ſecundùm regulas mundanorum, ſed ſecundùm regulas Eccleſiæ mox explicandàs, juxta quas inhoneſtum & indecorum eſt, ac proinde ſuperfluum in Clerico, quod ſecundùm mores ſæculi eſt neceſſarium. Hæc propoſitio eſt omnium Theologorum, ac proinde ſine temeritate à quoquam negari non poteſt.

Probatur autem ex conſtanti Eccleſiæ traditione.

1°. Ex Canonibus, qui habentur in decreto, totâ ferè causâ duodecimâ: quæſtione 1. C. *Res Eccleſiæ*, tanquam ex Urbano I. ſic legitur: *Res Eccleſiæ, non quaſi propriæ, ſed ut communes & Domino oblatæ, cum ſummo timore non alios, quàm in præfanos uſus pios ſunt diſpendſandæ.* Et c. *Si privatum: Si privatum poſſidemus quod nobis ſufficiat, non illa noſtra ſunt; ſed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus.*

2°. Ex Concilis, præſertim ex Pariſienſi ſexto, quod c. 15. collectis multis canonibus & auctoritatibus ſanctorum Patrum, ſic concludit: *Sicut ergo præmiſſa documenta declarant, non ſunt Res Eccleſiæ ut propriæ, ſed ut Dominicæ, & à*

Domino commodatæ tractandæ. Quicunque ergo eas ad ſuos proprios uſus, terrenoſque honores, & delectationes retorquet, quanti ſit diſcriminis, quantæque tranſgreſſionis apertè adverti poteſt. Celebratum eſt illud Concilium anno 829.

Similia tradit Concilium Trident. ſeſſ. 25. c. 1. de reform. *Omninò verò eis* (Epiſcopus) *interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant; cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant. ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum causâ, imò, quàm maximè poteſt, eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc ergà fratres, nepotes propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia Seminarium extat, penitùs deponant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm in quibuſcunque Beneficia eccleſiaſtica tam ſæcularia quàm regularia obtinentibus, pro gradûs ſui conditione obſervari, ſed & ad ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinales pertinere decernit.* Quàm autem moderatè his bonis Deo dicatis ad propriam ſuſtentationem uti debeant Beneficiarii, declarat idem Concilium immediatè ante citata verba: *Quapropter*, inquit, *exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolùm jubet ut Epiſcopi modeſtâ ſupellectili, & menſâ, ac frugali victu contenti ſint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac totâ domo caveant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat.*

30. Ex ſanctis patribus. *Idcirco ſcientes ſummi Pontifices*, inquit Auctor lib. 2. de vitâ contemplativâ, c. 9. *nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in uſus ſuos ut proprias,*

ſed ut commendatas pauperibus div ſerunt. Sanctus Bernardus epiſt. ad Fulconem ſcribit : *Quidquid præter neceſſarium victum & ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Et lib. de vitâ & moribus Clericorum : *Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur ; ſanè patrimonia pauperum facultates Eccleſiarum ; ſacrilegâ eis crudelitate ſubripitur quidquid ſibi Miniſtri & diſpenſatores, non utique domini vel poſſeſſores ; ultra victum accipiunt & veſtitum.* Addendus eſt S. Thom. quodlibeto ſexto, art. 12. *Bonorum verò eccleſiaſticorum Clerici non ſunt veri domini, ſed diſpenſatores. Pertinet autem ad diſpenſatorem, ut fideliter ea quæ diſpenſationi ejus committuntur, diſtribuat.* Et in reſponſione ad quartum. *Dicendum*, inquit, *quòd neque moderatus uſus divitiarum, neque bona fides diſpenſatorum ſalvari videtur in eo, qui ſcienter ſuperfluas impenſas facit in voluptuoſis conviviis, & aliis hujuſmodi ſuperfluitatibus ; & ſic non eſt dubium quod in talibus peccat mortaliter. Unde dicitur Matth. 24.. Si dixerit malus ſervus, moram facit dominus meus venire, manducet autem & bibat cum ebrioſis (quod pertinet ad ſuperflua & voluptuoſa convivia) veniet dominus ſervi illius horâ quâ ignorat & dividet eum, ſcilicet à ſocietate Sanctorum, partemque ejus ponet cum hypocritis, ſcilicet in inferno. Unde ibi ſubditur, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Si autem aliquis non multùm in talibus excedat, poteſt bonâ fide fieri ab aliquo, qui vult ſecundùm decentiam ſui ſtatûs morem gerere his, quibuſcum vivit ; quia ſi non ſit multus exceſſus, poteſt compati bonam fidem diſpenſatoris : ſi vero multus exceſſus fiat, non poteſt latere, & ita non poteſt cum bona fide diſpenſatoris hoc agi ; ſi autem non conſervet bonam fidem in diſpenſando, peccat mortaliter.*

Dices : quilibet dives etiam laïcus tenetur ſu-

perflua erogare pauperibus, aut in alios pios uſus conſumere; Ergo ſpecialis obligatio non incumbit Beneficiariis reſpectu bonorum Eccleſiæ.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Quemadmodum enim Beneficiarius aliter peccaret, ſi abuteretur vaſe ſacro, aliter ſi profano; ſic abuſus bonorum Eccleſiæ gravius eſt peccatum, quàm abuſus bonorum patrimonialium; quia priora illa bona ſunt res Dei, oblatæ in miniſterium Eccleſiæ. Sicut ergo beneficiarii Dei perſonam in acceptandis hujuſmodi bonis gerunt, ita & in expendendis, hoc eſt, debent ea conſumere ſecundùm offerentium vota.

Ex his colligit Leſſius l. 2. c. 19. dub. 4. multò magis peccare Beneficiarios, qui de bonis eccleſiaſticis diſponunt causâ mortis ad uſus profanaoos, v. g. ad ditandos conſanguineos, vel ſponte ſinunt eos ſuccedere ab inteſtato. Nam ſemper minùs conceſſum fuit Beneficiariis condere teſtamentum, quàm donare inter vivos; ut patet ex multis canonibus, quibus graviter prohibetur, ne de iis, quæ ex bonis Eccleſiæ acquiſita ſunt teſtentur. Vide cauſam 12. qu. 5. totam, & c. 16. Concilii ſexti Pariſienſis, ubi hæc leguntur: *Quoniam multi Epiſcoporum amore propinquorum ſuorum de rebus ſibi commendatis ſuo aut quorumlibet amicorum nomine, prædia aut mancipia emunt, & ut in propinquorum ſuorum jus cedant, ſtatuunt; & ob hoc & jura eccleſiaſtica convelluntur, & miniſterium ſacerdotale fuſcatur. Placuit omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur, fixumque abhinc & perpetuò manſurum eſſè decrevimus, ut Epiſcopus res ſui juris quas aut ante Epiſcopatum, aut certè in Epiſcopatu hæreditariâ ſucceſſione acquiſivit, ſecundùm autoritatem*

canonicam, quidquid vult, faciat, & cui vult, conferat. Poſtquàm autem Epiſcopus factus eſt, quaſcunque res de facultatibus Eccleſiæ: aut à ſe, aut alterius nomine quâlibet conditione comparaverit, decreverimus, ut non in propinquorum ſuorum, ſed in Eccleſiæ, cui poteſt, jura deveniant. Similiter & de Preſbyteris, qui de Eccleſiarum rebus, quibus præſunt, prædia eo modo emunt, faciendum ſtatuimus. Scio conſuetudinem invaluiſſe, ut hujuſmodi diſpenſationes aut ſucceſſiones ſint validæ: tamen communis ſententia Theologorum, ait Leſſius, eſt eas eſſe illicitas, atque ab iis ſemper abhorruerunt viri probi. Unde concludit in hæc verba: *ſanè mirum eſt in quibuſdam Eccleſiaſticis tantam eſſe ſalutis ſuæ incuriam, & futurorum ſecuritatem, ut etiamſi mox ad Chriſti tribunal rapiendi ſint, ea tamen negligant, quibus facilè ſalutem conſequi poſſent, & inſuper rem adeo periculoſam, ut amicos ſuos locupletent, audeant attentare. Verùm hæc eſt hujus ſæculi faſcinatio, & principis hujus mundi corda mortalium excæcantis poteſt.*

Atque hæc de natura bonorum Eccleſiaſticorum ſufficere deberent ad ſuadendam modeſtiam illis Clericis, quibus ſatis non eſt de altari vivere, niſi luxurientur, & in pompam diaboli convertant bona Crucifixi. Quid enim neceſſe eſt ulteriùs quærere, utrùm ex infideli adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum rei ſint injuſtitiæ erga Eccleſiam & pauperes; cùm conſtet eos in Deum eſſe ſacrilegos, obnoxioſque damnationi æternæ, niſi pœnitentiam egerint, & Deo ſatisfecerint? Quam verò ſatisfactionem exhibere poſſunt, niſi tantundem ex patrimonialibus in pios uſus impendant, quantùm ex Eccleſiaſticis in profanos abuſi ſunt? Quin & iſta cohibere debent manus Laïcorum, qui exiſtimant jure hæreditario ſibi deberi

bona Eccleſiaſtica conſanguineorum. Audiant Scripturam ipſis intonantem, *Sancta Sanctorum ſunt; nullus profanus ex eis comedet; qui comederit, morte morietur.* Timeant, ne ſicut virga Moyſis, extra manus ejus converſa in colubrum, devoravit virgas ſapientum Ægypti; ſic bona illa Deo dicata in manibus ſuis abſumant etiam patrimonialia, quæ juſtè & licitè poſſident. Fiant prudentes aliorum exemplo; quis enim non vidit ſubſtantiã Laïcorum ex bonis Eccleſiaſticis conflatam ſubitò evanuiſſe, ita ut vel in prima vel in ſecunda generatione homines alioquin ex bonis patrimonialibus ſatis ditati, ad extremam inopiam fuerint redacti? Quid ita, niſi quia contempſerunt illud oraculum, *non ſunt miſcenda ſacrà profanis?*

Veruntamen, quia in ſcholis magnâ contentione agitatur propoſita quæſtio, num Beneficiarii habeant dominium bonorum eccleſiaſticorum, atque ad illam elucidandam plura ex Traditione proferuntur valde utilia.

R. 2°. Clerici non ſunt domini bonorum eccleſiaſticorum, tenenturque ad reſtitutionem, ſi ea in uſus ſuperfluos impenderint.

Probatur unico ſyllogiſmo. Illa doctrina veriſſima & admodum certa cenſeri debet, quam docent communiter Theologi, quamque tradunt Canones Eccleſiæ, & ſancti patres: atqui doctrinam hanc communiter docent Theologi, tradunt Canones Eccleſiæ; & ſancti Patres: nulluſque ei refragatur, niſi ex recentioribus aliqui. Ergo.

Minoris duæ ſunt partes. Prima quòd omnes Theologis exceptis nonnullis recentioribus, doceant doctrinam noſtrâ reſponſione contentam. Secunda, quod nitatur auctoritate Canonum, & ſanctorum Patrum.

Prima pars patet ex teſtimonio Joannis Majoris in quartum diſt. 24. q. 6. ubi aſſerit nullum ſe ſcire, qui ante ipſius ætatem contrarium docuerit. Eadem tradit Petrus Soto de inſtructione Sacerdotum, p. 2. l. 3. *Primò omnium*, inquit, *conſtat ex decurſu totius Eccleſiæ ab Apoſtolis & ipſo jure divino bona omnium Eccleſiarum cùm Chriſti ſint, meritò etiam pauperum eſſe, nec ullâ ratione aut poteſtate humanâ fieri poſſe, ut licitè in alios uſus, quàm Eccleſiaſticos & pauperum expendi poſſint ... Contrarium credimus errorem eſſe graviſſimum, ſaltem contra bonos mores & juſtitiam.* Similia habet Comitolus lib. 1. quæſt. 70.

Secunda pars minoris etiam conſtat ex his, quæ allata ſunt in confirmationem prioris reſponſionis;in laudatis enim textibus bona Eccleſiæ dicuntur res Dei, patrimonia pauperum, quorum Clerici procuratores ſolùm & œconomi vocantur, adeò ut ſi illa in ſuperfluos uſus expendant, rapinæ & furti rei judicentur, &c.

Confirmatur. Novitas doctrinæ in Religione Chriſtianâ eſt nota falſitatis; quia Chriſtus Dominus Eccleſiæ tradidit omnem veritatem, ita ut quid docetur quod non eſt ſcriptum aut traditum, adulterium judicandum ſit Atqui ſententia eorum, qui faciunt Clericos dominos bonorum eccleſiaſticorum, non eſt à majoribus accepta, ſed prorſus nova: Ergo falſitatis notam effugere non poteſt.

Reſpondent 1°. adverſarii, Canones & antiquiores Doctores intelligendos eſſe de bonis Eccleſiaſticis antequam erecta eſſent Beneficia, ſive priuſquam aſſignata eſſet pars, quæ in uſum Miniſtrorum Eccleſiæ ceſſere. Quod ut intelligas.

Nota 1°. primis Eccleſiæ ſæculisu nam fuiſſe veluti maſſam bonorum eccleſiaſticorum deſti-

natam

naturâ, ad ſuſtentationem Epiſcopi & Miniſtrorum inferiorum, ad levamen pauperum, & ad reparationem fabricarum.

Nota 2°. proceſſu temporis refrigeſcente charitate, multa exorta fuiſſe incommoda, vel quòd non poſſent ita Clerici communiter vivere inter ſe pacificè, vel quòd plerique ſuperflua expeterent, nollentque ſub tam arctâ diſciplinâ ſe continere: unde extiterunt multi Canones circà diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum in quatuor partes, quorum una Epiſcopo cederet, altera Clericis & Miniſtris inferioribus, tertia fabricæ, quarta pauperibus & peregrinis. Quo autem tempore præcepta fuerit illa diviſio, alii aliter affirmant: quidam volunt id contigiſſe quarto ſæculo ſub Sylveſtro, alii ſub Simplicio, vel etiam Gelaſio. His præſuppoſitis,

Fatentur ultro adverſarii Clericos contra juſtitiam feciſſe, ſi ante diviſionem bonorum eccleſiaſticorum ea in ſuperfluos uſus conſumpſiſſent; quia ex maſſâ integra illorum bonorum nihil eos contingebat, niſi quod ad honeſtam ipſorum ſuſtentationem neceſſariũ eſſet. Unde ſibi plus ſi ſumpſiſſent, furtum & rapinã admiſiſſent; quia quod ſuperfluum erat eorum honeſtæ ſuſtentationi, pertinebat ad fabricas & pauperes. At poſt diviſionem factã, fabricæ vel pauperes, vel quivis alius non habent quidquam in eâ parte, quæ Clericis eſt aſſignata; ac proinde poſſunt de ea diſponere Clerici prout libuerit abſque cujuſquam injuriâ.

Sed contra 1°. Etſi præcepta ſit illa diviſio in quatuor partes, tamen non conſtat eſſe factam. Undè quemadmodùm debitor, qui certus eſt ſe debitum contraxiſſe, nec poteſt probare ſe ſatisfeciſſe creditori, tenetur ex juſtitiâ ſatisface-

re; ita pariter cùm bonorum Eccleſiaſticorum pars pertineat ad pauperes & fabricas Eccleſiæ, nec conſtet ipſis aſſignatam fuiſſe, tenentur ii, in quorum manibus reperiuntur hujuſmodi bona Eccleſiaſtica, ſubvenire neceſſitatibus pauperum.

Contra 2o. Multa ſuadent diviſionem illam non eſſe factam. Etenim nihil pauperibus conceſſum videmus, ſicut nec fabricis. Quòd ſi alicubi xenodochia & hoſpitalia erecta fuerint, non ex decimis aut reditibus eccleſiaſticis fuerunt dotata, ſed ex liberalitate fidelium, ut patet ex eorum fundatione. Ergo pauperes & fabricæ idem jus habent in bona Eccleſiaſtica, quod habuerunt prioribus Eccleſiæ ſæculis, antequam præcepta eſſet diviſio eorundem bonorum in quatuor partes.

Contra 3o. etiamſi probari poſſit alicubi, quod tamen facilè non crediderim, pauperibus aſſignatam eſſe partem, quæ ex bonis eccleſtaticis ipſos contingebat; non ſequitur Clericos dominos eſſe eorum, quæ ipſis ſunt ſuperflua; quia bona illa per hujuſmodi diviſionem non mutaverunt naturam; manent res Dei, ac proindè ſecundùm Deum ſeu in uſus pios ſunt diſtribuenda.

Confirmatur 1o. hæc reſponſio exemplo famuli, cui dominus propter nonnulla familiæ negotia tractanda, plus pecuniæ largitur quàm neceſſe ſit, quia non poteſt prævidere omnes expenſas faciendas. Certum eſt quòd, ſi famulus aliquid habeat reſidui, teneatur illud domino reſtituere; nec illius acquirat proprietaté. Similiter ſi Eccleſia abundantius voluit tribuere Beneficiariis, non ſequitur eos dominos eſſe ſuperflui, ſi quod habeant; ſed ex juſtitia tenentur illud conſumere ad eos uſus ad quos

bona Eccleſiaſtica deſtinata ſunt. Quod etam verius eſt in Beneficiario, quàm in famulo prædicto; quia Prælati Eccleſiæ, qui diviſionem quadripartitam fecerunt, non erant abſolutè domini, ſed ſolùm œconomi & diſpenſatores eorum bonorum, quorum partem Beneficiariis aſſignarunt, nec potuerunt eis libertatem concedere inſumendi in uſus profanos, ſi quid eis reſiduum eſſet poſt honeſtam ſuſtentationem abſque pauperum injuria; quia ante diviſionem eorundem bonorum nihil pertinere poterat ad eoſdem Beneficiarios tanquàm miniſtros Eccleſiæ, quàm quod requirebatur ad eorum honeſtam ſuſtentationem.

Confirmatur 2°. Quia plura Concilia, ut ſextum Pariſienſe, & plures ſancti Patres, ut S. Bernardus, ſcripſerunt poſt præceptam diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum, nec aliter docuerunt, quàm qui præceſſerunt; quod ſignum eſt evidentiſſimum, hujuſmodi bona non mutaſſe naturam per diviſionem illam ſuppoſitam, nec Beneficiarios illos evaſiſſe dominos.

Reſpondent 2°. Canones, qui negant Beneficiarios eſſe dominos bonorum Eccleſiaſticorum, poſſe intelligi de immobilibus.

Contra. Loquuntur apertè de his bonis, quæ conſumi debent, tùm ad alendos miniſtros Eccleſiæ, tùm ad ſublevandam miſeriam pauperum, voluntque raptorem eſſe & furem Clericum, ſi totum conſumat in uſus profanos. Porro certum eſt nunquam licuiſſe Miniſtris bona immobilia Eccleſiæ conſumere, ſive ad proprios, ſive ad pauperum uſus. Deinde primis ſæculis Eccleſia ſub imperatoribus paganis nonniſi bona mobilia poſſidebat, ſaltem communiter; nec unquam Canones diſtinxerunt inter bona mobilia, & immobilia, quæ poſt-

modùm fidelium pietas conceſſit Eccleſiæ, ſed conſtanter affirmarunt illa omnia eſſe res Dei, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.

Reſpondent 30. quòd ſancti Patres eodem modo vocent divites laïcos raptores & homicidas, ſi pauperes non juvent, quamvis ſuarum opum reverà ſint domini. Ita causâ 33. diſt. 42, ex ſancto Hieronymo. *Aliena rapere convincitur, qui non neceſſaria ſibi retinere probatur.* Et cap. *Paſce*, diſt. 86. ex ſancto Ambroſio. *Paſce fame morientem; quiſquis enim paſcendo hominem ſervare poteras, ſi non paviſti, occ.diſti;* Ergo ſimiliter per quandam exaggerationem intelligenda ſunt quæ ſcripſerunt contra Clericos, qui ſuperflua Beneficii pauperibus non erogant.

Contra. Patet ex allatis canonibus & textibus, Patres magnum diſcrimen agnoviſſe inter bona patrimonialia & eccleſiaſtica; de illis enim concedunt Clericis liberam facultatem diſponendi prout voluerint; de his verò abſolutè dicunt eſſe res Domini, crimenque eſſe ſacrilegii & injuſtitiæ, ſi contra ejus voluntatem ea conſumant.

Objiciunt S. Thomam 2. 2. q. 185. art. 7. ubi ſic habet: *Dicendum eſt aliter de propriis bonis, quæ Epiſcopi poſſidere poſſunt, & de bonis eccleſiaſticis; nam propriorum bonorum verum dominium habent. Unde ea ipſa rerum conditione non obligantur, ut ea aliis conferant; ſed poſſunt ea vel ſibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri. Poſſunt tamen in eorum diſpenſatione peccare propter inordinationem affectûs, per quam contingit, quòd vel plura ſibi conferant, quàm opporteat, vel aliis etiam non ſubveniant ſecundùm quod requirit debitum charitatis: non tamen tenentur ad reſtitutionem; quia ejuſmodi res ſunt eorum dominio deputatæ. Sed eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores vel procuratores;*

unde ſi aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de iis, quæ ſunt aliis eroganda, non eſt dubium, quin contra fidem diſpenſationis agat, & mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur. De his autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis; ut ſcilicet propter immoderatum affectum & uſum peccet: quemadmodùm ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubveniat: ſicut requirit debitum charitatis.

Reſpondeo 1°. S. Thomam videri à nonnullis in ſententiâ contrariâ propter citata verba; quod tamen difficilè crediderim de tanto Doctore, tam conſtanter addicto ſanctorum Patrum Doctrinæ. Quare

Reſpondeo 2°. S. Thomam diſcrimen ponere loco citato inter bona patrimonialia & eccleſiaſtica, etiam ſpecialiter uſui miniſtrorum deputata, docereque Clericos diſponere poſſe de primis prout libuerit, nec ad reſtitutionem teneri, ſi ex his conſanguineos vel amicos ditaverint: at de poſterioribus concedit tantùm, ut conſangineos alant, ſi egeant. En verba ipſius in reſponſione ad ſecundum *Dicendum, quòd bona Eccleſiarum non ſolùm expendenda in uſus pauperum, ſed etiam in alios uſus ut dictum eſt; & ideò ſi de eo, quod uſui Epiſcopi vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, & conſanguineis vel aliis dare, non peccat, dummodò illud faciat moderatè, id eſt, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.* Vult itaque S. Thomas ante diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum, Epiſcopum peccaviſſe contra juſtitiam ergà pauperes, eiſque reſtituere debuiſſe, ſi partem, quæ ex his bonis ad ipſos pertinebat, in alios uſus conſumpſiſſet. At verò poſt factam diviſionem, liberùm eſſe Epiſcopo diſponere de bonis ſibi ſpecialiter deputatis, ſicut & de patrimo-

nialibus, non quidem abſolutè, ſed tantummodò reſpectu pauperum, quibus, cùm acceperint, ut ſupponit, partem ſuam, nihil ex juſtitia debet Epiſcopus, ſed poteſt quæ ſupererunt poſt honeſtam ſui ſuſtentationem, ad quoſlibet uſus conſumere, modò pii ſint; nam ſi ad profanos impendat, peccat contra juſtitiam, ſaltem erga fundatores, qui hâc conditione Eccleſiam ditaverunt, ut cultus divinus augeretur. Nec ullibi ſcripſit ſanctus Doctor abuſum ſuperflui ex bonis eccleſiaſticis non eſſe contra juſtitiam, ſive reſpectu fundatorum, ſive reſpectu Eccleſiæ, ſive etiam reſpectu Dei. Scripſit quidem eſſe contra charitatem ergà pauperes, quia ſupponit illos accepiſſe, quod ex juſtitia ipſis debeatur.

Objiciunt 2°. multa jura, quæ faciunt Clericos dominos fructuum ex beneficiis perceptorum; nam ſeſſ. 24. Concilii Trident. c. 12 *de reformatione*, dicitur Canonicus abſens ultrà tres menſes non facere fructus ſuos; quod ſupponit eum, ſi non abſit, dominũ fieri fructuum. Item habetur c. *Commiſſa*, de electione in ſexto, quòd accipiens Parœciam ſine animo accipiendi ſacerdotium intra annum, teneatur ad reſtitutionem: & cap. *Conſuetudinem*, de Clericis non reſidentibus in ſexto, Canonicus, qui divinis officiis non interfuit, diſtributionum perceptarum dominium non acquirit.

Reſpondeo 1°. hoc argumentum à contrario ſenſu non concludere ſemper in moralibus.

Reſpondeo 2°. Beneficiarios dici dominos fructuum: vel quia habent dominiũ utile partis honeſtæ ſuſtentationi reſpondentis, & adminiſtrationem ſuperfluorum; nam & diſpenſator aliquando dicitur dominus: vel quia reverà ſunt domini fructuum omnium; ſed cum one-

te & juſtitia erogandi ſuperflua, ſicut hæres acquirit dominium hæreditatis cum onere ſolvendi debita defuncti.

Objiciunt 3°. plures rationes. 1°. Neque Eccleſia, neque Reſpublica reſcindunt pacta vel donationes, quibus Beneficiarii ſuperfluos fructus alienant. 2°. Si non eſſent domini ſuperfluorum, pauperes poſſent illa ſurripere, vel in foro agere adversùs Beneficiarios, quod tamen falſum eſt. 3°. Decimæ in veteri lege erant in dominio Levitarum. 4°. Jubetur beneficiarius ſatisfacere pro contractis debitis ante obtentum Beneficium; nemo verò ſatisfacit niſi ex his, quorum dominium habet. 5°. Penſiones, & diviſio Beneficii in duo ſupponunt ſuperfluum Beneficiorum non pertinere ad pauperes.

Reſpondeo ad ſingulas.

Ad primam. Non reſcindit quidem Eccleſia aut Reſpublica pacta aut donationes Beneficiariorum; ſed nec ea probat, ut conſtat ſaltem de Eccleſia ex c. 1 cit. *de reform.* ſeſſ. 15. Conc. Tridentini. Ad ſummum ergo tolerat ea; multa verò tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ non debent tolerari, ex cap. *Cùm jam dudùm, de Præbendis.*

Mitto textus ſuprâ citatos, quibus prohibetur Beneficiariis teſtari de reditibus Eccleſiæ ad profanos uſus. Denique difficile eſt, & ſæpe impoſſibile probare, num ea, quæ donantur à Beneficiario proveniant ex reditibus Eccleſiæ, multa enim poſſunt aliunde acquirere, puta donationibus, aut propriâ induſtriâ.

Ad ſecundam. Non licet pauperibus eripere bona ſuperflua, vel in judicio pro iis obtinendis contendere: tùm quia ita non conſtat quænam ſuperflua ſint, cùm honeſta ſuſtentatio non

conſiſtat in indiviſibili, ignoreturque quantis indigeat Beneficiarius, tùm quia nemo, vel ſurripere quidquam poteſt, vel pro eo in judicio agere, niſi jus certum habeat ac determinatum, & ab alterius arbitrio independens, ut patet de Clericis, qui litem intentare non poſſunt adversùs Patronum pro obtinendo Beneficio.

Ad tertiam. Ex ſacris Canonibus patet talem eſſe conditionem bonorum Eccleſiaſticorum, ut non niſi in pios uſus impendi debeant. Tale autem nihil habetur de Levitarum decimis: quanquam dici poſſet eas non potuiſſe impendi in uſus profanos; Dei enim eſſe dicuntur, Levitici 27.

Ad quartam. Poteſt ſatisfacere Beneficiarius pro debitis antecedentibus; quia ſibi tanquam pauperi applicat, unde ſatisfaciat. Quòd ſi haberet bona patrimonialia, teneretur ex iis ſatisfacere pro expenſis profanis antea factis.

Ad quintam. Poſſunt creari penſiones, quatenùs expedit: poſſunt & unius Beneficii fructus in duos Beneficiarios dividi, neque propterea quod ſuperfluum eſt pertinere deſinet ad pauperes, titulo juſtitiæ. Non enim determinatum eſt quid pauperibus erogari debeat, ſed hoc ſolùm ad eos pertinet, quod ſupereſt ſuſtentatis his miniſtris, quos ſuſtentare æquū videtur Eccleſiæ.

Inſtant. Nemini reſtitutionis onus imponendum eſt in dubio, an teneatur. Nam in pari causâ potior eſt conditio poſſidentis: atqui non eſt certum Beneficiarios teneri ex juſtitiâ ſuperflua erogare pauperibus: Ergo ſi non fecerint, non ſunt cogendi ad reſtitutionem.

Minor probatur; vel enim tenerentur ex ordinatione Eccleſiæ, vel ex voluntate fidelium,

qui ſua bona Eccleſiæ dederunt, eâ tantùm conditione, ut nonniſi in uſus pios conſumerentur. Atqui neque de ordinatione Eccleſiæ conſtat, neque de voluntate offerentium: imò ſi interrogarentur, quotquot fundantur Beneficia à decem ſæculis, reſponderent ſe bona ſua dediſſe, ut ex his Beneficiarii commodè viverent, nec ad illud reſpexiſſe. Ergo non conſtat Beneficiarios teneri ex juſtitiâ ſuperflua diſtribuere pauperibus, ac proinde nec ipſi, nec eorum conſanguinei aut amici ad reſtitutionem cogendi ſunt, ſi ex hujuſmodi bonis ditati fuerint.

Reſpondeo, conceſsâ majore, Nego minorem. Ad cujus confirmationem, dico, veritatem conſtare ex declaratione Eccleſiæ, quæ docet oblationes fidelium fieri res Dei, res ſacras, ſacrilegoſque ſimul & injuſtos eſſe, qui contra Dei intentionem ad uſus profanos eas convertunt; & hoc patet ex pluribus textibus ſuprà allatis. Hinc auctor operis de vitâ contemplativâ. l. 2. c. 16 ſic ſcribit. *Nunc autem quòd Sacerdotes magis ſuſtinent, quàm curant poſſeſſiones Eccleſiæ, etiam in hoc Deo ſerviunt; quia ſi Dei ſunt ea, quæ Eccleſiæ conferuntur, Dei opus agit, qui res Deo conſecratas non alicujus cupiditatis, ſed fideliſſimæ diſpenſationis intentione non deſerit. Quapropter poſſeſſiones, quas ablatas à populo ſuſcipiunt Sacerdotes, non ſunt inter res mundi deputari credendæ, ſed Dei, quoniam ſi veſtes, ac vaſa & cetera, quæ in ſacro uſu miniſtrantibus erant, ſanctæ vocabantur, nec in humanos uſus revocari jam poterant, divinis ſemel miniſtriis conſecrata; quomodò non ea, quæ conferuntur Eccleſiæ, ſacra credenda ſunt, quibus non ut ſæculi rebus luxurioſè, ſed ſanctè, ut Deo conſecrati utuntur ad neceſſaria Sacerdotum?* Quibus verbis auctor vult per oblationem fide-

lium reditus Eccleſiæ fieri ſacros, & conſequenter jure naturali ad pios uſus ita neceſſariò debere impendi, ut qui aliter fecerit, non minùs ſacrilegus & injuſtus fiat, quàm qui veſtes ſacras & vaſa Deo dicata ad uſus profanos conſanguineis conſumenda traderet. Porro fideli dubitare non licèt, quin hæc Eccleſiæ doctrina firmiſſimis nitatur rationibus, quamvis ignoret quæ tandem illæ ſint.

Quod verò ſpectat intentionem Fundatorum, certè quilibet facilè ex ſe ipſo colligere poteſt, quæ fuerit in hac parte intentio eorum omnium, qui bona ſua Eccleſiæ largiti ſunt; nemo quippe vellet dare ſuam ſubſtantiam ad fovendam voluptatem, ſuperbiam & avaritiam aliorum, maximè eorum, quos ignorat, quique nullo ſecum vinculo conſanguinitatis aut amicitiæ conjuncti ſunt.

Q. 2°. *Clerici ſunt-ne domini bonorum, quæ eis contingunt impendendo operas ſuas divinis Officiis, ut celebrationi miſſarum, prædicationi verbi Dei? &c.*

R. Communior eſt ſententia dominos eſſe; quia hujuſmodi bona nec ſunt Deo conſecrata, nec inter bona Eccleſiæ cenſeri debent; ſed ſolis Clericis dantur à fidelibus in retributionem, aut veluti mercedem proprii laboris, juxtà illud Evangelii: *dignus eſt operarius mercede ſuâ.* Neque aliud intendunt fideles in hujuſmodi retributione, quàm ut Clerici indè honeſtè ſuſtententur, fiantque eorum abſoluti domini.

Verùm eadem dici poſſent de fructibus Beneficiorum, maximè eorum, quæ erecta ſunt poſtquam bona Eccleſiæ in quatuor partes diviſa creduntur, ſiquidem hâc intentione à fidelibus fundata ſunt, ut miniſtri Eccleſiæ indè alerentur propter miniſteria ſacra. Unde

exiſtit illud effatum, *Beneficium eſt propter officium:* ac proinde retributiones, quæ dantur Preſbytero propter miſſas aut Conciones, ejuſdem prorſus ſunt naturæ, ac reditus Beneficiorum, eodemque intuitu dantur.

Confirmatur. Bona Eccleſiæ, quæ dicuntur à ſanctis Patribus res Dei, nihil aliud erant primis ſæculis, (quibus, ſub Imperatoribus paganis, vix ullum prædium Eccleſia poſſidebat) quàm pecunia, & alia ad victum & veſtitum Clericorum neceſſaria, quæ eorum labori & miniſteriis ſacris reſpondebant, & hoc intuitu eis ſuppeditabantur à fideli populo. Ergo quæ hodie Clericis dantur propter officia divina, quæ profolvunt, eodem modo cenſenda ſunt conſecrata; & ſi quid in eis ſuperfluum ſit, tàm neceſſariò in uſus pios conſumendum videtur, quàm quod reſidui habent Beneficiarii ex reditibus ſuorum Beneficiorum, ſuppoſita bonorum Eccleſiæ in quatuor partes diviſione.

Quòd ſi fideles tribuunt hodiè aliqua tanquàm mercedem ſtrictè ſumptam miniſterii ſacri; hoc fit ex ignorantia & errore omninò corrigendo, nec Clerici eo titulo accipere poſſunt ſine crimine ſimoniæ, ut dicetur, ubi de ſimonia.

Accipiendæ ſunt igitur hujuſmodi diſtributiones tanquam oblationes Deo factæ ad neceſſariam Miniſtrorum ſuſtentationem, quæ cùm ex quadam æquitate debeantur à fideli populo, comparantur in Scripturis ſtipendiis, quæ accipiunt milites, & mercedi, quæ perſolvitur operariis: *accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino*, inquit S. Auguſtinus lib. de Paſtoribus, refertur que à Concilio Aquiſgranenſi primo. Ex his.

Patet probabiliorem omninò eſſe eorum ſententiam, qui docent Eccleſiaſticos non eſſe abſolutè dominos earum retributionum, quæ reſpondent ſacris miniſtris.

Dices: ſequeretur ex hac doctrina Clericos ex bonis patrimonialibus divites, non poſſe quidquam accipere à Laïcis pro miniſterio ſacro, cùm non indigeant eorum eleemoſynis aut oblationibus ad ſui ſuſtentationem.

Reſpondeo, aliquando in Eccleſia licitum non fuiſſe iis, qui ſufficiens patrimonium haberent, veſci ex reditibus Eccleſiaſticis, ut colligitur ex cap. *Clericos*, causâ 1. q. 2. cap. finali, causâ 16. q. 1. cap. *Paſtor*, cap. *Si quis*, & cap. *Sacerdos*. causâ 1. q. 2. Quæ tria poſtrema capita deſumpta ſunt ex cit. lib. *de Vitâ contemplativâ*, ubi ſic habetur capite 10. *Qui autem Eccleſiæ ſerviunt, & labori ſuo velut debita reddi credentes oportere ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt; nimis carnaliter ſapiunt, ſi putant; quòd Eccleſiæ fideliter ſervientes, ea ſtipendia, ac non potiùs præmia æterna percipiant. Secularis quippe militia, quæ cæleſtia non habet, terrena ſtrenuè militantibus præſtat. Unde ſatis indignum eſt, ſi fidelis & operoſa devotio Clericorum propter ſtipendium temporale, præmia ſempiterna contemnant. Quòdſi quilibet Miniſter Eccleſiæ non habet unde vivat, non ei præmium reddit hîc, ſed neceſſaria præſtat Eccleſia, ut in futuro præmium laboris ſui recipiat, quod in hac vitâ jam ſpe divinæ promiſſionis certus expectat.* Nonnulli magni nominis urgent hos & ſimiles canones contra Clericos ex bonis patrimonialibus divites, contenduntque eos non debere uti reditibus Eccleſiæ. Veruntamen communis eſt ſententia, derogatum fuiſſe antiquæ Eccleſiæ ordinationi per uſum contrarium. Imò colligi poteſt ex ſuprà citatis verbis

Concilii Pariſienſis canones permiſiſſe Clericis divitibus uſum bonorum Eccleſiaſticorum ; nam citatis verbis Concilum dat facultatem Epiſcopis diſponendi de bonis hæreditate aut alio titulo acquiſitis, prout ipſis viſum fuerit ; prohibetque ſolùm, ne reditus Eccleſiæ ad profanos uſus convertant. Quidquid ſit, certum eſt Clericos non debere ſumere ex bonis ſive patrimonialibus, ſive Eccleſiaſticis, niſi ea, quæ neceſſaria ſunt ad victum & veſtitum; tenerique eſſe Laïcis exemplum frugalitatis & modeſtiæ, ac proinde magnas divitias non eſſe eis exiſtimandas felicitatem, ſed grave onus.

SECUNDA PARS.

De Injuſtitia & Reſtitutione.

CAPUT I.

De nomine & definitione Injuſtitiæ.

Q. 1°. *Quotuplici modo ſumitur injuſtitia ?*

R. Duplici. 1°. pro omni legis violatione, ut 1. Joan. 3. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas.* Et eo ſenſu omnes peccatores dicuntur iniqui. 2°. Propriè & ſtrictè, prout opponitur juſtitiæ particulari, definirique poteſt, *violatio juris alieni.* In patiente injuſtitiam, dicitur injuria; in faciente verò injuſtitia.

Q. 2°. *Quis dicendus eſt injuſtus ?*

R. Injuſtus dici non poteſt, niſi qui injuſtè agit; nam ſi quis ex ignorantia invincibili faciat quidquam injuſtum, non ideò injuſtus dicendus eſt, quia injuria nullo modo eſt volita. Non excuſant autem ab injuſtitia metus & ignorantia culpabilis: quia voluntarium non perimunt.

Q. 3°. *Poteſt-ne fieri injuſtitia volenti?*

R. Si ita planè velit, ut nullo modo ſit involuntarius, non poteſt: ſecùs, ſi velit duntaxat abſolutè, & ſecundùm quid nolit; ut ſi concedat metu, putà, incurrendi offenſam potentioris, non obtinendi jus, quod in judicio poſtulat; vel aliquâ neceſſitate preſſus, ut ſi indigeat v. g. accipere mutuo, aut habere longiorem terminum ad ſolvendum.

Prima pars probatur 1°. ex regula juris in ſexto. *Scienti & conſentienti non fit injuria*. 2°. Nemo poteſt injuriam pati, niſi jus illius violetur: Atqui jus volentis non violatur; ſiquidem volens cedit jure ſuo, perindeque ſe habet, ac ſi gratis donaret id quod ſuum eſt: Ergo.

Dices 1°. Qui aufert à pupillo volenti, facit illi injuriam: Ergo.

Diſtinguo antecedens: aufert à pupillo volenti phyſicè; Concedo: moraliter, Nego anteced. Pupillus itaque quandiu eſt ſub tutore; eſt moraliter non volens; quia ſecundùm leges non poteſt cedere jure ſuo, & ita fit ei injuria, quando ab eo etiam conſentiente, aliquid aufertur.

Dices 2°. Martyres plenè voluntarii ſunt, dùm patiuntur à perſecutoribus, & tamen retinent actionem injuriarũ coram tribunali Dei, adversùs eos qui ſe anguſtiaverunt, *Sapient.* 5.

Diſtinguo: plenè voluntarii ſunt reſpectu Dei pro quo pati etiam gloriantur, Concedo: reſpectu perſecutorum, Nego: neque enim ullum jus eis tribuunt, ut damnum ſibi inferant.

Secunda pars, quæ eſt omnium Doctorum, probatur; quia invitus ſecundùm quid non cedit jure, quod habet diſponendi de re ſuâ cùm plenâ voluntate & libertate.

CAPUT II.

De definitione & neceſſitate reſtitutionis.

Q. 1o. QUid eſt reſtitutio ?
R. Eſt actus juſtitiæ commutativæ, reddentis cuique debitum ſuum ad æqualitatem.

Q. 2o. *Quomodo differunt reſtitutio, ſolutio, & ſatisfactio ?*

R. 1o. Diſcrimen eſt inter ſolutionem & reſtitutionem, 1°. Quòd reſtitutio poſtulet, ut res quodammodo ſit eadem vel in ſe, vel in æquivalenti;ſolutio verò,ut ſitdiverſa.1°. Quòd ſolutio fit, ubi non eſt reſtiiutio ; & è contra reſtitutio, ubi non eſt ſolutio : v. g. ſolvuntur quæ redduntur ex voto, juramento, charitate, miſericordiâ, aut etiam ex contractu emptionis, non tamen reſtituuntur ; è contra depoſitum reſtituitur, propriè non ſolvitur.

R. 2o. Reſtitutio differt à ſatisfactione, 1°. quòd ſatisfactio ſit quid generalius:omnis enim reſtitutio eſt ſatisfactio, non contra : 2o. quòd ſatisfactio reſpiciat perſonam, reſtitutio verò rem ablatam : 3o. quòd ſatisfactio propriè ſit pro injuriâ illatâ, & honore violato, quamvis nihil damni illatum ſit, reſtitutio verò propriè non habeat locum, niſi ubi damnum illatum eſt. Sic Deo ſatisfacimus, cui tamen nihil propriè reſtituere poſſumus;cùm omnia perfectiſſimè ſub illius dominio ſemper remaneant 4°. Satisfactio fit pro damno etiam irreparabili, reſtitutio verò tantùm pro damno reparabili. Hinc pro vitâ alteri ablatâ fit ſatisfactio, non verò reſtitutio.

Q. 30. *Reſtitutio eſt-ne neceſſaria ?*

R. Eſt: & quidem jure naturali, Divino, Eccleſiaſtico, & Civili.

Prima pars, quæ eſt de jure naturali, probatur; quia auferre rem alienam, & retinere invito domino, idem ſunt ex cap. *Sæpè*, quod eſt Innocentii III. de reſtitutione ſpoliatorum, ubi habetur; *quòd non multùm interſit quoad periculum animæ, injuſtè detinere, ac invadere alienum:* Unde Gloſſa in idem caput, *jura pro eodem reputant auferre, & detinere injuſtè.* Et revera, cùm auferre nihil ſit aliud quàm primò privare aliquem re ſuâ, non reddere cenſeri debet continuata privatio; ac proinde, ſicut prima productio & conſervatio intrinſecè non differunt, ſed ſolummodò extrinſecè; ita nec auferre & detinere rem alienam. Atqui rem alienam auferre, eſt contra legem naturalem: Ergo & retinere. Porrò detentio illa injuſta non poteſt ceſſare, niſi per reſtitutionem: Ergo. Præterea eſt contra legem naturalem alteri facere injuriam; nam quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Atqui dum retinetur res alterius contra ejus voluntatem, fit ei injuria, quæ non poteſt deſinere, niſi reſtituatur. Ergo.

Secunda pars, quæ eſt de jure divino, probatur. Matt. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Rom. 31. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, &c. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis:* nimirùm quia à debito dilectionis nemo poteſt totaliter liberari. Mitto plura. Script. loca, ut Exod. 22. Lev. 6. & Ezech. 33. in quibus imperatur reſtitutio.

Tertia pars probatur ex causâ 14. q. 6 cap. 1. ubi habetur: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur; ſi autem veraciter agatur, non remittitur*

peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Quæ verba ſunt S. Auguſtini epiſt. ad Macedonium. Addit S. Auguſtinus, *cùm reſtitui poteſt;* quia, ſi non poſſit, ſufficit voluntas reſtituendi; tunc enim dominus non cenſetur rationabiliter invitus, cùm debeat conformis eſſe legi divinæ, quæ non obligat ad impoſſibile.

Quarta pars, quæ eſt de jure civili, patet, quia totum corpus juris civilis in eo eſt, ut cuilibet jus ſuum conſervetur; & ſi ablatum ſit, reſtituatur.

Dices: dominus rei reſtituendæ ſupponendus eſt malle eam ſibi non reſtitui, quàm damnari debitorem obligatione reſtitutionis remanente: Ergo.

Nego anteced. Aliàs nulla eſſent furta; quia cenſendus eſſet dominus rebus ſuis cedere, quoties alter eas furari vellet, quod abſurdiſſimum eſt.

Inſtabis: tenetur unuſquiſque ſpirituale damnum proximi vitare per ſuum damnum temporale: Ergo cùm in dubio ſupponi debeat proximus noſter bene agere, ſupponendus quoque erit rerum ſuarum jure cedere, ne alter peccet.

Diſtinguo antecedens; ſi neceſſitas poſtulet, Concedo: ſecus, Nego. Porro non cenſetur eſſe neceſſitas cedendi bonis ſuis, ubi fur vel detentor eorum ab iis accipiendis & detinendis abſtinere ſupponitur.

CAPUT III.

De radice, ex quâ oritur obligatio restituendi.

Q. 10. Unde naſcitur obligatio reſtituendi?
R. Ex injuſtitiâ; quia ex dictis

juſtitia commutativa eſt æqualitas in commutationibus, v. g. inter operas & mercedem, inter mercem & pretium: injuſtitia verò inæqualitas: Ergo ad tollendam injuſtitiam, reponenda eſt æqualitas, quod fieri nequit, niſi per reſtitutionem.

Ergo nulla facienda eſt reſtitutio, ubi nulla injuſtitia, nullave reponenda æqualitas, quantumcunque alioquin grave ſit peccatum.

Ergo totuplex eſt reſtitutionis radix, quotuplex modus violandi juſtitiam, & tollendi æqualitatem.

Q. 2o. *Quotuplici modo injuſtitia violari poteſt?*

R. Triplici. 1o. Ratione injuſtæ acceptionis, quando quis proximi bona invadit. 2o. Ratione damni illati, ut ſi quis vaſtet agrum alienum, domum proximi incendat, perſonam ejus mutilet. 3o. Ratione injuſtæ detentionis, quomodo injuſtus eſt, qui non ſolvit debita juſtè contracta, aut non reſtituit bona inventa.

Q. 3o. *Quotuplex eſt injuſta acceptio?*

R. Triplex. Prima fit occultè, & eſt furtum. Secunda palàm, & eſt rapina. Hoc poſteriori modo injuſti ſunt qui uſuras accipiunt, qui majore pretio vendunt, aut viliori emunt, quàm merces valeant; qui pro officio ſtipendium aut honorarium exigunt ultra, quàm lege conſtitutum, &c. Tertia, dolo & fraude, ut ſi quis mercem vitiatam pro integrâ vendat, miſceat aquam cum vino, paleas cum tritico, malis artibus proximum circumveniat in ludo, contractibus, &c.

Q. 4o. *Quotupliciter damnum poteſt inferri?*

R. Dupliciter, nimirùm phyſicè, cùm quis propriâ manu interficiat, vaſtat, &c. & moraliter, quando non per ſe, ſed per alium inju-

riam facit, quod iterum dupliciter contingere poteſt: vel poſitivè, influendo in damnum; vel negativè, non impediendo damnum, cùm ad id ex officio teneatur.

Q. 5°. *Quænam ſunt cauſæ poſitivæ damni, quæ verò negativæ?*

R. Sex numerantur poſitivæ, & tres negativæ, his verſibus comprehenſæ:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Circa ejuſmodi cauſas conſule ſanctum Thomam 2. 2. q. 62. art. 7.

Mutus ergo hoc loco eſt, qui ex officio, vel ex pacto tenetur clamare, reprehendere, diſſuadere, & tacet. *Non obſtans*, qui ſimiliter ex officio & pacto tenetur obſtare, & non obſtat, ut patres, tutores, domini non impedientes filios, pupillos, ſervos, ne aliis noceant; aut famuli ſinentes diripi bona dominorum: item Princeps, Dux belli, Advocati, Miniſtri Juſtitiæ, Cuſtodes ſylvarum, agrorum, & alii ſtipendio conducti. *Non manifeſtans*, qui ratione officii vel pacti tenetur damnificatorem manifeſtare, vel ante, vel poſtquam damnum illatum eſt.

Q. 6°. *Qui ex charitate tantùm tenetur impedire damnum proximi, debet-ne reſtituere, ſi non impediat?*

R. Minimè. Quia peccat ſolùm contra charitatem: conſtat autem ex dictis, non eſſe obligationem reſtituendi, niſi peccatum ſit contra juſtitiam.

Q. 7°. *Quo ordine ſinguli damnificatores reſtituere tenentur.*

R. Diſtinguendum eſt. Participes fuerunt vel

rei acceptæ; v. g. comederunt ovem, quæ ipſis neſcientibus furto ſublata eſt: vel injuſtæ actionis, v. g. concurrerunt aliquo ex ſuperadictis modis ad ovem capiendam.

Si primum. Quilibet tenetur ſolùm reſtituere partem, quam conſumpſit, nec aliis non reſtituentibus, pro ipſis reſtituere debet, niſi ſuo conſilio, aut alio ex prædictis modis in causâ fuerit, cur res furtiva vero domino non ſit reddita; quia non fuit cauſa majoris damni.

Dixi, *niſi ſuo conſilio, aut alio ex prædictis modis, fuerit in cauſâ;* quia ſi alieno modo impedivit, ne res furtiva redderetur, cùm ad id parati vel ancipites eſſent damnificatores, tenetur rem totam reſtituere defectu aliorum. Idem dicendum, ſi participans non manifeſtavit aut obſtitit, ſicut tenebatur ex officio.

Si ſecundum. Quilibet, aliis recuſantibus ſatisfacere, tenetur totum damnum reparare; quia totius damni fuit cauſa, cùm illud totum influxerit. Sed ſi ſinguli parati ſunt reſtituere hic ordo ſervandus eſt.

1°. Loco reſtituere debet, qui rem alienam detinet, vel qui eam conſumpſit, niſi mandato aut nomine aliorum conſumpſerit; quia eſt prima & præcipua cauſa damni, nec alii reputantur, niſi ut cauſæ miniſteriales & inſtrumentales; quare ipſo reſtituente; alii nihil refundere tenentur.

Dixi, *niſi mandato aut nomine*, &c. in hâc enim hypotheſi ipſe habet rationem inſtrumenti aut cauſæ miniſterialis reſpectu mandantis. Hinc dominus, qui famulis ſuis incendendam domum adverſarii præcipit, indemnes illos ſervare debet. Similiter ſi plures invito inter ſe conſilio, communem adverſarium impetant, & unus ex illis eum occidat, occiſor non magis

tenetur ad damna reparanda, quàm alii, ſed æqualiter ſinguli ea reparare debent, quia homicidium factum eſt omnium nomine. Si tamen qui conſumpſit rem alienam ex mandato alterius, ex eâ factus ſit ditior, debet ante mandantem reſtituere id, quo factus eſt ditior, cùm habeat plus quàm debeat habere. Nam ex regulâ juris, *aquam eſt neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem.*

2°. Alii damnificatores ordinariè ad damnum reparandum æqualiter concurrere debent, maximè ſi in illud poſitivè influxerint; quia æqualiter ad illud concurrerunt, nec unus reſpectu alterius rationem habet inſtrumenti, ſive Miniſtri.

Dixi 1°. *ordinariè*, nam in quibuſdam caſibus inter hujuſmodi cauſas minùs principales, aliquis ordo poteſt contingere, nempe ſi una magis immediatè cooperetur ad damnũ. Hinc ſi quis conſulat exequenti, ut damnum inferat, potiùs tenetur ad reſtituendum quàm qui cenſentiret paranti inſtrumenta ad damnum inferendum. Similiter qui exequitur, potiùs debet reſtituere, quàm qui ſuppeditat illi inſtrumenta. Item cuſtos particularis, putà vinearum, ſi non obſtet, magis tenetur, quàm Magiſtratus ad damnum reparandum, quia primò & per ſe debet obſtare, Magiſtratus verò in ipſius defectum.

Dixi 2°. *maximè ſi in illud poſitivè influxerint;* quia circa negativas cauſas eſt controverſia inter Theologos; alii enim negant inter poſitivas minùs principales & negativas eſſe ordinem; quia inquiunt, negativæ non ſunt inſtrumenta poſitivis ſubſervientia, ſed omnes æquè immediatè concurrunt: Ergo omnes æqualiter ad reſtitutionem tenentur. Alii contra affirmant

eſſe ordinem; ita ut negativæ non debeant reſtituere, niſi in defectum poſitivarum minùs principalium; quia remotiùs concurrunt ad damnum, quatenùs nimirum non impediunt influxum, & cooperationem poſitivarum. Unde concludunt poſitivas priùs intelligi damnum inferre, ac proinde primariò ad reſtitutionem teneri.

Q. 80. *Præceptum reſtituendi eſt-ne affirmativum aut negativum?*

R. Eſt negativum; quia in hoc differt præceptum negativum ab affirmativo, quòd priori prohibeatur actio mala, v. g. mendacium; poſteriori verò præcipiatur actio bona: Atqui præcepto reſtituendi directè prohibetur actio mala, nempe continuata retentio rei alienæ, ſeu voluntas eam retinendi invito domino. Verum quidem eſt illud præceptum habere aliquam formam præcepti affirmativi, quatenùs non impletur niſi per aliquẽ actum poſitivum, v. g. numerando pecuniam; ſed formaliter eſt negativum propter rationem allatam.

Dices: præceptum negativum ſemper & pro ſemper obligat: Atqui præceptum reſtituendi non eſt hujuſmodi; nam ſi detentor rei alienæ ſit impotens, vel ſi per levem moram reſtitutionem differat, non peccat. Ergo.

Diſtinguo minorem. Si ſpectetur reſtitutio actualis & in re, Concedo: ſi ſpectetur reſtitutio in voto, Nego minorem. Poteſt quidem differri reſtitutio quando dominus non cenſetur rationabiliter invitus, ut in allatis exemplis; ſed nunquam licet habere voluntatem retinendi rem alienam invito ejus domino; quo ſenſu intelligendum eſt præceptum reſtituendi.

Ex hâc reſponſione 1°. mirare mores, ne dicam ſtultitiam mundanorum, apud quos infa-

Digitized by Google

mia eſt furari, nulla verò iniquitas non reſtituere; cùm tamen major injuria fiat proximo, ſi retineantur ipſo invito quæ illius ſunt; quàm ſi auferantur, mox reſtituenda.

2°. Collige ad integritatem Confeſſionis ſacramentalis non ſufficere exprimere rem furto ſublatam; ſed inſuper explicandum eſſe quandiù duraverit voluntas non reſtituendi: quia toties iteratur peccatum, quoties occaſio reſtituendi, aut conſcientia rei alienæ recurrit, non acquieſcente voluntate.

3°. Collige Confeſſario potiùs inquirendum eſſe, an pœnitens retineat alienum, quàm utrùm rapuerit; tùm quia pœnitentium conſcientia minùs gravatur ex eo quòd debita non ſolvant creditore invito; tùm quia ſæpiùs contingit ex dilatione reſtitutionis damna creditoris augeri & multiplicari, conſequenter peccata debitoris.

Q. 9°. *Quæ neceſſitas in debitore requiritur ad differendam reſtitutionem?*

R. Gravis ſufficit; quia cùm creditor ſubvenire teneatur proximo gravi neceſſitate laboranti, vel miſericorditer donando, vel ſaltem mutuando, debet à fortiori in illo caſu debitum non repetere. Ita Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. Gabriel ibid. Sanctus Antonius 2. partis tit. 2. cap. 8

Q. 10°. *Quando debitor cenſetur in gravi neceſſitate?*

R. 1°. Cùm non poteſt reſtituere, niſi adeundo periculum mortis, aut magnæ infamiæ. 2°. Si ad ſolvendum hìc & nunc, cogatur domum vel prædium vendere multo minori pretio quàm valeat. 3°. Si non poſſit ſatisfacere, quin excidat è ſuo ſtatu, ad quem honeſtè pervenit.

Secùs

Secùs dicendum de eo, qui rapinis, uſuris, & fraudibus ad aliquem honorabilem ſtatum perveniſſet: teneretur enim cum amiſſione ſtatûs confeſtim reſtituere; quia propriè alienum ſtatum injuſtè uſurpatum dimitteret, ſuumque repeteret. Neque verò metus infamiæ impedire eum debet à reſtitutione; nam quando ſcitur ſtatum illum fraudibus comparatum eſſe, nulla eſt infamia illum deponere, ſed hoc potiùs bonam famam conciliat, malamque abſtergit. Addo nec mereri dilationem eos, qui ludis, compotationibus, comeſſationibus, ſuperfluiſque ſumptibus multa contraxere debita, quales ſunt plerique nobiles, qui debita ſine fine multiplicant, & ſumptus ſuprà conditionis ſuæ ſtatum faciunt. Debet itaque debitor parcè vivere intra ſui honeſti ſtatûs limites, ut creditori paulatìm reſtituat. Ceterùm ſi ex dilatione damnum contingat creditori, pro damno emergente & lucro ceſſante compoſitio facienda eſt, quia non aliter creditor in dilationem debiti conſentire videtur.

Q. 11°. *Quid ſi creditor eſſet in pari neceſſitate?*

R. 1°. Si neceſſitas ſit extrema, in utroque, excuſatur debitor à reſtitutione hîc & nunc faciendâ; quia in extremâ neceſſitate omnia ſunt communia.

R. 2°. Si neceſſitas ſit tantùm gravis in creditore, debitor pari laborans debet reſtituere; quia gravis neceſſitas non facit omnia communia, & dominus graviter indigens cenſeri debet rationabiliter invitus, quòd res ſua ab alio detineatur.

Q. 12°. *Quantum debet reſtitui?*

R. Tantum, quantum ablatum eſt; quia finis reſtitutionis eſt, ut ceſſet injuſtitia: injuſtitia autem tolli non poteſt, niſi tollatur inæqualitas

inter lædentem & læſum, quatenùs læſus minùs habet, lædens verò pluſquàm jus ejus poſtulat. Undè tandiù injuſtitia perſeverat, quandiu talis inæqualitas non tollitur. Porrò tolli non poteſt, niſi tollatur æqualitas, nimirùm auferendo à lædente quod plus habet, & reddendo perſonæ læſæ quidquid minùs habet, quàm debeat habere. Juſtitia ergo in æqualitate conſiſtit, injuſtitia verò in inæqualitate.

Dices. Exodi 22. Qui occidit, aut vendidit bovem quem furatus eſt, obligatur ad reddendum quinque: qui ovem, ad reddendum quatuor: ergo ad juſtitiam pertinet reddere pluſqam ablatum eſt, præſertim ſi injuſtè fuerit ablatum; puniendi enim ſunt fures & latrones.

Diſtinguo: obligatur ad reddendum quinque in pœnam criminis, Concedo: ad ſatisfaciendum præcepto reſtitutionis, Nego antecedens. Advertes autem hoc eſſe diſcrimen inter rem ablatam, & luendam pœnam; quòd res ablata ſit reſtituenda ante omnem condemnationem, cùm ex præcepto naturali & negativo reſtitutio ſit præcepta: at reus non tenetur ſubire pœnam ante condemnationem Judicis. Hinc

Sequitur, privatum non poſſe propriâ auctoritate quidquam exigere à damnificatore in pœnam ſceleris ultrà damnum acceptum; peccareque contrà juſtitiam, & ad reſtitutionem teneri, qui pro levi damno accepto; putà in vineis, ſylvis, vivariis, &c. deprehenſum reum ad ampliùs ſolvendum cogunt metu infamiæ & gravioris mulctæ, ſi coram Judice accuſaretur. Eſto, cedant jure, quod habent ad accuſandum, proptereaque de reo benè mereantur; attamen jus illud non eſt pretio eſtimabile, nec vendere poſſunt immunitatem à pœnis, quas meretur damnificator, niſi mulcta ſit lege con-

ſtituta, & à Judice ipſis applicanda.

Q. 13°. *Quando quis non poteſt reſtituere ad æqualitatem, teneтur-ne reſtituere quam poteſt partem debiti?*

R. Duplex eſt diſtinguenda impotentia: alia enim oritur ex inopiâ debitoris, alia ex naturâ rei ablatæ, quæ eſt ſuperioris ordinis, talis eſt fama, de quâ Prov. 22. *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ*: vita, & membrorum integritas, ut habetur Lege ultimâ, Digeſt. *de his qui effuderint; cicatricum aut deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem*; quare qui per detractionem alterius famam læſit, vel qui occidit, mutilavit, aut plagâ inflictâ deformem effecit, non poteſt reddere æquale.

His præſuppoſitis,

1°. Certum eſt apud omnes, eum, qui ex inopiâ non poteſt totum reddere, teneri reddere quam poteſt partem; quia creditor jus habet non ſolùm ad accipiendum centum, ſi debeantur, ſed etiam ad accipiendum unum: Ergo pauper qui ex centum aureis, quos debet unicum habet, tenetur illum reſtituere.

2°. Non conveniunt Theologi, utrùm reſtituendum ſit per bona inferioris ordinis: alii enim negant propter legem laudatam, alii probabiliùs affirmant cum S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. & ad 2. quia qui damnum paſſi ſunt in bonis ſuperioris ordinis, jus habent ut ſibi ſatisfiat, quantum poſſibile eſt debitori. Si enim libertas pecuniâ poteſt licitè vendi, quamvis verum ſit illud proverbium, *Non benè pro toto libertas venditur auro*; quidni pro famâ vel integritate membrorum, quamvis pretium inæquale ſolvi debeat? Fateor non ſolere homines pro iis paciſci, quia ſæpiùs indignum ſe putant pre-

tio æſtimare famam propriam aut vitam parentis occiſi, modò ipſis ſatisfiat pro damnis indè ſecutis; ſed in hoc cedunt jure ſuo. Utrùm autem ſint inviti ſecundùm quid, expendere debet damnificator, ob idque pleniùs & largiùs ſatisfacere pro damnis indè ſecutis.

Q. 14°. *Sufficit-ne, ad ponendam æqualitatem, ut reddatur res ablata, ſi extet, v. g. fundus uſurpatus: vel ejus pretium, ſi conſumpta ſit, ut ſi domus proximi fuerit incenſa?*

R. Aliquando ſufficit, aliquando verò non.

Q. 15°. *Quandonam non ſufficit reddere rem ablatam, aut ejus pretium?*

R. Duobus in caſibus. 1°. Quando ex re ablatâ novum damnum emerſit perſonæ læſæ, v. g. ſi ex defectu pecuniæ furto ſublatæ, domus quam non potuit reparare, corruit. 2°. Si lucrum ceſſavit.

Q. 16°. *Quotuplici modo per injuriam acceptam lucrum ceſſare poteſt?*

R. Duplici, 1°. Si re illâ utebatur tanquam inſtrumento ad lucrandum, v. g. non potuit negotiari, nec ſolitas operas, quibus ſuſtentabatur, perficere. 2°. Si res ablata erat fructifera.

Q. 17°. *Quotuplicis generis ſunt fructus?*

R. Triplicis; alii dicuntur naturales, qui ſine induſtriâ producuntur, ut herbæ in pratis: alii merè induſtriales, ut lucrum captum ex pecuniâ alienâ, pretioſum opus confectum inſtrumento furtivo: alii mixti, qui partim naturaliter, partim induſtriâ proveniunt, ut frumentum, vinum, qui fructus non naſcuntur ſine culturâ.

Q. 18°. *Hi omnes fructus ſunt-ne reſtituendi?*

R. Artificiales non ſunt reſtituendi, quia propriè non ſunt fructus rei ablatæ, ſed induſtriæ,

quæ ad furem pertinet. Hinc ſi lucratus ſit ex pecuniâ alienâ, ſive ludo, ſive mercaturâ, nihil ex eo fructu debet reſtituere: ſed videndum eſt utrum dominus propter rem ablatam damnum paſſus ſit aut lucrari ceſſaverit: reſtituendum enim eſt pro damno emergente, aut lucro ceſſante, niſi bona fides excuſet, ut explicabitur.

Q. 19°. *Alii fructus ſunt ne reſtituendi?*

D. Diſtinguendum eſt, vel bonâ fide quis retinet rem alienam, vel malâ fide: ſi retinet malâ fide, reſtituere debet omnes fructus naturales, & mixtos quâ parte naturales ſunt, deductis impenſis neceſſariis & utilibus, quas dominus feciſſet, aut facere debuiſſet; etiamſi aliàs dominus tales fructus non fuiſſet percepturus, ut ſi agrum fur coluerit, quem dominus neglexiſſet; quia res fructificat domino ſuo. Si poſſeſſor ſit bonæ fidei, putà acquiſivit vel emptione, vel donatione ab eo, quem verum dominum putabat, rem ſic acceptam, putà fundum, reſtituere debet (niſi præſcripſerit) & ejus fructus, ſi extent: ſi verò fuerint conſumpti, id quo ditior factus eſt; quia ex regulis Juris in Sexto, *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ vel jacturâ.* Cenſetur autem ditior factus, qui minùs de propriis expendit, dum bonâ fide conſumpſit rem alienam, v. g. domi non cœnavit; quia alibi cum ſociis manducavit agnum, quem non credebat eſſe furtivum; non tenetur reſtituere agnum, neque partem agni, ſed ſolùm quod expendiſſet domi cœnando. Quod ſi non minùs expendiſſet, nihil reſtituere tenetur. Item, tutor, qui ſecundùm Provinciæ conſuetudinem, cui neminem repugnare audivit, pecunias pupilli ſui mutuo dedit, ſi poſtea moneatur hujuſmodi contractum eſſe

uſurarium : uſuras, quas in commodum pupilli hâc bonâ fide convertit, non tenetur reſtituere; quia ex illis non eſt ditior factus. Secus, ſi Paſtorem, vel alterum fide dignum hujuſmodi contractum damnantem contempſiſſet; quia eſſet in eo mala fides.

Q. 2°. *Quis cenſendus eſt bonæ fidei?*

R. Qui ſine omni culpâ rem alienam accipit, conſumit, aut detinet.

Q. 21°. *Quotuplex eſt culpa?*

R. Duplex Theologica, & Juridica.

Q. 22°. *Quid eſt culpa Theologica?*

R. Eſt ea quæ veram habet rationem peccati ſive mortalis, ſive venialis; hoc eſt, quæ liberè admittitur, & ſine ignorantiâ invincibili.

Q. 23°. *Quotuplex eſt culpa Juridica?*

R. Triplex, lata, levis & leviſſima.

Q. 24°. *Quid eſt culpa lata?*

R. Eſt omiſſio diligentiæ, quam paſſim homines ejuſdem conditionis adhibere ſolent. Lata culpa eſt, non intelligere id, quod omnes intelligunt, Digeſt. *de verborum ſignificatione.* Quare qui librum commodatum foris ante oſtium relinquit, vel rem magni pretii homini ignoto committit, vel oſtium propriæ domûs per noctem claudere negligit, vel Officium aliquod publicum, putà Patroni, Judicis, Confeſſarii ſuſcipit, quamvis ignoret quæ periti communiter noverunt, reus eſt culpæ latæ; ex quo patet hujuſmodi culpam ut plurimùm concurrere cum culpâ Theologicâ; eſt enim contra communem omnium prudentiam, proceditque ex ignorantiâ vincibili, quæ non excuſat à peccato.

Dixi, *ut plurimùm*; poteſt enim contingere quòd quis contra propoſitum, & ex inadvertentiâ omnino involuntaria, librum commo-

datum ante fores relinquat.

Q. 25°. *Quid eſt culpa levis?*

R. Eſt omiſſio diligentiæ, quam diligentiores non omittunt. Hac culpâ reus eſt, qui perdidit rem commodatam in cubiculo repoſitam, ſed feris non occluſerat; vel domeſticum admiſit, cujus probitas non erat ipſi nota, qui malè conſulit in re difficili, circà quam doctiores non erraſſent.

Q. 26°. *Quid eſt culpa leviſſima?*

R. Eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam diligentiſſimi & prudentiſſimi adhibent: talis eſt diligentia eorum, qui cùm januam ſerâ occluſerint, probant pulſando, num clavis erraverit, ſicut aliquando contingit. Item qui antequam ſecretum magni momenti alicui committant, experiuntur num aliquis ponè januam aut circa feneſtram auſcultet. Qui autem hanc diligentiam omittunt, cenſentur rei culpæ leviſſimæ.

Q. 27°. *Ex quâ culpâ ex recenſitis obligatur quis ad reſtituendam rem conſumptam cum ejus fructibus, unde non eſt factus ditior?*

R. Ex omni & ſolâ culpâ Theologicâ, ſi ſit extrà contractum aut quaſi contractum. Quaſi contractus autem dicitur negotiorum geſtio, quam quis ſuſcipit pro altero abſente, ne res ejus pereant.

Prima pars intellecta de peccato mortali, eſt certiſſima; quia talis culpa eſt formalis injuſtitia. De peccato enim veniali probatur contra Leſſium, & alios, quos refert lib. 2. cap. 7. dubio 6. numero 26. Namque 1°. capite finali *de injuriis*, generatim dicitur: *Si culpâ tuâ datum eſt damnum vel injuria irrogata, jure ſuper his ſatisfacere te oportet.* 2°. Ubi formaliter injuria proximo infertur, ea reſarcienda eſt: Atqui ſuſ-

ficit culpa venialis, ut formaliter injuria inferatur, cùm talis culpa ſit voluntaria.

Quid, ſi damnum per peccatum veniale illatum ſit grave, eſt-ne totum reparandum?

R. Affirmant aliqui, alii tamen communiter negant; quia in tali actione damnificativâ, parum admodùm eſt voluntarii, cùm contigerit magna ex parte præter intentionem damnificatoris; ſi enim intendiſſet tantum damnum, peccaſſet mortaliter.

Ergo, inquies, ex culpâ veniali tenebitur aliquis ſub mortali reſtituere, nempe ſi damnum ſit grave.

R. Nihil eſt abſurdi: qui enim per minuta & venialia furta magnam quantitatem rei alienæ collegit, tenetur ſub mortali eam reſtituere, ut dicetur in rà. Ergo à pari qui ex culpâ veniali grave damnum intulit, illud ſub peccato mortali reparare debet. Quantum autem reſtituendum ſit, viri prudentis eſt judicare; vel potiùs res amicè componenda videtur cum perſonâ læſâ. Quòd ſi dubium fuerit an peccatum ſit veniale, an mortale, ut ſæpiùs contingit, omne damnum reſarciri debet; quia in hujuſmodi dubio judicandum eſt pro innocente.

Secunda pars patet; quia poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad reſtitutionem, ſi factus non ſit ditior ex re alienâ, quam bonâ fide conſumpſit. Porro qui damnum ſine peccato intulit, prorſùs ſimilis eſt poſſeſſori bonæ fidei: Ergo.

Dices: Durum videtur, quòd quis amittat rem ſuam, nec poſſit ſatisfactionem repetere ab eo, qui eam deſtruxit.

Reſpondeo, damnum illud fortuito caſui eſſe aſcribendum: de fortuito autem caſu nemo tenetur.

Dices iterum: hujuſmodi damnaretur ad re-

ſtitutionem, tam in foro Eccleſiaſtico, quàm civili: Ergò reverà tenetur reſtituere.

Concedo antecedens: tùm quia præſumeretur fraus vel culpa gravior: tùm quia hujuſmodi pœnis avertendi ſunt homines à negligentiâ, quàm facilè incurrunt, ubi de re alienâ ſolùm agitur. Unde diſtinguo conſeq. tenetur reſtituere poſt ſententiam Judicis, Concedo: ante ſententiam Judicis, Nego conſequentiam.

Q. 28°. *Sed ſi præceſſit contractus aut quaſi contractus, ex quâ culpâ reparandum eſt damnum?*

R. Jure canonico & civili obligatio eſt reſtituendi ex culpâ leviſſimâ, quando contractus cedit in utilitatem ſolius accipientis, ut commodatum: ſi verò cedit in commodum dantis, ut depoſitum, requiritur culpa lata; ſed ſi fiat contractus in commodum utriuſquè, ut venditio, emptio, locatio, ſufficit & requiritur culpa levis. Reſponſionis tres ſunt partes.

Prima pars patet ex capite unico de commodato, cujus hæc ſunt verba: *cùm gratiâ ſui tantùm quis commodatum accipit, de leviſſimâ etiam culpâ tenetur: licèt caſus fortuitus ſibi non debeat imputari, niſi acciderit culpâ ſuâ; vel intervenerit pactum, ſeu in morâ fuiſſet.* Eadem habentur lege, *in rebus*, digeſtis *Commodati.*

Secunda pars patet ex Inſtitutis, paragr. *Præterea*, ubi depoſitarius dicitur teneri ſolùm ex dolo: nomine autem doli ſecundùm gloſſam, lata culpa intelligitur.

Tertia pars habetur lege *Contractus*, digeſtis *de regulis juris*, & lege, *in rebus*, digeſtis *Commodati.*

Ex his colliges quid ſentiendum ſit de Medicis, Patronis, Judicibus, Artificibus, qui omnes eo ipſo, quo officio funguntur & ſtipendium accipiunt, quaſi tacitè contractum iniiſ-

ſe videntur ad majorem diligentiam præſtandam; ac proinde tenentur non quidem ex leviſſimâ, ſed ex levi culpâ.

Dices: peritia mediocris ſufficit in quâlibet arte, nec requiritur excellens, ex dictis tractatu de actibus humanis cap. 1. parag. 3. pag. 11. ubi aſſeruimus Actuarium, qui vitioſum ſcribit contractum ex culpâ levi, hoc eſt, quam ſoli peritiores vitaſſent, immunem eſſe à peccato, nec teneri in foro conſcientiæ reſarcire damna: ergo Medici, Patroni, &c. non obligantur ex levi culpâ, ſed ex latâ tantùm.

Diſtinguo conſeq. non obligantur ex levi culpâ, levi, inquam, in illâ arte, Concedo: levi in privatis, qui artem illam non profitentur, Nego conſeq. Itaque eadem culpa poteſt eſſe levis, & lata ſub diverſo reſpectu: eſt levis reſpectu privati, qui cùm non teneatur ſcire quæ communiter noverunt, & noſſe debent aliquam artem profitentes, bonâ fide & ſine dolo conſulit contra legem; error in illo levis eſt, gravis verò & lata culpa eſſet in Patrono, quia ut ſupponitur, illum vitaſſent Patroni mediocri ſcientiâ inſtructi; ſed ſi ipſe Patronus erret ubi ſoli peritiores rectè conſuluiſſent, nec peccato, nec reſtitutioni eſt obnoxius in foro conſcientiæ, ut dictum eſt citato paragrapho de actibus humanis; quia error levis eſt etiam in Patrono.

Porro citatæ regulæ in conſcientiâ ſunt obſervandæ; quia qui contractum ineunt, implicitè ſaltem ſe obligant ad eum ſervandum eo modo, quo præſcribunt leges.

Dices 1°. citatâ lege *Contractus*, habetur dolum & culpam recipere contractus ſequentes, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, ubi commodatum

comparatur cum locato ac vendito, quod ſit in gratiam utriuſque.

Reſpondeo, mandatum, commodatum, & depoſitum poſſe fieri multis modis. Primò mandatum poteſt cedere vel in commodum ſolius mandantis, & tunc mandatarius tenebitur ſolùm ex culpâ latâ, vel in commodum utriuſque, ſi nempe mandatarius accipiat mercedem; in quâ hypotheſi tenebitur ex culpâ levi. Idem dicendum de commodato & depoſito: ſi enim pro re commodatâ, vel pro depoſiti cuſtodiâ aliquid ſolvatur, commodatarius & depoſitarius tenentur ex culpâ levi. Secundò, poſſunt convenire mandans & mandatarius, commodans, & commodatarius, &c. ut ſit obligatio reſtituendi ex culpâ leviſſimâ, & tunc erit ſtandum pacto. Tertiò, poteſt aliquis ultro ſe offerre ad mandatum exequendum, vel aliquod opus perficiendum, cùm mandans vellet alium eligere fortè peritiſſimum; in quo caſu qui ſuſcipit executionem mandati vel operis, omnem diligentiam videtur polliceri. Hoc ſenſu intelligenda eſt lex prima parag. *Nautæ*, *Caupones*, ubi nautæ, Caupones, ſtabularii tenentur etiam de leviſſimâ culpâ.

Advertes ex citato cap. *cum gratiâ*, de commodato, commodatarium teneri ex caſu fortuito duobus inſuper caſibus. 1°. Si dederit occaſionem caſui fortuito, ut ſi rem commodatam aliò detulerit, quàm convenerant, v. g. commodatus eſt ei equus, ut pergeret ad quendam locum, & ad alium ſe tranſtulit. 2°. Si fuerit in morâ; equum detinuit duobus diebus, cùm debuerit reddere eodem die, quo commodatus fuerat.

Obſervabis, in foro exteriori præſumi diligentiam in contractu requiſitam non fuiſſe adhibi-

tam niſi contrarium probetur, imò non admittitur probatio, quando eſt difficilior, ut ſi in domo, quam contractu locationis inhabitas, incendium contigerit per aliquem è domeſticis, operariis, vel amicis, quos ad cœnam v. g. vocaveras: Judex te ad totum damnum reparandum condemnabit. Item ſi ex illâ domo lapis projectus in plateam, aliquem tranſeuntem vulneraverit; debent tamen tibi refundere, qui cum culpâ damnum intulerunt. Similiter nautæ, caupones, ſtabularii, & vectores lege civili coguntur reſtituere quidquid apud ſe receperint quocunque modo perierit; niſi vis illata ſit ab extrinſeco, putà fulmine, latronibus irruentibus.

CAPUT IV.

Satisfit nonnullis difficultatibus circà damnificatores præcedenti capite recenſitos.

Paragraphus I.

De Mandante.

Q. 1°. *Tenetur-ne mandans reſarcire non ſolùm damnum quod præcepit, ſed etiam quòd inde ſecutum eſt, quamvis præter ejus intentionem?*

R. Tenetur, ſi mandatum fuerit periculoſum; ut ſi juſſetit Petrum vulnerari tantum, tenetur ad ſatisfaciendum pro ejus morte, ſi occiſus ſit; quia in hâc hypotheſi mandans eſt cauſa totius damni.

Q. 2°. *Mandans cenſetur-ne ſatisfeciſſe, quando præcipit reſtitutionem ſuo nomine fieri, & mandatarius non implevit mandatum?*

R. Minimè, quia non poſuit æqualitatem, ſicut enim non incurrit mandans obligationem reſtituendi, ſi injuria, quam præcepit, reverà non fuit illata; ſic non ſatisfacit pro injuriâ, quæ ex ejus mandato ſecuta eſt, niſi reipsâ reſtitutio fiat.

Q. 3°. *Quid ſi mandans revocaverit mandatum ante executionem?*

R. Non tenetur reſtituere etiam ſecuto effectu; quia in illo caſu mandatarius non agit mandantis nomine, ſed ſuo.

Q. 4°. *Qui ratum habet damnum ſuo nomine factum, licèt re ipsâ neque expreſſè, neque tacitè mandaverit, tenetur-ne reſtituere?*

R. Non tenetur; quia in hâc hypotheſi nullo modo eſt cauſa damni.

Dixi, *neque tacitè;* ſi enim dominus dicat famulo ſe appetere ultionem injuriæ, vel aliquid ſimile, undè ſi famulus præceptum perficiat; dominus pro injuriâ illatâ ſatisfacere debet.

Dices: ex reg. 1. *de reg. Juris* in Sexto, *ratihabitio retrotrahitur, & mandato ſine dubio comparatur.*

Diſtinguo, comparatur quoad malitiam peccati, & judicialem punitionem, Concedo; undè qui ratam habet percuſſionem Clerici, ipſo jure incurrit excommunicationem, ex cap. *Cùm quis*, de ſententiâ excommunicationis in ſexto. Quoad effectum reſtituendi, Nego; quia non eſt cauſa damni.

PARAGRAPHUS II.

De Conſulente.

Q. 1°. C*Onſulens cenſetur-ne aliquando primaria cauſa damni?*

R. Cenſetur, quando qui conſilium ſequitur, eſt Juris imperitus, nititurque ſolâ auctoritate

conſulentis, v. g. patroni, qui ex culpâ latâ aſſerit, ſuadetque cauſam eſſe juſtiſſimam & indubitatam, in quâ hypotheſi Patronus totum damnum reparare debet.

Q. 2°. *Qui minùs malum conſulit ad majus vitandum, tenetur-ne reſtituere?*

R. 1°. Si conſulit, ut eidem minus malum inferatur, cui inferendum erat majus, non tenetur ad reſtitutionem; quia per tale conſilium utiliter gerit rem proximi ſui.

R. 2°. Si conſulit, ut damnum minùs inferatur determinatè alteri, injuſtus eſt ergà alterum, eique reſtituere debet: quia alter jus habet, ne tale damnum ſibi inferatur.

Dixi, *determinatè*; nam ſi tantùm in genere diceret quis latroni: Relinque hunc pauperem; aggredere potiùs ditiores; non eſſet reſtituendi obligatio: quia non tam hortaretur ad ſpoliandos ditiores, quàm ad parcendum pauperi.

Q. 3°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi revocato conſilio ſi nihilhominùs ſequatur effectus?*

R. Eſt: hoc enim intercedit diſcrimen inter mandatum & conſilium; quòd revocato mandato, revocetur & auctoritas mandantis, quæ movebat executorem. Undè ſi cognitâ revocatione nihilominùs injuriam inferat, jam nomine ſuo & propriâ malitiâ impulſus, agere cenſendus eſt: contra, revocato conſilio, ordinariè remanent pondera rationum, quibus conſulens animum executoris infecerat, commoveratque ad damnum inferendum. Quare comparandus eſt conſulens ei, qui lapidem projicit; quantumcunque enim ſe projeciſſe doleat, dum adhuc lapis volat, vulnus illi imputatur. Ex quo ſequitur, quòd ſi mandans ſuaſionibus egerit ad commovendum mandatarium, ratione conſilii cum mandato conjuncti, adhuc tenebitur reſtituere etiam revocato mandato.

Dixi, *ordinariè* : nam ſi conſilium nitatur falsâ ratione, cujus poſtea falſitatem conſulens apertè demonſtret ei, cui conſilium dedit, damnum ſubſecutum non eſt tribuendum conſulenti.

Q. 4°. *Quid ſi dubium ſit, an conſilium influxerit?*

R. 1°. in foro externo damnaretur is, qui conſilium dediſſet; præſumereturque conſilium reipsâ moviſſe.

R. 2°. In foro interno credi debet damnificacatori, neganti ſe conſilio impulſum eſſe, ſi aliunde fide dignus ſit.

Q. 5°. *Quid ſi audiri non poſſit, aut credi non debeat?*

R. Quidam Theologi negant in foro interno conſulentem teneri reſtituere; quia, inquiunt, nemo in dubio ſpoliandus eſt re ſuâ, cûm in hâc hypotheſi melior conditio ſit poſſidentis. Probabilius tamen eſt conſulentem ad reſtitutionem teneri, etiam in foro interno, quia conſilium, ut ſupponitur, de ſe ſufficiens eſt ad commovendum eum, qui damnum intulit: Ergo cenſeri debet cauſa illius damni, niſi contrarium probetur. Sic qui certus eſt ſe voviſſe aut mutuo accepiſſe: ſed dubitat, an votum impleverit, aut pro mutuo reſtituerit; in illo dubio tenetur ſecundùm omnes Theologos ſatisfacere, ſive pro voto, ſive pro mutuo. Item Petrus & Paulus ſimul aliquem lapidibus impetierunt: dubitat Paulus, num ſit cauſa homicidii inde ſubſecuti, præſumi debet cauſa etiam in foro conſcientiæ, quia actus ejus de ſe fuit validus ad tantum damnum inferendum.

Q. 6°. *Qui malè conſulit, ſed bonâ fide, teneturne reſtituere?*

R. 1°. Si conſulens non ſit talis perſona, quæ

ratione muneris, aut ſtatûs ſui peritiam præ ſe ferat, non obligatur, niſi ex conſilio doloſo, id eſt, niſi fraude ignorantem circumveniat. Ita habetur reg. 62. de reg. Juris in Sexto: *Nullus ex conſilio dummodo fraudulentum non fuerit obligatur;* quia qui conſilium ab ejuſmodi idiotis datum ſequitur, id potiùs ſuæ temeritati & imprudentiæ imputare debet, quàm eorum conſilio. Quamobrem ſæpè mulieres, ruſtici, & alii hujuſmodi non ſunt cogendi ad reſtituendum, etiamſi aliquid injuſtum conſuluerint.

R. 2°. Si conſulens ſit obligatus ex officio ad conſilium dandum, ut Advocati, Medici, Paſtores & Confeſſarii; vel aliquam peritiam profiteatur, ut doctores, quibus fides adhiberi debet & ſolet, non cenſetur eſſe in bonâ fide, niſi de aliquâ re rogatus det ſufficienter operam, quatenus rectè & ſalubriter conſulat, proindeque tenetur non ſolum ex culpâ lātâ, ſed etiam, ex levi, præſertim ſi ſtipendium acceperit; quia intercedit quidem contractus in favorem utriuſque dantis ſcilicet & accipientis. Patet ex dictis, confirmaturque ex capite, *Si culpa*, de injuriis & damno dato. *Si culpâ tuâ datum eſt damnum, aut imperitiâ tuâ ſive negligentiâ evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet; nec ignorantia tua excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere vel jacturam.*

Paragraphus III.

De Conſentiente.

Q. 1°. Quandonam conſentiens reſtituere debet?

R. Quando conſenſus eſt cauſa damni; ut ſi quis dubius de aliquo facinore determinetur ab

amicis, quibus rem expoſuit. Secus ſi jam determinatus ſit, & illi humano reſpectu annuant ſolùm, modò non placent nec laudando promptiorem & alacriorem reddant ad damnum inferendum; quia etſi peccent graviter ſuâ complacentiâ, tamen in damnum non influunt.

Dixi: *modò non placent*; quia qui laudat malefactorem, aut ei exprobat, influit in damnum, quatenus animum malefactoris accendit. Hinc qui derideret maritum propter adulterium uxoris, teneretur ad reſtitutionem, ſi inde maritus moveretur ad occidendum adulterum.

Q. 2°. *Quandonam conſenſus cenſeri debet cauſa effectus?*

R. Quoties conſentiens ex officio tenetur non conſentire, & impedire poteſt. Hinc ad reſtitutionem tenentur qui in Capitulum & Senatum conveniunt ad ſuffragium ſententiamque ferendam ex officio, ſi humano favore taceant, quando poſſunt impedire, advertentes inde probabile periculum injuſtitiæ ſecuturum.

Q. 5°. *Quid ſi aliquis inter poſtremos ſuffragium ferens, conſentit injuriæ, quam jam ſufficiens numerus præcedentium ſuffragatorum decrevit?*

R. 1°. Tenetur reſtituere, ſi conſilio vel auctoritate ſuâ potuiſſet præcedentes à ſuâ ſententiâ dimovere.

R. 2°. Tenetur etiam in caſu, in quo ſupponitur non poſſe impedire decretam injuriam, tum quia omnium nomine & auctoritate injuria eſt inferenda; tum quia promptiùs & alacriùs ſententia aut decretum executione mandabitur, ſi in eam omnes conſenſerint.

Confirmatur: ſi duo totidem plagas lethales inflixerint, tenentur ad reſtitutionem, etiamſi ex unicâ mors fuiſſet ſecuta.

Paragraphus IV.

De receptante & participante.

Q. 1°. **Q**Uis *intelligendus nomine receptantis ſeu recurſum præſtantis?*

R. Qui delinquenti ſecuritatem præſtat & fiduciam ad damnum inferendum. Talis eſt

1°. Qui recipit rem furtivam celandi cauſâ; receptatores enim non minùs delinquunt quàm aggreſſores, ex leg. 3. paragr. *Non tantùm*, Digeſtis *de incendio*.

2°. Qui à furibus ſcienter emunt; ſunt enim receptatores furti.

3°. Caupo filium-familias contra patris voluntatem recipiens ad conſumenda bona patris.

4° Advocatus cauſæ manifeſtò iniquæ patrocinium ſuſcipiens, & Judicem fallens, ut docet S. Aug. epiſt. 153. aliàs 54. circa finem. *Quem prioris*, inquit, *non rectæ vitæ rectiſſimè pœnitet, etiam hoc facere debet*, (nempe reſtituere) *niſi fortè reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculo offertur, & reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro ubi peccata puniuntur, decepto Judice, & circumventis legibus obtinetur.* Legendus eſt omninò finis hujus Epiſtolæ.

Dices. Ergo qui occultat furem dùm quæritur à liſtoribus, tenebitur ad reſtitutionem, ſi fur poſtea damnum intulerit.

Diſtinguo: ſi eo animo occultet: ut perſeveret in furtis, Concedo: ſi ſolùm, ut vitam conſervet, quamvis fortè è periculo elapſus, aliquando damnum aliis ſit illaturus, Nego. Quia damnum illud eſt merè caſuale reſpectu receptantis, & præter ejus intentionem.

Q. 2°. *Si Petrus comitem aſciverit Paulum ad occidendum Joannem, tenetur-ne ad reſtitutionem, ſi Paulus ipſe occidatur?*

R. Si compulit Paulum invitum, tenetur; quia compellendo injuriam fecit Paulo: non compulit, non tenetur; ſed Paulus ſibi imputare debuit, quod ſe Petro adjutorium dederit.

Q. 3°. *Qui remotè tantùm cooperatur ad damnum, ſicut famulus uſurarii numerans pecunias uſurarias, tenetur-ne ad reſtitutionem?*

R. Minimè; quia directè non concurrit ad pactionem iniquam, nec qui injuriam patitur, eam illi meritò aſcriberet.

Paragraphus V.

De muto, non obſtante, non manifeſtante.

Q. 1°. *Qui clamare volentem contra fures impedit, tenetur-ne ad reſtitutionem, ſi damnum ſequatur?*

R. 1°. Tenetur, ſi alter ex officio clamare debebat: ratio eſt, quia qui precibus vel pretio impellit alterum ad injuriam alicui tertio inferendam, eſt cauſa injuriæ, revocaturque ad mandantem, vel conſulentem, vel cauponem; ac proinde ad reſtitutionem tenetur.

R. 2°. Etiam ſi ex officio non tenetur clamare, tamen qui eum volentem clamare impediret per vim aut dolum, reſtituere teneretur, is enim cui inferenda eſt injuria, jus habet, ne quis ipſius defenſionem per vim aut dolum impediat.

R. 3°. Si ſine vi, fraude, aut dolo, ſed abſque rationabili causâ alium impedit, quominùs damnum tertii avertat, aut bonum ipſi procuret, quod avertere aut procurare non tenebatur ex juſtitiâ, non obligatur ad reſtitutionem, ſecundum communem Theologorum ſententiam contra Azorium, & nonnullos, quos cit. leg. 4. Mor. c. 16. Quia qui ſuadet preci-

bus aut alio irrationabili modo, ſine vi tamen aut fraude, eſt tantùm cauſa ſecundaria damni, quod paſſus eſt tertius: atqui cauſa ſecundaria non tenetur ad reſtitutionem, niſi loco cauſæ primariæ non reſtituentis: hæc autem in caſu propoſito, non tenetur ex juſtitiâ procurare bonum aut impedire malum tertii.

Nec dicas, eum, qui vi aut fraude impedit, eſſe etiam cauſam tantùm ſecundariam; nam verè eſt cauſa primaria damni; facit enim directè contra jus, quod habet tertius, ut liberum ſit cuique ſibi benefacere. Porrò qui ſine vi & fraude, ſed precibus tantùm impedit alium, liberum ei relinquit gratificari tertio ſi velit.

Q. 2°. *Tenetur-ne ſervus reſtituere, qui videt rem familiarem domini ſui dilapidari & tacet?*

R. Affirmant communiter Theologi, ſi cura domûs, vel rei alterius ei ſpecialiter demandata fuerit; quia ex contractu, ac proinde ex juſtitiâ obligatur ad cuſtodiam: ſed diſſentiunt circa alios famulos. Plures negant eos teneri reſarcire damnum ex illorum ſilentio ſecutum; quia famulus ex officio ſuo tenetur ſolummodo injuncta ſibi opera præſtare: Atqui herus ipſi non injunxit ut cuſtodiret, ſicut ſupponitur: Ergo. Excipit tamen Leſſius, ſi damnum inferatur ab extraneis; exiſtimat enim ille auctor eam eſſe mentem cujuſlibet domini, ut ſinguli domeſtici ſervent bona ſua, ſi poſſint, à furibus extraneis. Alii abſolutè docent quemlibet famulum teneri reſarcire damnum ex ſuo ſilentio illatum ſive ab extraneis: ſive à conſervis. 1°. quia herus conducit famulos cum eo ſaltem tacito pacto, ut quæ in domo ſuâ ſunt ſervent, ſi poſſint tum à furibus extraneis, tum à domeſticis; quiſque enim confidit ſe habere cuſtodem domûs ſuæ,

cùm in eâ reliquit famulum. 2°. quia domeſtici alio modo tenentur impedire damnum heri ſui, quàm vicini & extranei: Atqui iſti tenentur ex charitate. Ergò illi non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex officio, ac proinde ex juſtitiâ; & ita docebat in ſcholis Sorbonicis quem ibi Magiſtrum habuimus. Domeſticus tamen, cui ſpecialiter cuſtodia mandata eſt, obligatur ad majorem diligentiam; ipſius enim eſt, non aliorum invigilare, ne quid detrimenti dominus patiatur in re ſibi creditâ.

Q. 3°. *Tenetur-ne Confeſſarius reſtituere, ſi pœnitentem reſtitutioni obnoxium non obligat?*

R. 1°. Non obligatur, ſi ex incogitantiâ, aut ex perſuaſione pœnitentem ſponte ſatisfacturum, eum non obliget ad ſatisfactionem, nam tunc excuſat, vel incogitantia, vel perſuaſio reſtitutionis à pœnitente ultrò faciendæ.

R. 2°. Obligatur, 1°. ſi non advertit ex ignorantiâ non levi & minimè in Confeſſario tolerandâ, & ita malè conſulit. 2°. ſi advertit, & nihilhominùs tacet, ut cauſa ſit, cur pœnitens ad reſtituendum paratus, non reſtituat, ut pote, qui ſibi perſuadeat mentem Confeſſarii eſſe, quod nulla ſit obligatio reſtituendi. Eſto quod Confeſſarius non teneatur ex juſtitiâ monere pœnitentem, nec impedire damnum ejus creditoris; nihilhominùs ab injuſtitiâ non excuſatur, ſi auctor ſit cur pœnitens non reſtituat. Sic gregarius miles, qui cum cohorte iter facit juxta vineam, non tenetur ex juſtitiâ impedire, quominùs ſocii vineam depopulentur: attamen ſi ipſe ingrediens vineam ſuo exemplo moveat totam cohortem ad vineam vaſtandam, reſtituere debet totum damnum defectu aliorum; quia prævidere potuit, & debet damnum illud ex ſuo exemplo ſecuturum. Porrò experientiâ conſtat

pœnitentes niti ſilentio Confeſſarii, quem ſapientem exiſtimant, cùm contumaciter obſiſtunt aſſerentibus ipſos teneri ad reſtitutionem, qui enim tacet ubi loqui debet, conſentire videtur, juxta regulam juris.

Q. 4°. *Ad quid tenentur cuſtodes ſylvarum, vinearum & cæterorum, qui non impediunt, vel non manifeſtant damnificatores?*

R. Certum eſt 1°. eos peccare contra juſtitiam & religionem; quia violant pactum & juramentum, quo adſtricti ſunt erga eos à quibus mercede conducti ſunt.

Certum eſt 2°. eos teneri reſtituere damnum illatum; quia, ut ſupponimus, ex officio vel pacto tenentur ſuâ cuſtodiâ dominum loci illæſum ſervare. Sed difficultas eſt gravis, utrùm teneantur etiam ſolvere pœnam pecuniariam; quam ſolviſſent damnificatores, ſi ab iiſdem cuſtodibus fuiſſent detenti.

Inter diverſas in hâc re ſententias, veriſimilius videtur, quod docet Azorius lib. 4. c. 16. tertiæ partis, ubi diſtinguit inter hujuſmodi cuſtodes; alii enim ſimpliciter conducti ſunt ad vigilandum, ne inferatur damnum; & hi non videntur teneri ad ſolvendam illam mulctam, ſi non denuntient eum qui abſque eorum culpâ vineam aut ſylvam, &c. contra legem ingreſſus eſt. Et ratio eſt, quia non manifeſtans in hâc hypotheſi tenetur ſolùm domino aliquid ſolvere loco damnificatoris, qui eſt principalis cauſa damni: Atqui damnificator non tenetur ſolvere mulctam ante condemnationem: Ergo neque cuſtos. Sed ſi conducti ſunt cuſtodes, non ſolùm ut vigilent & impediant damnificatores, ſed etiam ut deferant & manifeſtent, quemadmodùm ſæpiùs contingit, in hâc hypotheſi, niſi manifeſtaverint, tenentur erga do-

minum ad ſolvendam mulctam pecuniariam, ad quam condemnati fuiſſent damnificatores, etiamſi ipſi damnificatores non teneantur; quia cuſtodes propter pactum initum, hujuſmodi manifeſtari tenentur ex juſtitiâ. Quare niſi manifeſtaverint, injuſtè agunt, ac proinde reſtituere debent damnum, quod ex eorum ſilentio conſecutum eſt.

Q. 5°. *Qui ex charitate ſolâ tenetur clamare contra fures domum aggredientes, obligatur-ne ad reſtitutionem; ſi promiſerit furibus, fortè etiam ab eis acceptâ pecuniâ, ſe non clamaturum?*

R. Obligatur; quia hoc promiſſum reddit illos ſecuriores & audaciores, & ita poſitivè influit in damnum.

Q. 6°. *Teſtis, qui non aperit veritatem, tenetur-ne reparare damnum ex ejus ſilentio ſecutum?*

R. 1°. Conſtat ex dictis eum non peccare contra juſtitiam, licèt aliquando peccet contra charitatem, ſi ultrò ad teſtandum non prodeat. Difficultas ſolùm eſt, ſi taceat, dum à Judice provocatur.

R. 2°. Si contra veritatem aliquid affirmat, procul dubio non tantùm negativè, ſed etiam poſitivè influit in damnum; ac proinde illud reparare debet.

R. 3°. Si declinet fugiendo: Molina, & alii apud Leſſium, lib. 2. c. 30. dub. 8. docent probabile eſſe ipſum peccare ſolùm contra juſtitiam legalem, ac proinde non teneri ad reſtitutionem. Sed probabilius videtur teſtem illum peccare contra juſtitiam commutativam, & ad reſtituendum teneri; & ita docet ſanctus Bernardinus Senenſis, ſerm. 34. in Quadrageſimâ, & plures alii. Et ratio eſt, quia teſtimonium ferre poſt citationem, eſt quoddam onus & officium Reipublicæ. Quemadmodum ergo qui ad jus di-

cendum eliguntur, quamvis inviti, ex juſt it. tenentur ſatisfacere muneri ſuo, & damna repa: rare, quæ per eorum negligentiam contingunt ita & teſtis citatus. Idem dicendum de Judice & Canonico, qui abſunt ſine ſufficienti causâ, dum prævidere poſſunt & debent aliquid iniquum eſſe gerendum.

Q. 7°. *Dominus tenetur ne reſarcire damnum per propria animalia illatum?*

R. 1°. Si per negligentiam illatum eſt, tenetur jure naturali; & ita habetur Exodi 21. *Si bos cornupeta fuerit ab heri & nudius-tertius, & conteſtati ſunt dominum ejus, nec recluſerit eum, occideritque virum aut mulierem & bos lapidibus obruetur, & dominum ejus occident. Quòd ſi pretium fuerit ei impoſitum, dabit pro animâ ſuâ quidquid fuerit poſtulatus.* Citatur hic locus cap. *Si bos de injuriis & damno dato.*

R. 2°. Si ſine culpâ damnum contigerit, dominus non tenetur de damno in foro conſcientiæ, niſi quatenùs ditior factus eſt; ſed in foro exteriori condemnabitur ad totum reparandum.

CAPUT V.

Cui facienda eſt reſtitutio?

R. 1°. Bona quæ certum habent dominum, ordinariè loquendo ſunt ei reſtituenda; quia aliter non tolleretur inæqualitas. Quare res quæ latroni eripitur, non illi ſed domino reddenda eſt; quia ſoli domino damnum illatum eſt, nec fur ullum jus habet ad retinendam rem furto poſſeſſam.

Dices: Cap. *Litteris de reſtitutione ſpoliatorum*, ſtatuitur ſecundum rigorem juris prædoni eſſe reſtituendum.

Reſpondeo id intelligendum eſſe pro foro externo; ubi primò probandum eſt, quod aliquis ſit prædo aut ſimoniacus, antequàm ſpolietur re, quam accuſatur per furtum aut ſimoniam poſſidere.

Dixi, *ordinariè*; ſunt enim aliqui caſus, in quibus res alteri poteſt reſtitui, quàm proprio domino.

Primus, ſi is ſit incapax adminiſtrationis, ut pupillus.

Secundus, ſi reſtituatur creditori ſui creditoris, quando debitum ex eâdem cauſâ provenit; ut ſi Petrus ſe Paulo conſtituit debitorem centum aureorum in mei gratiam, potero Paulo debitum ſolvere.

Tertius, ſi nihil interſit poſſeſſoris aut alterius tertii, cui fiat reſtitutio; nam ſi ſolvam Joanni tuo creditori centum nummos, quos tibi debeo, non ego liberor, ſi tu habeas alios creditores Joanne antiquiores. Sed ſi invenias rem depoſitam apud Caium, potes illam reſtituere Titio domino deponenti, ſi nihil interſit Caii.

Quis intelligendus eſt nomine veri domini?

R. 1°. Qui eſt juſtus poſſeſſor ſive dominus proprietatis, ſive non, quales ſunt depoſitarius, commodatarius, cuſtos, &c. quia tales habent jus ad rem poſſidendam. Si tamen hujuſmodi ſuſpecti forent, probabiliterque judicarentur rem abſumpturi, aut cum domini injuriâ detenturi, reſtituendum eſſet domino proprietatis, ſi fieri poſſet abſque ſcandalo vel notabili damno reſtituentis. In dubio æquali, non poteſt poſſeſſor legitimus rei poſſeſſione privari.

R. 2°. Bona quorum dominus inveniri non poteſt, acquiſita ſunt vel juſtè, & de his idem ſentiendum eſt quod de rebus inventis, de qui-

bus ſuprà : vel injuſtè, & ſunt eroganda Eccleſiæ vel pauperibus : colligitur ex cap. *Cui tamen de uſuris*; & cap. *Cùm ſit*, *de Judæis*, ubi ſtatuitur malè parta ab uſurariis & Judæis, in bonum pauperum eſſe convertenda ; quod Theologi communiter extendunt ad alia bona malè parta, favetque praxis Eccleſiæ. Neque expectanda eſt Judicis ſententia ; quia hæc diſpoſitio non eſt merè pœnalis, ſed habet quandam ſpeciem reſtitutionis. Nec dicas contingere aliquando hujuſmodi bona fuiſſe injuſtè accepta ab eo, qui cùm poſteà in infidelitate mortuus ſit, nec reliquerit hæredes, nihil ei prodeſſe poteſt hujuſmodi reſtitutio facta pauperibus. Nam in illo caſu bona illa cenſentur quaſi vacantia, ac proinde fiſco in Reipublicæ commodum applicanda. Porro hoc ipſo, quo in uſus pauperum convertentur, cenſentur cedere in commodum Reipublicæ, cujus eſt curare, ut pauperes ſuſtententur.

Q. 2°. *Quomodo ergo ſummus Pontifex juſtè ita componit cum injuſtis poſſeſſoribus, ut partem hujuſmodi bonorum incertorum ipſis cedat, reliquam verò ſuæ cameræ applicet ?*

R. Hoc fit, quatenus pertinet ad pietatem & religionem ſuppeditare quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtinenda opera ſummi Pontificis invigilantis ſaluti Reipublicæ Chriſtianæ. Ideo autem cedit partem injuſtis detentoribus bonorum incertorum, vel quia pauperes ſunt ; nullus enim pauper excluditur à diſtributione hujuſmodi bonorum faciendâ pauperibus : vel, ſi reverà pauperes non ſint, remittit partem, ne totum amittat : quemadmodum qui rem alicujus momenti perdiderunt, præmium inventori promittunt, ſi rem à ſe inventam reſtituat. Quare ſi cui in hâc condonatione aliquid injuſti appareat, tri-

buendum non eſt ſummo Pontifici, ſed iniquis detentoribus, qui non reſtituerent, niſi pars debiti ipſis remitteretur, quamvis reverà non indigeant.

Q. 3°. *Accepta ob turpem cauſam ſeu ad patrandum crimen, putà fornicationem, ſunt ne reſtituenda?*

R. 1°. Quæ accepta ſunt pro illicito, ſi nondùm patratum ſit, omnino reſtitui debent. Ratio eſt, quia tenetur quilibet abſtinere à malo opere patrando, ac proinde reſtituere pretium acceptum pro opere, quod patrare non poteſt. Hinc Lege, *Generaliter, de verborum obligationibus*, dicitur: *Generaliter novimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti.* Et reg. 64. *de regulis juris* in Sexto, *Quæ contra jus fiunt, debent utì pro imperfectis haberi.* Quod verum eſt, etiamſi juramentum acceſſerit, juxta regulam 50. *de regulis juris* in Sexto: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.*

Q. 4°. *Sed cui facienda eſt reſtitutio?*

R. Alii dicunt faciendam eſſe pauperibus, nam Lege 3. Digeſt. *de condictione ob turpem cauſam*, dicitur: *Ubi dantis & accipientis turpitudo verſatur, non poſſe repeti dicimus; veluti ſi pecunia detur ut malè judicetur.* Lege 3. dicitur, *ſolutum ob turpem cauſam non poſſe repeti.* Alii intelligunt has leges ſolummodò pro foro externo, in quo non datur actio ad repetendum datum ob turpem cauſam; voluntque illud eſſe reſtituendum ei, qui dedit, niſi lex eum reddat inhabilem ad recipiendum, ut mox dicitur de datis ſimoniace; & ratio eorum eſt, quia cùm pactiones hujuſmodi ob turpem cauſam, nullæ ſint tùm Jure civili, tùm Jure naturali: qui dedit, non tranſtulit à ſe dominium; cùm ſupponatur donatio nulla: ac proinde, quod accepit alter,

debet ipſi reſtituere tanquam vero domino.

R. 2°. Patrato opere illicito, poteſt retineri pretium, niſi qui acquiſivit, peccaverit contra ſuum officium, aut lex inhabilem illum reddat ad poſſidendum tale pretium.

Probatur ratione & auctoritate Legis, *idem*, parag. 3. *de condictione ob turpem cauſam. Quod meretrici datur, repeti non poteſt, illam enim turpiter facere . . . quòd ſit meretrix; non turpiter accipere, cùm ſit meretrix:* ſimilia habet S. Thomas. 2. 2. quæſt. 62. art. 3. ad 2. *alio modo*, inquit; *aliquis illicitè dat quia propter rem illicitam dat; licèt ipſa datio non ſit illicita. Sicut cùm quis dat meretrici propter fornicationem. Unde & mulier poteſt ſibi retinere quod datum eſt ſibi: ſed ſi ſuperfluè aliquid per fraudem & dolum extorſiſſet, hoc tenetur reſtituere.*

Dices; Lex & S. Thomas reſtringi debent ad Provincias in quibus meretrices tolerantur: ergo ubi non tolerantur, reſtituere debent.

Nego antecedens: tum quia verba Legis & S. Thomæ ſunt abſoluta, tum quia ratio, quâ Lex & S. Thomas nituntur, æque concludit pro meretricibus non toleratis, ac pro toleratis: Meretricium exercere, inquiunt, eſt turpe & illicitum: dare vero crimine patrato non eſt illicitum ac proinde meretrix datum poteſt retinere: Atqui Lex prohibens meretricium exercere, non prohibet meretrici dare crimine patrato: Ergo meretrix retinere poteſt; etiamſi vetetur meretricium exercere: ſic Lex prohibens mendacium officioſum, non vetat, ne qui mentitus eſt in gratiam alterius, donum ab ipſo recipiat.

Inſtabis: Peccatum non eſt pretio æſtimabile: Ergo meretrix injuſtè accipit pretium ſui criminis, ac proinde tenetur illud reſtituere.

R. 1°. Argumentum militat contra adverſarios, qui docent meretrices, ubi toleraǹtur, acceptum pro meretricio licitè retinere, ſi ſupponatur datum illud eſſe pretium criminis. Quare

R. 2°. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam; quia peccatum eſt conditio duntaxat, ſine quâ non daretur meretrici: datur autem, non ut pretium peccati, ſed ut ſolutio promiſſi. Eſto promiſſum ob cauſam turpem ſit illicitum, injuſtum tamen non eſt in hâc materiâ, cùm non violetur jus alterius: nec extet lex in Galliâ, quæ prohibeat fornicarium dare meretrici.

Dixi 1°. *niſi qui acquiſivit peccaverit contra ſuum officium;* nam cùm ex juſtitiâ teneatur ſuo fungi officio, injuſtè illud deſerit accipiendo pecuniam: ita habetur cap. *Non ſanè*, causâ 14. qu. 5. his verbis: *Cùm autem judicia & teſtimonia, quæ nec juſta nec vera vendenda ſunt, iniqua & falſa venduntur, multò ſceleratiùs utique pecunia ſumitur; quia ſceleratè etiam, quamvis à volentibus datur.*

Confirmatur cenſurâ Cleri Gallicani, qui anno 1700. has duas ſequentes propoſitiones damnavit, Primam: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferendâ ſententiâ in favorem unius pro alio.* Secundam: *Poſſunt Judices accipere munera à litigantibus; nec tenentur reſtituere, quæ acceperint ad pronuntiandam ſententiam injuſtam. Hæ propoſitiones*, inquiunt Epiſcopi, *falſæ ſunt, pernicioſæ, verbo Dei contrariæ, & Judicum corruptelas inducunt.*

Dixi 2°. *Aut lex inhabilem illum reddit ad poſſidendum tale pretium;* nam Jure canonico ſimoniacus, v. g. non acquirit pecuniam ſimoniacè

acceptam, teneturque etiam ante condemnationem Judicis eam reſtituere, non ei qui dedit, qui ſecundum eaſdem leges non debet illam recipere, ſed pauperibus. Ita S. Thomas, qu. 62. art. 5. ad ſecundum. *Dicendum*, inquit, *quòd aliquis dupliciter illicitè dat: uno modo, quia ipſa datio eſt illicita & contra legem, ſicut patet in eo, qui ſimoniacè aliquid dedit, & talis meretur amittere quod dedit. Unde non debet fieri ei reſtitutio de his; & quia ille qui accepit, contra legem accepit, non debet ſibi reſtituere: ſed debet in pios uſus convertere.*

Q. 5°. *Tenetur ne ad reſtitutionem, qui aliquid accepit, ſive ut abſtineret à malo opere, ſive ut faceret aliquod bonum opus aliàs præceptum?*

R. 1°. Si bonum opus erat ex juſtitiâ debitum ei, à quo pecunia accepta eſt, debet reſtitui; & ratio eſt, quia quod accipitur per injuſtitiam, reſtituendum eſt: atqui per injuſtitiam hujuſmodi pecunia eſt accepta; qui enim ſolvit, habet jus, ut ſine ſumptu opus illud præſtetur. Deinde, qui accipit aliquid ſupra æqualitatem, id eſt, ſuprà illud quod ſibi debetur, tenetur reſtituere: ſed qui aliquid recipit pro opere debito ex juſtitiâ, accipit ſupra id, quod ſibi debetur. Hinc Judex aliquid accipiens pro ferendâ juſtâ ſententiâ, tenetur reſtituere.

R. 2°. Si, ut abſtineat ab injuriâ alicui inferendâ, accipiat aliquid, v. g. latro à viatore extorqueat pecuniam, ne ipſum interficiat; eſt obligatio reſtituendi, quia illud non cenſetur datum niſi coactè ad vitandam injuriam, à quâ abſtinere debebat latro ex præcepto juſtitiæ.

Hinc ſequitur nihil poſſe exigi pro reſtituendo depoſitum vel commodato, vel invento, vel pro ſolvendo debito; quia hæc fieri debent ex juſtitiâ. Ita habetur lege, *idem*; parag. *item ſi*, & parag. *ſi tibi*; & lege, *ſi ſervo*, de condictione ob turpem cauſam.

Q. 6°. *Sed quid, ſi op s vel omiſſio non ſit quid debitum ex juſtitiâ, v.g. Petrus accipit pecuniam à Paulo, ne blaſphemet, ut tempore Paſchatis confiteatur, eſt-ne reſtituenda hujuſmodi pecunia?*

R. Alii affirmant, alii negant, alii diſtinguunt, & quidem rectiùs, ut videtur: vel eſt labor aut periculum in opere illo præſtando, ſicut contingit in Medico, qui curat ægrotum, quem alioquin ex charitate teneretur curare; & in illo caſu nulla eſt reſtitutio facienda, ſi pretium moderatum fuerit acceptum; quia hujuſmodi opera ſunt pretio æſtimabilia. Sed ſi nullus ſit labor, nullus ſumptus, nullum periculum; ſicut in eo, qui accipit pecuniam, ne furetur, ne blaſphemet, ut odium deponat, ut indicet furem, reſtituendum eſt quidquid pro hujuſmodi fuerit acceptum; quia illa non ſunt vendibilia aut ullo pretio æſtimabilia, ac proinde abſque titulo poſſidet, qui pro iis aliquid accipit.

Advertes tamen, quod cùm non intereſt dantis, ut iſtâ fiant vel non fiant, cenſeri poſſit gratuitò datum & ex merâ liberalitate: ut ſi datum ſit alicui, ut fieret Chriſtianus, ut confiteretur in Paſchate: poſſent tamen hæc repeti in judicio.

CAPUT VI.

Quo ordine facienda eſt reſtitutio?

R. 1°. SI opes damnificatoris ſufficiunt ad reſtituendum omnibus creditoribus, poteſt debitor reſtituere quo ordine voluerit, modò tempus quo tenetur reſtituere, non prætereat; difficultas ſolum eſt, quando bona debitoris non ſufficiunt.

R. 2°. Debita certa priùs ſunt ſolvenda, quàm incerta: Ratio eſt, quia ea debita priùs ſolvenda ſunt, quorum eſt major obligatio: Atqui ita ſe habent debita certa præ incertis; nam Jure naturali tenemur determinatè huic creditori debita certa ſolvere; non tenemur autem jure naturali, ſed tantùm poſitivo, ſaltem ſecundùm multos, debita incerta reſtituere alicui determinatè, puta Eccleſiæ, vel pauperibus.

Ex quo inferunt Cajetanus, Navarrus & alii, graviter peccare eum, qui, cùm multa creditoribus certis debeat, & multa incertis, procurat ſibi remiſſionem incertorum per compoſitionem cum ſummo Pontifice, & ea tanquam propria detinet, ac de reliquo tantùm ſatisfacit certis creditoribus, quantùm poteſt; defraudat enim eos integrâ ſolutione, cui integræ ſolutioni etiam debita incerta obnoxia ſunt. Quòd ſi tamen res incerti domini in ſuâ ſpecie maneret, v. g. hic calix, hæc veſtis, poſſent erogari in pauperes, & pia opera, quia tunc certis creditoribus non præjudicaretur, quandoquidem non tenetur debitor creditori ſatisfacere ex alieno; at conſtaret rem illam, licèt incerti domini, eſſe alienam.

R. 3°. Priùs ſolvenda ſunt debita certa, quàm legata certæ perſonæ; quia debita certa, debentur ex juſtitiâ & titulo oneroſo, non autem legata; idem dicendum eſt de ceteris debitis gratuito titulo, cum debitis oneroſo titulo comparatis.

R. 4°. Debita certa, quæ extant, & non tranſierunt in dominium debitoris, priùs ſunt reſtituenda, quàm quæ non extant. Ratio eſt, quia hujuſmodi debita non numerantur in bonis debitoris, ſed ſunt in dominio creditoris. Hinc ante omnia reſtituenda ſunt depoſita, pignora,

commodata, res per furtum, vel uſuram ablatæ, inventa, &c.

R. 5°. Debita realia priùs ſunt ſolvenda, quàm perſonalia; nam debita realia, jure majori debita ſunt, quà perſonalia; cùm illorum ſolutioni non ſolùm perſona debitoris, ſed etiam ejus bona ſpecialiter obligata ſint: atqui ſola perſona propter debita poſterioris generis obligata eſt. Unde colligitur creditores hypothecarios præferendos eſſe creditoribus chirographariis; nam illi non ſolùm perſonam, ſed etiam rem aliquam, hi verò ſolam debitoris perſonam obligatam tenent. Ita habetur lege, *eos qui acceperunt*, Cod. *qui potiores in pignore*, & ex reg. 25. de reg. Juris in ſexto, *plus cautionis in re eſt, quàm in perſonâ.*

R. 6°. Inter creditores hypothecarios præferendi ſunt, qui priores ſunt tempore; quia potiores ſunt in Jure, ex reg 25. de reg. juris in Sexto.

Ceterùm inter poſteriores hypothecarios, nonnulli præferendi ſunt prioribus 1°. Qui pecuniam credidit ad emptionem prædiorum, ædificationem ædium, atque jus pignoris in iis pactus eſt. 2°. Qui ad conſervationem ædium, priori creditori ſpecialis hypothecæ nomine obligatarum, pecuniam mutuò dedit. 3°. Qui ſimiliter pecuniam dedit ad conſervationem aliarum rerum, v. g. navis mercium, &c. quique jus pignoris ſibi in his conſtituit. 4°. Bona mariti tacitè obligata uxori ejuſque liberis pro dote; adeò ut aliis creditoribus etiam prioribus habentibus tacitam hypothecam præferantur. Dixi, *tacitam hypothecam*; quia negant communiter præferri habentibus expreſſam. 5°. Si ex pecuniâ pupilli res aliqua comparata ſit, in eâ tacitam hypothecam pupillus acquirit &

juris prælationem. Idem dicendum, ſi ex pecuniâ Eccleſiæ ab ejus adminiſtratore res aliqua comparata ſit; Eccleſia enim jure minoris debet ſemper illæſa ſervari; ſed de his legendus eſt titulus, *Qui potiores in pignore.*

Porro quæ hactenus diximus, ſecundùm diſpoſitionem juris communis accipienda ſunt; nam ſi in aliquibus locis ſint hâc de re leges vel conſuetudines particulares rationi conſentaneæ, omninò ſunt ſervandæ in foro conſcientiæ.

R. 7°. Ex debitis perſonalibus, ea priùs ſunt ſolvenda, quæ privilegiata dicuntur. Tale eſt 1°. privilegium ſponſæ de futuro in bonis ſponſi ratione dotis traditæ, non ſecuto matrimonio, ex lege, *Quæſitum*, paragr. *ſi ſponſæ*, Digeſt. *de privilegiis creditorum.* 2°. Ejus qui depoſuit pecunias apud nummularium, non percipiens inde uſuras, ex lege, *ſi hominum*, paragr. *in bonis*, Digeſt. *de privilegiis creditorum.* 3°. Ejus, qui ad navem extruendam, inſtruendam, emendam, pecuniam credidit ex lege, *qui navem*, & lege, *quòd quis navis*, Digeſt. tit. eodem. Quod privilegium extendunt nonnulli ad quamcunque rem aliam comparandam, reficiendam, &c. Alii tamen putant eſſe privilegium conceſſum in gratiam navigationis, quæ Reipublicæ utiliſſima eſt.

R. 8°. Si creditores nec reales ſunt, nec privilegiati, ſingulis pro ratâ ſatisfaciendum eſt, ſive ſint priores, ſive non, ſive ex contractu. Ratio eſt, quia nulla lex prælationem conſtituit inter hujuſmodi creditores; nam illa regula, *Qui prior eſt tempore, potior eſt in jure*, creditoribus tantùm hypothecariis applicatur. Undè ſi debitor uni creditorum, non privilegiato etiam priori, ſponte & non requiſitus ſolveret totum debi-

tum & aliis creditoribus nihil poſſet ſolvere, in fraudem cæterorum ageret, iiſque injuriam inferre cenſendus eſſet.

Dixi, *ſponte*; quia ſi ex creditoribus perſonalibus aliquis exigat ante alios ſolutionem debiti, poteſt & tenetur debitor ei integrè ſolvere; quia diligentia poſterioris creditoris fecit eum potiorem, ſicut hypotheca & privilegium, ex leg. *Pupillus*, parag. *quæ in fraudem creditorum.*

Q. 2°. *Creditor, qui à debitore ſponte offerente, accepit integram ſolutionem priorum debitorum perſonalium, tenetur-ne reſtituere?*

R. Non tenetur in foro conſcientiæ, niſi per fraudem aſſecutus eſſet debitum, v. g. ſimulando gravem inopiam; quia non accepit rem alteri obligatam.

CAPUT VII.

Quo loco, quibuſve impenſis reſtitutio eſt facienda?

R. 1°. QUando reſtituendum eſt ratione injuſtæ acceptionis, reſtitutio facienda eſt impenſis debitoris, idque eo loco, ubi dominus illam poſſeſſurus erat, ſi ablata non fuiſſet. Ratio eſt, quia dominus nullum damnum ſentire debet ex iniquitate alterius, ſed lege juſtitiæ ita fieri debet reſtitutio, ut in priſtinum ſtatum reſtituatur, perinde ac ſi ablata res non fuiſſet: Ergo reſtitutio non debet fieri illius impenſis, ſed debitoris, qui ſibi imputabit, quòd ea ſubire cogatur.

Ex quo ſequitur, teneri aliquando injuſtum debitorem ad plures ſumptus, quàm damnum ſecundùm ſe æſtimetur; non quidem plus ut

dominus accipiat, quàm illi detractum eſt; ſed ut reſtituatur in rei ablatæ poſſeſſionem, & damnum ex alterius iniquitate non patiatur. Hic tamen duæ exceptiones afferuntur.

Prior; non obligatur debitor ad faciendas impenſas, quas ipſe dominus facere debuiſſet: non enim tenetur illi cum lucro reſtituere; ſed ſatis eſt, ſi creditor ex ablatione nihil damni ſentiat.

Poſterior: ſi res non poſſit ſine magnis ſumptibus reſtitui, poteſt ex eâdem æquitate naturali differri reſtitutio, modò nihil inde dominus vel parùm damni capiat. Si tamen is eſt rerum ſtatus, ut niſi modo reſtituas, poſteà nec ipſi domino, nec ejus heredibus reſtituere poſſis; omninò reſtituenda eſt nunc vel res ipſa, vel juſtum rei pretium, quamvis magnæ expenſæ eſſent faciendæ; quia dominus non ideò debet in perpetuum re ſuâ privari, quòd debitum tantundem in ſumptus impendere cogatur.

R. 2°. Quæ debentur ſolùm ratione rei acceptæ, reſtituenda ſunt in loco, ubi habentur, nec tenetur debitor ea mittere ad dominum expenſis ſuis. Ratio eſt, quia cum ſuo damno non tenetur dominum in priſtinum ſtatum reſtituere, cùm eum per injuriam non deturbaverit; ſed ſolùm tenetur ad cuſtodiam, monito interim domino, ut ſignificet quo modo velit eam ad ſe tranſmitti, quâ in re non tenetur debitor ullos ſumptus facere. Imò ſi eum contingat in alium locum migrare, nec poſſit eam commodè apud aliquem, qui reſtituat, deponere, ſed cogatur transferre; poteſt expenſas à domino repetere, ut pote in ipſius utilitatem factas, ut habetur leg. 2. *de negotiis geſtis.*

R. 3°. Si res reſtituenda ſupponat contractum, reſtituenda eſt expenſis dantis, ſi con-

tractus in ſolum ejus commodum eſſet : & expenſis accipientis, ſi vertat in ejus utilitatem, idque eo loco, ubi eſt tradita ; niſi aliter juſtâ aliquâ pactione conventum ſit. Reſponſio per ſe patet.

CAPUT VIII.

De iis qui excuſant à reſtitutione.

Q. 1°. *Remiſſio creditoris excuſat-ne à reſtitutione ?*

R. Excuſat, ſi ſit legitima ; quia creditor poteſt donare quod ſuum eſt.

Q. *Quot conditiones requiruntur, ut remiſſio cenſeatur legitima ?*

Tres requiruntur. Prima, Remiſſio debet eſſe omninò libera, ſpontanea, ex merâ liberalitate profecta, nec vi, metu, aut fraude extorta. Fraus eſſet, ſi debitor fingeret ſe pauperiorem, quàm reverà ſit : metu extorta cenſetur remiſſio, ſi expreſsè vel implicitè minaretur creditori, niſi integrè vel ex parte remitteret. Item ſi cogeretur ſubire multas moleſtias ſollicitando, vel ſæpiùs adeundo debitorem.

Addo, preces poſſe reddere remiſſionem minùs ſpontaneam, ut ſi nimis eſſent importunæ, aut ab aliquo potente factæ, cui creditor propter reverentiam non auderet quidpiam denegare.

Cenſetur etiam donatio ex liberalitate non proficiſci, ſi id, quod remittitur ſit magni valoris, nec remittens ſit admodum dives, vel ſaltem non ſoleat multa dare gratuitò. Nec refert, quòd aliquando non requiſitus condonatio

nem offerat; aliàs emptores cenſerentur gratis dare pretium rerum venalium, quia aliquando illud ultrò offerunt ad illas comparandas. Hinc

Colliges vix in praxi contingere, ut mutuatarii ſponte & liberaliter donent aut remittant uſuras. Vel enim donant, quia mutuantem aliàs gratis mutuaturum non ſperant, vel ad obtinendam ulteriorem ſolutionis dilationem.

Secunda conditio, ut remittens ſit reverà dominus, & donare poſſit id, quod remittit. Unde debita paterna non poteſt filius-familias remittere, ſicut nec uxor, ea quæ ſunt mariti.

Tertia, ut remiſſio non fiat in caſibus jure exceptis.

Primus eſt, quando Epiſcopus viſitans Eccleſias, aliquid accipit ab eis quas viſitat, præter neceſſaria ad victum pro tempore, quo viſitat; tenetur enim ad reſtitutionem intra menſem, & quidem in duplum, etiamſi libera ei fiat remiſſio à dantibus. Ita habetur c. *Exigit*, *de cenſibus*, in 6. ex Conc. Lugd. quod non excludit jus procurationis, ut nonnullis viſum eſt, approbatur enim & confirmatur in Conc. Later. c. *Procurationes*, &c. *Cùm venerabiles*, extra *de cenſibus*.

Secundus. Si Judex delegatus aliquid receperit à partibus præter moderatas expenſas, tenetur ad reſtitutionem non obſtante quâvis remiſſione, ex parag. *Si quid*, *de Reſcriptis*, in Sexto.

Tertius. Inquiſitores, ſi prætextu inquiſitionis pecunias extorſerint, tenentur reſtituere, nullis privilegiis, pactis & remiſſionibus ſuper hac valituris, Clem. *Nolentes*, *de Hereticis*.

Quartus. Si Canonicus, qui officio non intereſt, accipit diſtributiones; nec prodeſt remiſſio cæterorum, ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. C. 12. *de reformatione*, his verbis: *Diſtributiones*,

qui ſtatis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſâ, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, Conſuetudinem, *quod ſancta Synodus in uſum revocat, nonobſtantibus quibuſcunque ſtatutis & conſuetudinibus.*

Q. 3°. *Per ceſſionem bonorum liberatur-ne debitor à reſtitutione, ſi quid poſtea acquirat?*

R. Minimè, ut patet ex lege 4. Digeſt. *de ceſſione bonorum*; & ratio eſt, quia per neceſſitatem debitoris non extinguitur, ſed ſolùm ſopitur obligatio reſtituendi.

Hoc igitur ſolùm debitor aſſequitur per ignominioſum illud privilegium, ut non poſſint in carcerem conjici, aut in eo detineri; modò tamen ex induſtriâ & in fraudem creditorum bona ſua non diſſipaverit.

Q. 4°. *Qui cedit bonis, poteſt-ne aliqua occultare ad vitæ ſuſtentationem?*

R. Theologi communiter docent debitorem poſſe tutâ conſcientiâ retinere unde tenuiter vivat ſecundùm ſuum ſtatum; nam ex dictis, propter gravem neceſſitatem poteſt differri reſtitutio. Quorum ſententiæ favet omninò lex *in condemnatione*; in regulis juris, & lex, *qui bonis*, Digeſt. de *ceſſione bonorum.*

Q. 5°. *Qui alteri bona fide & prudenter commiſit rem reſtituendam, liberatur-ne ab obligatione reſtituendi, ſi ad dominum non pervenerit?*

R. 1°. Si res illa fuit in ſpecie aliena reſpectu creditoris & in propriâ reſpectu debitoris, hic debet iterùm reſtituere; res enim perit domino ſuo. Si tamen debitoris intereſſet, nec agnoſceretur à domino rei inventæ, putà ne fur præſumeretur, à reſtitutione eximendus videtur; quia poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere niſi id, quo factus eſt ditior.

R. 2°. Si res in ſpecie erat alienâ, non tenetur iterùm reſtituere qui eam bonâ fide detinebat; quia nec eſt injuſta acceptio, nec damnum injuſtè datum, nec injuſta detentio: ergo nulla reſtituendi cauſa. Utramque reſponſionem illuſtrat familiare exemplum. Titius invenit ſaccum, in quo aurum erat conditum cum linteaminibus: aurum in proprios uſus conſumit animo reponendi parem pecuniæ ſummam: cùm dominus ſacci apparuerit. Titius certior factus Mævium perdidiſſe illum ſaccum, ex ſuo ære tantùm reponit in ſacco, quantùm abſtulerat. In hoc exemplo ſaccus & linteamina ſunt res Mævii in ſpecie propriâ, manentque ſub ejus dominio: pecunia verò repoſita eſt in ſpecie alienâ, & quamvis debeatur Mævio, ſub dominio tamen Titii manet, donec Mævio fuerit tradita. Unde ſi fures domum Titii ingrediantur, & ſaccum auferant, ſaccus & linteamina pereunt Mævio, pecunia verò Titio.

R. 3°. Si res in ſpecie alienâ per injuſtitiam erepta ſit ut torques, veſtis, debet iterùm reſtitui: injuſtus enim poſſeſſor tenetur de caſu fortuito. Deinde res illa cenſetur culpâ ejus periiſſe, quatenus ſi eam non abſtuliſſet, apud dominum non fuiſſet peritura.

Q. 6°. *Debitor ingrediens Religionem, excuſaturne à reſtitutione?*

R. Prohibentur gravati rationibus reddendis, ingredi Religionem antequam iis ſe expedierint, ex capite *Legem*, Diſt. 53. Ratio eſt, quia talis debitor jure naturali tenetur reſtituere: ergo injuſtè agit, dum ſe impotentem reddit.

Dices: Sponſus ſive de præſenti, ſive de futuro, nondum conſummato matrimonio; Religionem ingredi poteſt, etiam invitâ ſponsâ;

ergo & debitor invitis creditoribus; nemo enim tenetur ſolvere debitum cum detrimento boni altioris ordinis.

Nego conſequentiam. Nam ſponſus id poteſt, quoniam ex conſenſu Eccleſiæ in ſponſalibus tam de præſenti, quam de futuro, ſemper includitur hæc conditio, *niſi poſtea Religionem ingredi placuerit;* quæ conditio non includitur in aliis contractibus; neque enim voluntas aut ſpes adipiſcendi bonum altioris ordinis excuſat à reſtitutione.

CAPUT IX.

De Reſtitutione in particulari.

QUadruplicis generis ſunt bona, nempe animi, corporis, famæ & fortunæ; in quibus proximo noceri poteſt: Quare de his ſigillatim eſt dicendum.

Paragraphus I.

De bonis ſpiritualibus.

Q. 1°. *Qui inducit aliquem in peccatum, aut ſine ratione avertit à propoſito ſanctioris vitæ, putà ingrediendi in Religionem, tenetur-ne ad reſtitutionem?*

R. 1°. Si ſine vi, metu, aut fraude id præſtet: peccat contra charitatem, non verò contra juſtitiam; ſcienti enim & volenti non fit injuria.

Hinc ſequitur eum, qui virginem conſentientem, & ſine promiſſis, defloravit, in foro conſcientiæ non teneri ex juſtitiâ eidem reſtituere;

Dixi 1°. *In foro conſcientiæ :* nam in foro externo præſumitur virginem decepiſſe & ſeduxiſſe, niſi contrarium probet.

Dixi 2°. *ex juſtitiâ :* nam probabile eſt ſtupratorem, ſi dives ſit ; teneri ex charitate virginem defloratam pauperem dotare ; quia ut plurimum virgines pauperes in ſui deflorationem non conſentiunt, niſi ſub ſpe dotis ; quod in praxi videtur ſequendum.

Dixi 3°. *ſi e promiſſis :* nam promiſſio etiam ficta eſt adimplenda, ni contingat virginem poſtea fornicari, vel niſi ſit tanta conditionis diſparitas ; ut præſumatur virgo non fuiſſe decepta, ut docet S. Thomas in quartum diſt. 28. art. 2. ad 4.

Dixi 4°. *eidem reſtituere :* nam ſi non conſenſerint parentes ejus, tenetur ſtuprator reparare damnum quod ipſis intulit, etiamſi virgo dicat ſe nolle nubere.

R. 2°. Si quis vi, metu, vel fraude aliquem in peccatum induxerit, vel à propoſito ſanctioris vitæ averterit, peccavit contra juſtitiam, teneturque ſatisfacere, 1°. metum & vim removendo, fraudem detegendo, & injuriam paſſum libertati propriæ reddendo ; deinde ſecuta damna reparando.

Q. 2°. *Qui alium avocavit à Religione, tenetur-ne ſatisfacere ipſi Religioni ?*

R. 1°. Si precibus tantùm vel conſilio, abſque vi aut fraude avocavit, non tenetur : quia Religio nullum jus habet, ut paratus eam ingredi, precibus aut conſilio minimè fraudulento non impediatur ; ſicut jus non habes, ut paratum tibi aliquid donare, non avocem meo conſilio, modò fraudulentum non ſit.

R. 2°. Si per vim aut fraudem avocavit, tenetur damnum illatum Religioni reparare, quia

Religio ſicut quilibet privatus, jus habet ut liberum ſit cuique, ſi velit, ipſi benefacere.

Ex his patet eum, qui per vim aut fraudem virginem corrupit, teneri vel eam ducere, vel injuriam reparare. Preces autem importunæ cenſentur vis quænam & ſeductio, præſertim ſi proficiſcantur ab eo, à quo puella dependet.

Q. 3°. *Si virgo poſtea nubat æquè modicâ dote, eſt-ne ei aliquid reſtituendum?*

R. 1°. Reſtituendum eſt pro integritate & honore violatis.

R. 2°. Si deteriùs eſt accipienda, ſicut ferè ſemper accidit, pro eo damno ſatisfaciendum eſt. Imò quamvis deteriùs non ſit accipienda, ſi non corruptor, ſed parentes virgini commodum matrimonium invenerint, nonnulli Theologi ſentiunt corruptorem teneri pro parte dotis, ſicut qui merces alienas corrupiſſet, aliquid domino teneretur reſtituere, etiamſi eodem pretio eas vendidiſſet, ac ſi corruptæ non fuiſſent.

Q. 4°. *Eſt-ne obligatio totam dotem ſolvendi virgini à ſe deceptæ?*

R. In foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis ſufficit reparare damnum, quod ex violatione exurgit.

Q. 5°. *Qui voto ingrediendi Religionem aſtrictus virginem corrupit ſub ſpe matrimonii, tenetur-ne eam potiùs ducere, quàm voto ſuo ſatisfacere?*

R. Tenetur; quia ingreſſus Religionis fit ei illicitus, utpote qui fit contra juſtitiam, quàm debet puellæ. Confirmatur hæc reſponſio exemplo ejus, qui habens centum nummos, vovit ſe daturum eleemoſynas; ſed paulò poſt damnum intulit tanti æſtimatum, nec habet aliunde quo ſatisfaciat; tenetur eoſdem nummos eleemoſynis deſtinatos, dare in reſtitutionem.

Paragraphus II.

De adulterio.

Q. 1°. QUi *commiſit adulterium, ad quid tenetur?*

R. 1°. Si partus ſecutus non ſit, ad nihil tenetur, quia ex Lege, *Tranſigere*, Cod. *de tranſactionibus*, dicitur, *tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt:* Ubi excipitur adulterium, ne maritus videatur abuti corpore uxoris ſuæ ad lenocinium.

R. 2°. Tenetur alimenta ſubminiſtrare proli, ſaltem ab anno tertio; quia ex cap. 2. *de converſione infidelium;* pater debet alimenta filio ſuo ab anno tertio & deinceps, donec ſibi de alimentis providere poſſit. Imo in defectum matris debet alere filium ab ipſo partu.

Ex quo ſequitur adulterum teneri reſtituere, 1°. vel patri putativo, vel xenodochio, ſi proles expoſita fuit, & ipſe ſi dives ſit ſumptus factos pro filio ſpurio. 2°. Heredibus; quia eſt cauſa damni, quod patiuntur in diviſione hereditatis. Cùm autem adultera concurrat ad illum damnum, ſicut & adulter, debet etiam cum ipſo concurrere ad illud reparandum.

Q. 2°. *Quid præſtare debet adultera, ut damnum reparet?*

R. Primò ſuadebit patri putativo, ut ceteris filiis plus tribuat, ſi liceat per legem municipalem.

Secundò, rem familiarem diligentiùs adminiſtrabit.

Tertiò, de cultu corporis ſui & ſumptibus detrahet.

Quartò, ſi habeat bona propria, ex eis plura relinquet legitimis, quàm ſpurio.

Addunt aliqui, ſi prædicta non ſufficiant, eam debere ſpurio ſtatum religioſum aut Eccleſiaſticum ſuadere, ſi aliunde idoneus ſit, & vocationis divinæ ſigna præ ſe ferat.

Q. 3°. *Tenetur-ne adultera monere ſpurium, quòd nullum jus habeat ad hæreditatem?*

R. Non tenetur: tum quia non eſt obligatio detegendi crimen cum tantâ ſui infamiâ: tum quia ſpurius non tenetur credere matri etiam juranti, niſi manifeſtis argumentis probet ſe verum dicere: ut ſi tempore conceptionis oſtendat maritum abſentem fuiſſe: nemo quippe unius hominis, quamvis minimè ſuſpecti teſtimonio credere tenetur in ſuum præjudicium.

Q. 4°. *Quid ſi dubium ſit an ab adultero, an à marito proles ſit genita?*

R. Leſſius & nonnulli alii eximunt adulterum à reſtitutione; ſed probabilius eſt, partem damni cum adulterâ teneri reparare, quia quando conſtat crimen admiſſum fuiſſe de ſe ſufficiens ad damnum inferendum, præſumptio eſt contra nocentem, damnumque ei tribuendum, niſi probet ſuâ culpâ non contigiſſe. Deinde adulter & adultera in causâ ſunt, cur maritus alimenta præbeat filio, tanquam certo & indubitato, cùm reverà dubius ſit: hæc autem injuria eſt pretio æſtimabilis.

Confirmatur exemplo duorum, qui lapides projecerint in quendam tertium, qui inde vulneratus eſt; conſtat enim utrumque teneri ad damna reparanda, niſi alter eorum probet vulnus à ſe non fuiſſe inflictum; nec valet hîc axioma, *In dubio nemo ſpoliandus eſt re ſuâ, melior eſt conditio poſſidentis:* etenim poſſeſſio eſt pro innocente, quem conſtat ſpoliatum eſſe re ſuâ, quam repetendi jus habet ab iis, qui certè exercuerunt actionem de ſe efficacem ad talem injuriam

inferendam, præſumunturque reverà intuliſſe, niſi contrarium demonſtrent. Secus, ſi dubium eſſet, an illi lapides projeciſſent; in illo enim caſu axioma allatum ipſis faveret.

Dices: Filius in dubio, an ſit legitimus, necne ex dictis legitimum ſe credere poteſt: ergo adultero & adulteræ licebit ita præſumere.

Nego conſequentiam, quia in causâ dubiâ favendum eſt innocenti. Deinde adulter & adultera ſunt cauſa injuſta cur periculum ſit, ne maritus prolem alienam tanquam propriam paſcat, quod eſt injuſtum & pretio æſtimabile.

Paragraphus III.

De homicidio & mutilatione.

Q. 1°. Quid *reſtituere debet injuſtus homicida?*

R. Etiamſi capite plectatur propter injuriam illatam Reipublicæ, nihilominus debet reſtituere, 1°. Pro vitâ injuſtè ablatâ, cujus dominium utile habebat is, qui fuit occiſus, ut patet ex dictis. 2°. Pro ſumptibus factis propter Medicos, Chirurgos, & cibos, deductis tamen iis, quos occiſus ipſe alias conſumpſiſſet. 3°. Pro omni lucro ceſſante & damno emergente, v. g. ſi occiſus aliquo officio fungebatur, annuos cenſus recipiebat, quæ omnia poſt mortem extincta ſunt. 4°. Debet occiſor alere occiſi uxorem & liberos, ſi alebantur arte & induſtriâ occiſi. 5°. Debet ſolvere expenſas funeris, ſi majores factæ ſint propter homicidium, ut ſi extra patriam occiſus eſſet; nihil verò debet pro expenſis, quæ factæ fuiſſent, ſi occiſus obiiſſet morte naturali.

Q. 2°. *Debet-ne homicida ſatisfacere occiſi creditoribus?*

R. 1°. Si homicida reſtituit heredibus occiſi omnia, quæ ipſe putabatur lucraturus, non videtur ad alia teneri erga creditores; hi enim debent petere ſolutionem ab heredibus, qui ſupra facultates defuncti ſolvere non tenentur.

R. 2°. In hypotheſi, quòd occiſus fuerit extraneus, nec ulla bona reliquerit, ſed labore ſuo ſolitus eſſet acquirere, tum ad propriam vitam ſuſtentandam, tum ad ſolvendum creditoribus, negari non poteſt, quin homicida iiſdem creditoribus debeat ſolvere, quantùm ex judicio viri prudentis potuiſſet occiſus colligere pro ſolutione debitòrum; quia reverà tanti damni fuit cauſa reſpectu creditorum.

Ex his patet ad colligendum, quantum ſit reſtituendum pro damnis ex homicidio ſecutis, ſpectandam eſſe conditionem occiſi, fuerit-ne dives an pauper, juvenis an ſenex, doctus an indoctus, peritus in aliquâ arte, an ignarus, an multùm, an parùm lucrari ſolitus. Deinde quod eſt in ſpe non æquipollet ei, quod eſt in re. Unde non ſunt omninò ſolvendæ operæ, quæ poſſibiles erant, ſed quæ moraliter futuræ habitâ ratione ætatis, qualitatis, perſonæ, & impedimentorum, quæ accidere poterant.

Q. 3°. *Debet ne homicida ſatisfacere his, quibus occiſus gratis beneficia conferre ſolebat?*

R. Hæc difficultas videtur ſolvenda ex his, quæ ante diximus de eo, qui per vim aut fraudem impedit aliquem, quominus alii tertia gratificetur; homicida enim per vim impedivit occiſum, ne aliis benefacere perſeveraret: Ergo reverà damnum ipſis intulit, quòd proinde reſarcire debet. Verùm cùm mutari potuiſſet omni momento illa occiſi bona voluntas, quis determinabit quantùm homicida reſtituere debeat? Deinde damnum illud eſt præter intentionem

homicidæ, & nimis remotè ſe habet ad ejus actionem, ut poſſit cenſeri ejus cauſa; quamobrem multi Theologi cenſent homicidam hîc ad nullam reſtitutionem teneri.

Confirmatur hæc ſententia. Si quis alium bonis ſpoliaſſet per injuſtam litem; proptereaque injuriam paſſus deſineret benefacere iis, quibus antea penſiones annuas gratis ſolvebat, non teneretur injuſtus litigator illud damnum reſarcire; quia videtur nimis remotè ſequi ex injuſta litigatione: Ergo à pari.

Q. 4°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi ex occiſione in ſingulari certamine?*

R. 1°. Si unus alterum provocet, & hic involuntariè deſcendat, provocans tenetur reſtituere, ſi occiderit; quia eſt injuſtus aggreſſor.

R. 2°. Si provocatus occidat provocantem, nihil tenetur reſtituere: qui provocans alterum excitat ad ſui occaſionem, ſi fortè ſuperior ſit: Scienti autem & conſentienti non fit injuria.

R. 3°. Si ambo æquè liberè in pugnam conſenſerunt, non eſt obligatio reſtituendi; quia ex pacto implicito, occidendi facultatem dederunt ei qui ſuperaverit.

Q. 5°. *Qui ob defenſionem ſui occidit, aut mutilat; tenetur ne reſtituere?*

R. Si cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit, aut mutilaverit, non tenetur ad reſtitutionem; quia ex dictis nemo tenetur ad reſtitutionem ratione damni illati, niſi injuſtè intulerit. Porrò qui occidit aut mutilat cum moderamine inculpatæ tutelæ, juſtè occidit aut mutilat: Ergo.

Q. 6°. *Fit-ne irregularis qui ſic occidit?*

R. Jure antiquo Clericus ſic occidendo fiebat irregularis. *Clericus*, inquit S. Thomas. 2. 2. qu. 64. art. 7. ad 3. *etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem*

aliquem, irregularis eſt, quamvis non intendat interficere; ſed ſe ipſum defendere. Sed jure poſteriori in Clementinâ, *de Homicidio*, qui ſic occidit aut mutilat, non eſt irregularis; ſic enim habetur cap. *Si furioſus*: *ſi furioſus*, inquit, *aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet aut occidat, nullam ex hoc incurrit irregularitatem, & id etiam de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, occidit aut mutilat invaſorem.*

Ubi tria communiter notant Theologi. Primum, quòd ibi dicatur, *invaſorem ſuum occidit*, &c. unde multi cum gloſſâ colligunt contra alios, qui pro ſe laudant declarationem Cardinalium, *quòd ſi quis cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit invaſorem patris, fiat irregularis.* Secundum quòd addatur, *vitare non valens*; ex quo concludit eadem gloſſa, *quòd ſi fugæ etiam probroſæ locus eſſet, qui non fugeret, fieret irregularis.* Tertium, quòd ibi fiat reſtrictio ad ſolum periculum mortis aliàs inevitabilis. Ergo qui occidit propter vitandam infamiam, bona fortunæ defendenda, eſt irregularis; quidquid in contrarium afferant nonnulli Theologi.

Confirmatur ex cap. *ſuſcepimus*, *de homicidio*, ubi dicitur: *Quoniam expediebat potiùs poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quàm pro conſervandis vilibus & tranſitoriis rebus tam acriter in alios exardeſcere.* Ad quæ verba ſic habet Gloſſa: *Irregularis factus eſt, qui potiùs debuit dimittere ſua, quàm interficere.*

Dices: ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. c. 7. *de reform. Si homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum & altaris miniſterium, & Beneficia quæcunque ac dignitates jure quodammodò diſpenſatio debeatur, committatur loci ordinario.*

qui. . . nonniſi cauſâ cognitâ diſpenſare poſſit.

Reſpondeo varias eſſe ſententias circa Decretum illud Concilii Tridentini. Alii putant Concilium renovare jus antiquum : alii contendunt intelligendum eſſe de eo, qui, ut ſe à morte defenderet, exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ; & ita declaratum fuiſſe in Congregatione Cardinalium deputatorum ad explicanda loca obſcuriora Concilii Tridentini, die primâ Septembris anni 1588. & die 6. Julii anni 1599. Magis ad mentem Concilii videtur hujuſce defenſionis examen eſſe penès Epiſcopum, utrùm ſcilicet in eâ ſervatum fuerit juſtum moderamen, vix enim deſunt rationes dubitandi, nùm aliquis exceſſus contigerit.

Q. 7°. *Qui exceſſit moderamen, tenetur-ne reſtituere?*

R. Tenetur ſecundùm communiorem ſententiam Theologorum, ſi exceſſus ſit mortalis; quia occiſor fuit cauſa moralis totius damni.

Dixi, *ſi exceſſus ſit mortalis;* quia ex dictis culpa venialis excuſat à reſtitutione totius damni.

Dices: qui provocantem ſe ad ſingulare certamen occidit, ad nullám reſtitutionem tenetur: ergo à pari nec qui invaſorem occidit.

Reſpondeo juxta communiorem ſententiam negando conſeq. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quòd qui liberè duello confligunt, eò tendunt, & ex pacto tacito conveniunt, ut quilibet ad occidendum faciat quidquid potuerit. At verò invaſus ex injuſtâ aggreſſione nullum jus habet, niſi ut ſe defendat, quantùm neceſſe eſt ad declinandum periculum. Quare ſi ulteriùs progrediatur, non jam ſe defendit, ſed ulciſcitur, comparanduſque eſt cum eo, cui injuſta lis infertur; hic enim juſtè non poteſt expenſas alias facere, quàm neceſſarias. Unde

ſi confidens æquitati cauſæ ſuæ ſuperfluas evidenter multiplicet, non poteſt illas niſi injuſtè ab alio repetere.

Q. 8°. *Tenetur-ne reſtituere qui non fugit cùm poſſet?*

R. 1°. Certum eſt hujuſmodi peccare contra charitatem, ſecundùm quam quilibet tenetur in caſu neceſſitatis malum proximi avertere. Imò & contra religionem, ſi Clericus fuerit; Eccleſia enim vult ſuos Miniſtros conſervare manus puras à ſanguine alieno, quantùm poſſibile eſt.

R. 2°. Non tenetur reſtituere; quia ex juſtitiâ non tenetur fugere.

Q. 9°. *Licet-ne occidere propter defenſionem famæ vel honoris?*

R. Aſſeruerunt aliqui Theologi recentiores, quorum crudelem doctrinam pluribus propoſitionibus contentam damnarunt uti ſcandaloſam, erroneam, & verbo Dei contrariam, 1°. celebres Academiæ Theologicæ, ut Lovanienſis annis 1653. & 1657. Pariſienſis anno 1665. Deindè ſummi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. Ac demùm Clerus Gallicanus anno 1700. Quare juxta doctrinam Eccleſiæ ad propoſitam quæſtionem

R. Non licet occidere propter defenſionem famæ aut honoris.

Probatur 1°. citatâ auctoritate.

Probatur 2°. ratione: quia fama nihil eſt aliud quàm judicium aliorum de noſtrâ excellentiâ; honor verò eſt teſtimonium, quod alii nobis reddunt, ſe benè de nobis ſentire, quod fit cultu & reverentiâ: Atqui hujuſmodi judicia aut teſtimonia tanta non ſunt, ut pro eis conſervandis aut repetendis proximum occidere liceat: Ergo. Minor probatur auctoritate Scripturæ, 1. ad Cor. 4. *mihi autem pro Minimo eſt*

ut à vobis judicer aut ab humano die : Joan. 5. *quo modò vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem quæritis?* Math. 5. *beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum, adverſus vos mentientes.* Et ratio eſt, quia mundus præſtantiores virtutes, ut charitatem, patientiam, humilitatem, vitio vertit; vitia verò tanquam eximias virtutes extollit. *Quid namque ſtultius videtur mundo*, inquit S. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 16. *quam nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?* Et pro hujuſmodi famâ tuendâ licebit, docente homine Chriſtiano, proximum occidere? Abſit. *Virtutes habenti magna virtus eſt contemnere gloriam*, inquit ſanctus Auguſtinus libro quinto de civitate Dei, Capite decimo nono.

Dices: ſcriptum eſt: *Curam habe de bono nomine*, Eccleſiaſt. 41. Ergo licet occidere ob defenſionem famæ & honoris.

Reſpondeo negando conſeq. 1°. quia nullus è ſanctis Patribus, à quibus Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. vult nos accipere intelligentiam & interpretationem ſcripturæ, ita hunc locum intellexit, quaſi propter boni nominis conſervationem liceat alios occidere. Unde ſequitur, non à Spiritu ſancto afflante, ſed ab excœcante ſuperbiæ ſpiritu profluiſſe recentiorum interpretationem. 2°. Juſti non curant bonum nomen tanquam ſummum bonum, imò nec illud propter ſe appetunt; id enim eſſet vanitas: ſed propter aliud, quod pertinet ad charitatem. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt. 131. art. 1. ad tertium. *Dicendum*, inquit ſanctus Doctor, *quod ad perfectionem hominis pertinet, quòd ipſe cognoſcat; ſed quòd ipſe ab aliis cognoſcatur, non pertinet ad ipſius*

perfectionem, & ideo non eſt per ſe appetendum. Poteſt tamen appeti, in quantum eſt utile ad aliqnid, vel ad hoc quòd Deus ab hominibus glorificetur, vel ad hoc quòd homines proficiant ex bono, quod in aliis cognoſcunt.

Dices 2°. Axioma eſt, honorem ſeu famam eſſe quid vitâ præſtantius: Ergo cùm liceat occidere propter vitæ, multo magis propter famæ defenſionem.

Reſpondeo illud axioma non reperiri in ullâ authenticâ ſcripturâ, non in Canonibus Eccleſiæ; non in ſcriptis ſanctorum Patrum; ſed in ore mundanorum, qui non in cœlo, ſed in ore laudantium quærunt etiam poſt mortem vivere.

Q. 10°. *Licet-ne pro defenſione pudicitiæ occidere qui eam violare tentat?*

R. Aſſerunt recentiores non pauci: negat ſanctus Auguſtinus, lib. 1°. *de lib. arb.* cap. 5. *De Pudicitiâ verò*, inquit, *quis dubitaverit, quòd ea ſit in ipſo animo conſtituta, quando quidem virtus eſt? Unde à violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. Quidquid igitur erepturus erat ille, qui occiditur; id totum in poteſtate noſtra eſt. Quare admodùm noſtrum appellandum non ſit non intelligo. quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto ipſos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Sententiæ ſancti Auguſtini ſubſcribunt etiam hodiè Doctores & Prælati celeberrimi.

Q. 11°: *Licet-ne occidere furem in defenſionem bonorum fortunæ?*

R. Multi ex recentioribus id auſi ſunt aſſerere, ſed eorum auctoritas nullius eſt momenti; cùm ſit damnata illorum doctrina ab Innocentio XI. tanquam ſcandaloſa, & à Clero Gallicano anno 1700. tanquam legi Dei, & ordini charitatis, contraria. Enimverò ordo charitatis

poſtulat, ut vitam proximi propriis rebus præferamus. *Expediebat potiùs poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quàm pro conſervandis rebus vilibus & tranſitoriis, tam acriter in alios exardeſcere*, inquit Alexander III. cap. *Suſcepimus*. Et S. Auguſtinus cit. cap. 5. lib. 1. *de lib. arbit*. *Quomodo*, inquit, *ſunt peccato liberi, qui pro eis rebus quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?*

Objiciunt recentiores 1°. cap. 22. Exodi, ubi legitur, *quòd ſi effringens fur domum, & accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor non erit reus ſanguinis*. 2°. Bellum juſtè infertur propter bona fortunæ repetenda uſque ad multorum internecionem. 3°. Si prædones eſſent certi Chriſtianis prohibitam eſſe juſtam ſui defenſionem, evaderent audaciores.

Reſpondeo ad ſingula.

Ad locum Exodi: agitur de fure nocturno; qui præſumitur non tantùm res, ſed & vitam velle auferre; nam Deus ſtatim ſubdit, *quòd ſi orto Sole id fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur*. Ex quibus poſterioribus verbis patet Scripturam prohibere, ne quis occidat pro defenſione rerum ſuarum.

Ad ſecundum reſpondet S. Auguſtinus, militem in hoſte interficiendo, Miniſtrum eſſe legis, nec occidere auctoritate privatâ, ſed publicâ; Principes enim gladium portant ad vindictam malefactorum. Unde ſicut licitè interficiunt ex ſubditis eos, qui res alienas abſtulerunt, ita pariter juſtè bella inferunt hoſtibus, qui aliena injuſtè retinent, nec volunt aliter reſtituere.

Ad tertium reſponderi poteſt, legem etiam charitatis non prohibere, quin privati res ſuas poſſint defendere etiam armis, ſi neceſſe ſit; ſed cavere debent, quantùm poſſunt, ne inde

lædatur invaſor. Quod ſi præter intentionem vulneretur, læſio illa imputanda non eſt res ſuas defendenti; ſed ei, qui temerè periculo ſe commiſit. *Abſit*, inquit S. Auguſtinus, epiſt. 154. ad Publicolam, *ut ea quæ propter bonum aut licitum facinus habemus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam malè acciderit, nobis imputetur; alioqui nec ferramenta domeſtica, nec agreſtia ſunt habenda, ne quis eis vel ſe, vel alium interimat; nec murus circumducendus eſt poſſeſſioni noſtræ; ne aliquis ex ipſius ruinis percuſſus intereat.*

Inſtabis; S. Auguſtinus cit. cap. 5. lib. 1. *de lib. arbit.* etiam improbat, quòd quis ob defenſionem propriæ vitæ alium interimat: Ergo exceſſus eſt in illius verbis, ac proinde nihil concludi poteſt ex ejus auctoritate contra communiorem ſententiam.

Reſpondeo, S. Auguſtinum non probare quidem, quòd quis directè intendat occidere ob defenſionem ſui; ſed excuſat eum, qui præter intentionem occidit, dum ſtudet neceſſariæ ſui ipſius defenſioni.

Inſtabis iterùm; leges civiles non puniunt homines, qui pro defenſione rerum ſuarum occidunt.

Reſpondet S. Auguſtinus loco citato; *homines illi lege inculpatâ, quomodò inculpati eſſe queant, non video: non enim lex eos cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate.* Peccant ergo illi, ſi non contra juſtitiam, ſaltem contra charitatem, cujus violationem leges vindicare non ſolent.

Paragraphus IV.

De læſione famæ & honoris.

Q. 1° Est ne obligatio reſtituendi famam à ſe violatam vel imponendo falſum crimen, vel manifeſtando crimen occultum?

R. Eſt obligatio; quia hujuſmodi violatio eſt vera injuria.

Dices: famæ & honoris dominium non habemus, cùm ſint magis in poteſtate honorantis: Ergo propter famæ & honoris violationem non debet fieri reſtitutio.

Nego ant. Quia etſi fama & honor ex aliorum mente & voluntate pendeant, in noſtrâ tamen poteſtate dici poſſunt, quatenùs illa comparamus meritis noſtris, nobiſque debentur. Quare contra jus noſtrum fit, quando immeritò auferuntur.

Inſtabis: qui crimen occultum commiſit, non meretur laudem & honorem: Ergo iſta auferri poſſunt abſque injuriâ.

Diſtinguo conſeq. auferri poſſunt per publicam auctoritatem, Concedo: per auctoritatem privatam, Nego conſequentiam. Quamvis enim homicida aut ſacrilegus non meretur vivere; tamen peccaret contra juſtitiam, qui privatâ auctoritate illum occideret.

Q. 2°. *Eſt-nè reſtituenda fama cum propriæ vitæ periculo?*

R. Si infamatus per infamiam conjectus ſit in vitæ periculum, debet infamans cum ſimili periculo, ſi neceſſe ſit, illi reſtituere; ſecùs, ſi nullum ſit tale periculum in infamato.

Q. 3°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi honoris?*

R. Si per commiſſionem ablatus ſit, v. g. ir-

rogando contumeliam, irridendo, infligendo alapam, eſt obligatio; quia vera injuria illata eſt. Sed ſi per omiſſionem læſus eſt honor, v. g. filius omiſit patrem ſalutare, inferior ſuperiori aſſurgere; nulla eſt reſtitutionis obligatio, ſufficitque quòd ceſſet omiſſio, v. g. filius deinceps ſalutet patrem, inferior aſſurgat ſuperiori; quia hujuſmodi nòn peccarunt contra juſtitiam, ſed contra pietatem & obſervantiam.

Nota tamen omiſſionem honoris poſſe aliquando habere rationem contumeliæ, & ita ad reſtituendum obligare: ut ſi aliis honorantibus Paſtorem prætereuntem, quiſpiam ſine ullo honoris ſigno impudenter aſpiciat.

Q. 4°. *Qui audit detrahentem, tenetur ne ad reſtitutionem?*

R. 1°. Si ad detrahendum inducit, tenetur loco detractoris, quia cooperatus eſt injuriæ.

R. 2°. Tenetur etiam qui audit; cùm ex officio tenetur impedire, ut ſuperior; peccat enim contra juſtitiam.

R. 3°. Qui audit & non tenetur impedire ex officio, non obligatur ad reſtitutionem; non enim peccat contra juſtitiam, ſed ad ſummum contra charitatem.

Q. 5°. *Tenetur ne ad reſtituendum, qui credens crimen eſſe verum & publicum, illud narravit?*

R. 1°. Quandiù perſeverat ignorantia inculpata, non eſt obligatio reſtituendi famam, neque damna ex infamiâ ſecuta; quia ex dictis, ad reſtituendum proximo non tenemur, ſi quid ei detrimenti extrà contractum ſine noſtrâ culpâ illatum ſit.

R. 2°. Cùm poſtea intellexerit non fuiſſe verum aut publicum crimen, tenetur famam reſtituere, non tamen cum gravi ſuo incommodo quia qui damnum intulit, licèt inculpatè te-

netur, quantùm poteſt efficere, ut ceſſet. Sic qui nihil cogitansfaces alienis ædibus intulit, tenetur, cùm advertetit, ignem extinguere.

Dixi, *non tamen cum gravi ſuo incommodo*; quia ex charitate leve damnum ſubire deberet, ut gravis infamia proximi abſtergeretur.

Q. 6°. *Qui publicum crimen narrat, ſi auditor de alio narrari exiſtimat, tenetur-ne innocentis famam reſtituere?*

R. Non tenetur ex juſtitiâ, ſed ex charitate tantùm ſi fieri commodè poteſt; quia non narratio, ſed prava intelligentia auditoris eſt cauſa infamiæ.

Q. 7°. *Hærèdes detractoris tenentur-ne reſtituere?*

R. Tenentur reſtituere pro damnis ex infamiâ ortis, quia talis obligatio cadit in bona infamatoris, quæ hæredes cum hoc onere accipiunt, ſed non tenentur retractare quæ dixit infamator; quia hæc obligatio eſt perſonalis.

Q. 8°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi famam defuncti?*

R. Eſt; quia defunctus adhuc vivit in memoriâ hominum, injuſtèque læditur fama, quam præcedentibus meritis comparavit.

Q. 9°. *Quomodo fama eſt reſtituenda?*

R. Si detractor eam abſtulerit imponendo alteri falſum crimen, debet ſe retractare apud eos qui audierunt ejus calumniam: ſi crimen verum ſed occultum propalavit, non debet mentiri: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; ſed apud rudes reſtituere poteſt, dicendo ſe perperam fuiſſe locutum, nullamque rationem eſſe habendam eorum quæ dixit. Apud peritos verò, qui colligerent ex hujuſmodi explicatione crimen eſſe verum, debet infamator reſtituere laudando eum de quo detraxit, quantùm fieri poteſt ſine mendacio.

Q. 10°. *Tenetur-ne detractor præſtare*

apud eos, quibus ipſe crimen non revelavit?

R. Non tenetur ex juſtitiâ, niſi adverterit, aut advertere debuerit probabile periculum ulterioris infamiæ, cùm infamia ſit fortuita reſpectu illius.

Q. 11°. *Quid ſi famæ violatio penitùs abierit in oblivionem?*

R. Conſultius eſt aliquando ſilere, nempe ſi periculum ſit, ne, cùm infamator famam reſtituere cupit, infamiam refricet apud eos, qui ipſi retractanti vix crediturí ſunt. Attamen, cùm homines datâ occaſione, facilè recordentur eorum, quæ exciderant, infamator eum, de quo detraxit, laudare ſtudebit.

Q. 120. *Excuſat-ne compenſatio à reſtitutione famæ?*

R. 1°. Non poteſt infamatus, v. g. de adulterio, infamantem per modum vindictæ infamare de aliquo crimine; quia non licet malum pro malo reddere.

R. 2°. Eſt contra juſtitiam infamare eum, qui infamiâ affecit. Probatur: quia ſi in hâc hypotheſi accuſaretur quis ab injuſtitiâ, maximè quia compenſatione uteretur: Atqui hæc ratio nulla eſt; etenim qui prior accepit damnum, non reparat illud infamando ſuum damnificatorem: ſicut qui incendit domum illius, qui ſuam anteà incenderat, non reparat damnum quod paſſus eſt, ſed aliud auctoritate ſuâ privatâ infert proximo.

Ceterum qui ſe mutuò infamarunt, ſolent ſibi mutuò condonare; & ita præſumitur in praxi, ſi æqualitas reperiatur in infamiâ.

Paragraphus V.

De furto & rapinâ.

Q. 1°. QUid eſt furtum? R. Eſt uſurpatio occulta rei alienæ invito domino. Res autem illa ſi ſit ſacra, vel in loco ſacro, dicitur ſacrilegium: ſi pertineat ad fiſcum, eſt peculatus; ſi ſit homo liber vel ſervus alienus, eſt plagiatus; ſi ſint animalia, eſt abigeatus.

Q. 2°. *Quis eſt rapina?*

R. Eſt uſurpatio rei alienæ manifeſta: ſi fiat adhibitâ vi; à furto ſpecie diſtinguitur, quia præter injuſtitiam furti, includit quandam ſpeciem contumeliæ; læditur enim honor domini cùm eo ſpectante res ejus aufertur. Unde fieri poteſt, ut quis mortaliter peccet in ratione rapinæ, & venialiter tantùm in ratione furti: ut ſi rem levioris momenti à perſonâ illuſtri per vìm eriperet. Ad rapinam pertinet non ſolvere operariis debitam mercedem: decimas, vectigalia, & juſta tributa fraudare, venalia exercere judicia, fraudare creditores, ad uſuram dare, cogere ad inæqualem contractum ineundum. Porro rapina, quæ fit à viarum obſeſſoribus, dicitur latrocinium: quæ verò à publicis Miniſtris, concuſſio.

Q. 3°. *Quale peccatum eſt furtum aut rapina?*

R. Eſt mortale: *neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*, inquit Apoſtolus, 1. Corinth. 6. Et ratio, quia furtum per ſe oppoſitum eſt charitati, cùm noceat proximo: Atqui omnis culpa, quæ naturâ ſuâ contraria eſt charitati, in quâ conſiſtit vita ſpiritualis animæ, cenſetur naturâ ſuâ mortalis

Monet tamen S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 6. excuſandum à peccato mortali, qui rem levis momenti furtivè accipit; quia vel nullum, vel leve nocumentum infert proximo, niſi habeat animum plura accipiendi.

Q. 40. *Quænam quantitas requiritur, ut furtum cenſeatur peccatum mortale?*

R. Requiritur ea, quæ ſpectatis omnibus circunſtantiis infert damnum grave, privatque notabili utilitate: damnum autem, quod reſpectu unius, putà divitis, leve eſt; reſpectu pauperis cenſeri poterit grave. Unde eadem quantitas in omnibus furtis ſtatui non poteſt pro materiâ peccati mortalis.

Porrò ad æſtimandum damnum, Theologi diſtinguunt quatuor genera perſonarum. Primum illuſtrium, quæ ſplendidè vivunt. Secundum earum, quæ vivunt ex ſuis reditibus, licèt non ita ſplendidè, quales ſunt communes divites. Tertium artificum, qui ſuo ſe ſuſtentant artificio. Quartum pauperum, qui mendicando, ſibi conſulunt.

Communiter ſtatui poteſt ad furtum mortale reſpectu perſonarum primi generis, ſufficere aſſes 50. vel 60. Reſpectu perſonarum ſecundi generis, aſſes 40. Reſpectu perſonarum tertii, ſi ars ſit majoris lucri, qualis eſt mercatorum, aſſes viginti; ſi minoris, aſſes 10. Reſpectu perſonarum poſtremi generis, aſſes quinque.

Dixi, *communiter*; nam poteſt contingere, ut qui ex reditibus ſuis vivit, multò minùs commodè vivat, quàm mercator, ſicque minor ſumma majus illi detrimentum afferat; item fieri poteſt, ut quis manibus ſuis operans ſeptem tantùm aut octo aſſes ſingulis diebus lucretur, quibus ſe aut familiam ſuſtentet, quos qui ei eriperet, non poſſet non cenſeri notabile & ſuf-

homicidæ, & nimis remotè ſe habet ad ejus actionem, ut poſſit cenſeri ejus cauſa; quamobrem multi Theologi cenſent homicidam hîc ad nullam reſtitutionem teneri.

Confirmatur hæc ſententia. Si quis alium bonis ſpoliaſſet per injuſtam litem; propterea que injuriam paſſus deſineret benefacere iis, quibus antea penſiones annuas gratis ſolvebat, non teneretur injuſtus litigator illud damnum reſarcire; quia videtur nimis remotè ſequi ex injuſta litigatione: Ergo à pari.

Q. 4°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi ex occiſione in ſingulari certamine?*

R. 1°. Si unus alterum provocet, & hic involuntariè deſcendat, provocans tenetur reſtituere, ſi occiderit; quia eſt injuſtus aggreſſor.

R. 2°. Si provocatus occidat provocantem, nihil tenetur reſtituere: qui provocans alterum excitat ad ſui occaſionem, ſi fortè ſuperior ſit: Scienti autem & conſentienti non fit injuria.

R. 3°. Si ambo æquè liberè in pugnam conſenſerunt, non eſt obligatio reſtituendi: quia ex pacto implicito, occidendi facultatem dederunt ei qui ſuperaverit.

Q. 5°. *Qui ob defenſionem ſui occidit, aut mutilat; tenetur ne reſtituere?*

R. Si cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit, aut mutilaverit, non tenetur ad reſtitutionem; quia ex dictis nemo tenetur ad reſtitutionem ratione damni illati, niſi injuſtè intulerit. Porrò qui occidit aut mutilat cum moderamine inculpatæ tutelæ, juſtè occidit aut mutilat: Ergo.

Q. 6°. *Fit-ne irregularis qui ſic occidit?*

R. Jure antiquo Clericus ſic occidendo fiebat irregularis. *Clericus*, inquit S. Thomas. 2. 2. qu. 64. art. 7. ad 3. *etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem*

aliquem, *irregularis eſt*, *quamvis non intendat interficere; ſed ſe ipſum defendere.* Sed jure poſteriori in Clementinâ, *de Homicidio*, qui ſic occidit aut mutilat, non eſt irregularis; ſic enim habetur cap. *Si furioſus*: *ſi furioſus*, inquit, *aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet aut occidat, nullam ex hoc incurrit irregularitatem, & id etiam de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, occidit aut mutilat invaſorem.*

Ubi tria communiter notant Theologi. Primum, quòd ibi dicatur, *invaſorem ſuum occidit*, &c. unde multi cum gloſſâ colligunt contra alios, qui pro ſe laudant declarationem Cardinalium, *quòd ſi quis cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit invaſorem patris, fiat irregularis.* Secundum quòd addatur, *vitare non valens*; ex quo concludit eadem gloſſa, *quòd ſi fugæ etiam probroſæ locus eſſet, qui non fugeret, fieret irregularis.* Tertium, quòd ibi fiat reſtrictio ad ſolum periculum mortis aliàs inevitabilis. Ergò qui occidit propter vitandam infamiam, bona fortunæ defendenda, eſt irregularis; quidquid in contrarium afferant nonnulli Theologi.

Confirmatur ex cap. *ſuſcepimus*, *de homicidio*, ubi dicitur: *Quoniam expediebat potiùs poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quàm pro conſervandis vilibus & tranſitoriis rebus tam acriter in alios exardeſcere.* Ad quæ verba ſic habet Gloſſa: *Irregularis factus eſt, qui potiùs debuit dimittere ſua, quàm interficere.*

Dices: ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. c. 7. *de reform. Si homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum & altaris miniſterium, & Beneficia quæcunque ac dignitates jure quodammodò diſpenſatio debeatur, committatur loci ordinario,*

qui . . . *nonniſi cauſâ cognitâ diſpenſare poſſit.*

Reſpondeo varias eſſe ſententias circa Decretum illud Concilii Tridentini. Alii putant Concilium renovare jus antiquum : alii contendunt intelligendum eſſe de eo, qui, ut ſe à morte defenderet, exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ; & ita declaratum fuiſſe in Congregatione Cardinalium deputatorum ad explicanda loca obſcuriora Concilii Tridentini, die primâ Septembris anni 1588. & die 6. Julii anni 1599. Magis ad mentem Concilii videtur hujuſce defenſionis examen eſſe penès Epiſcopum, utrùm ſcilicet in eâ ſervatum fuerit juſtum moderamen, vix enim deſunt rationes dubitandi, nùm aliquis exceſſus contigerit.

Q. 7°. *Qui exceſſit moderamen, tenetur-ne reſtituere?*

R. Tenetur ſecundùm communiorem ſententiam Theologorum, ſi exceſſus ſit mortalis; quia occiſor fuit cauſa moralis totius damni.

Dixi, *ſi exceſſus ſit mortalis*; quia ex dictis culpa venialis excuſat à reſtitutione totius damni.

Dices: qui provocantem ſe ad ſingulare certamen occidit, ad nullam reſtitutionem tenetur: ergo à pari nec qui invaſorem occidit.

Reſpondeo juxta communiorem ſententiam negando conſeq. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quòd qui liberè duello confligunt, eò tendunt, & ex pacto tacito conveniunt, ut quilibet ad occidendum faciat quidquid potuerit. At verò invaſus ex injuſtâ aggreſſione nullum jus habet, niſi ut ſe defendat, quantùm neceſſe eſt ad declinandum periculum. Quare ſi ulteriùs progrediatur, non jam ſe defendit, ſed ulciſcitur, comparanduſque eſt cum eo, cui injuſta lis infertur; hic enim juſtè non poteſt expenſas alias facere, quàm neceſſarias. Unde

ſi confidens æquitati cauſæ ſuæ ſuperfluas evidenter multiplicet, non peteſt illas niſi injuſtè ab alio repetere.

Q. 8°. *Tenetur-ne reſtituere qui non fugit cùm poſſet?*

R. 1°. Certum eſt hujuſmodi peccare contra charitatem, ſecundùm quam quilibet tenetur in caſu neceſſitatis malum proximi avertere. Imò & contra religionem, ſi Clericus fuerit; Eccleſia enim vult ſuos Miniſtros conſervare manus puras à ſanguine alieno, quantùm poſſibile eſt.

R. 2°. Non tenetur reſtituere; quia ex juſtitiâ non tenetur fugere.

Q. 9°. *Licet-ne occidere propter defenſionem famæ vel honoris?*

R. Aſſeruerunt aliqui Theologi recentiores, quorum crudelem doctrinam pluribus propoſitionibus contentam damnarunt uti ſcandaloſam, erroneam, & verbo Dei contrariam, 1°. celebres Academiæ Theologicæ, ut Lovanienſis annis 1653. & 1657. Pariſienſis anno 1665. Deindè ſummi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. Ac demùm Clerus Gallicanus anno 1700. Quare juxta doctrinam Eccleſiæ ad propoſitam quæſtionem

R. Non licet occidere propter defenſionem famæ aut honoris.

Probatur 1°. citatâ auctoritate.

Probatur 2°. ratione: quia fama nihil eſt aliud quàm judicium aliorum de noſtrâ excellentiâ; honor verò eſt teſtimonium, quod alii nobis reddunt, ſe benè de nobis ſentire, quod fit cultu & reverentiâ: Atqui hujuſmodi judicia aut teſtimonia tanta non ſunt, ut pro eis conſervandis aut repetendis proximum occidere liceat: Ergo. Minor probatur auctoritate Scripturæ, 1. ad Cor. 4. *mihi autem pro Minimo eſt*

ut à vobis judicer aut ab humano die : Joan. 5. *quo modò vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem quæritis?* Math. 5. *beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum, adverſus vos mentientes.* Et ratio eſt, quia mundus præſtantiores virtutes, ut charitatem, patientiam, humilitatem, vitio vertit; vitia verò tanquam eximias virtutes extollit. *Quid namque ſtultius videtur mundo*, inquit S. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 16. *quam nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?* Et pro hujuſmodi famâ tuendâ licebit, docente homine Chriſtiano, proximum occidere? Abſit. *Virtutes habenti magna virtus eſt contemnere gloriam*, inquit ſanctus Auguſtinus libro quinto de civitate Dei, Capite decimo nono.

Dices: ſcriptum eſt: *Curam habe de bono nomine*, Eccleſiaſt. 41. Ergo licet occidere ob defenſionem famæ & honoris.

Reſpondeo negando conſeq. 1°. quia nullus è ſanctis Patribus, à quibus Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. vult nos accipere intelligentiam & interpretationem ſcripturæ, ita hunc locum intellexit, quaſi propter boni nominis conſervationem liceat alios occidere. Unde ſequitur, non à Spiritu ſancto afflante, ſed ab excœcante ſuperbiæ ſpiritu profluiſſe recentiorum interpretationem. 2°. Juſti non curant bonum nomen tanquam ſummum bonum, imò nec illud propter ſe appetunt; id enim eſſet vanitas: ſed propter aliud, quod pertinet ad charitatem. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt. 131. art. 1. ad tertium. *Dicendum*, inquit ſanctus Doctor, *quod ad perfectionem hominis pertinet, quòd ipſe cognoſcat; ſed quòd ipſe ab aliis cognoſcatur, non pertinet ad ipſius*

perfectionem, & ideo non eſt per ſe appetendum. Poteſt tamen appeti, in quantum eſt utile ad aliquid, vel ad hoc quòd Deus ab hominibus glorificetur, vel ad hoc quòd homines proficiant ex bono, quod in aliis cognoſcunt.

Dices 2°. Axioma eſt, honorem ſeu famam eſſe quid vitâ præſtantius: Ergo cùm liceat occidere propter vitæ, multo magis propter famæ defenſionem.

Reſpondeo illud axioma non reperiri in ullâ authenticâ ſcripturâ, non in Canonibus Eccleſiæ; non in ſcriptis ſanctorum Patrum; ſed in ore mundanorum, qui non in cœlo, ſed in ore laudantium quærunt etiam poſt mortem vivere.

Q. 10°. *Licet-ne pro defenſione pudicitiæ occidere qui eam violare tentat?*

R. Aſſerunt recentiores non pauci: negat ſanctus Auguſtinus, lib. 1°. *de lib. arb.* cap. 5. *De Pudicitiâ verò*, inquit, *quis dubitaverit, quòd ea ſit in ipſo animo conſtituta, quando quidem virtus eſt? Unde à violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. Quidquid igitur erepturus erat ille, qui occiditur; id totum in poteſtate noſtra eſt. Quare admodùm noſtrum appellandum non ſit non intelligo. quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto ipſos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Sententiæ ſancti Auguſtini ſubſcribant etiam hodiè Doctores & Prælati celeberrimi.

Q. 11°: *Licet-ne occidere furem in defenſionem bonorum fortunæ?*

R. Multi ex recentioribus id auſi ſunt aſſerere, ſed eorum auctoritas nullius eſt momenti; cùm ſit damnata illorum doctrina ab Innocentio XI. tanquam ſcandaloſa, & à Clero Gallicano anno 1700. tanquam legi Dei, & ordini charitatis, contraria. Enimverò ordo charitatis

poſtulat, ut vitam proximi propriis rebus præferamus. *Expediebat potiùs poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quàm pro conſervandis rebus vilibus & tranſitoriis, tam acriter in alios exardeſcere*, inquit Alexander III. cap. *Suſcepimus*. Et S. Auguſtinus cit. cap. 5. lib. 1. *de lib. arbit. Quomodo*, inquit, *ſunt peccato liberi, qui pro eis rebus quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?*

Objiciunt recentiores 1°. cap. 22. Exodi, ubi legitur, *quòd ſi effringens fur domum, & accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor non erit reus ſanguinis*. 2°. Bellum juſtè infertur propter bona fortunæ repetenda uſque ad multorum internecionem. 3°. Si prædones eſſent certi Chriſtianis prohibitam eſſe juſtam ſui defenſionem, evaderent audaciores.

Reſpondeo ad ſingula.

Ad locum Exodi: agitur de fure nocturno; qui præſumitur non tantùm res, ſed & vitam velle auferre; nam Deus ſtatim ſubdit, *quòd ſi orto Sole id fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur*. Ex quibus poſterioribus verbis patet Scripturam prohibere, ne quis occidat pro defenſione rerum ſuarum.

Ad ſecundum reſpondet S. Auguſtinus, militem in hoſte interficiendo, Miniſtrum eſſe legis, nec occidere auctoritate privatâ, ſed publicâ; Principes enim gladium portant ad vindictam malefactorum. Unde ſicut licitè interficiunt ex ſubditis eos, qui res alienas abſtulerunt, ita pariter juſtè bella inferunt hoſtibus, qui aliena injuſtè retinent, nec volunt aliter reſtituere.

Ad tertium reſponderi poteſt, legem etiam charitatis non prohibere, quin privati res ſuas poſſint defendere etiam armis, ſi neceſſe ſit; ſed cavere debent, quantùm poſſunt, ne inde

lædatur invaſor. Quod ſi præter intentionem vulneretur, læſio illa imputanda non eſt res ſuas defendenti; ſed ei, qui temerè periculo ſe commiſit. *Abſit*, inquit S. Auguſtinus, epiſt. 154. ad Publicolam, *ut ea quæ propter bonum aut licitum facinus habemus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam malè acciderit, nobis imputetur; alioqui nec ferramenta domeſtica, nec agreſtia ſunt habenda, ne quis eis vel ſe, vel alium interimat; nec murus circumducendus eſt poſſeſſioni noſtræ; ne aliquis ex ipſius ruinis percuſſus intereat.*

Inſtabis; S. Auguſtinus cit. cap. 5. lib. 1. *de lib. arbit.* etiam improbat, quòd quis ob defenſionem propriæ vitæ alium interimat: Ergo exceſſus eſt in illius verbis, ac proinde nihil concludi poteſt ex ejus auctoritate contra communiorem ſententiam.

Reſpondeo, S. Auguſtinum non probare quidem, quòd quis directè intendat occidere ob defenſionem ſui; ſed excuſat eum, qui præter intentionem occidit, dum ſtudet neceſſariæ ſui ipſius defenſioni.

Inſtabis iterùm; leges civiles non puniunt homines, qui pro defenſione rerum ſuarum occidunt.

Reſpondet S. Auguſtinus loco citato; *homines illi lege inculpatâ, quomodò inculpati eſſe queant, non video: non enim lex eos cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate.* Peccant ergo illi, ſi non contra juſtitiam, ſaltem contra charitatem, cujus violationem leges vindicare non ſolent.

Paragraphus IV.

De læſione famæ & honoris.

Q. 1°. *E*ſt ne obligatio reſtituendi famam à ſe violatam vel imponendo falſum crimen, vel manifeſtando crimen occultum?*

R. Eſt obligatio; quia hujuſmodi violatio eſt vera injuria.

Dices: famæ & honoris dominium non habemus, cùm ſint magis in poteſtate honorantis: Ergo propter famæ & honoris violationem non debet fieri reſtitutio.

Nego ant. Quia etſi fama & honor ex aliorum mente & voluntate pendeant, in noſtrâ tamen poteſtate dici poſſunt, quatenùs illa comparamus meritis noſtris, nobiſque debentur. Quare contra jus noſtrum fit, quando immeritò auferuntur.

Inſtabis: qui crimen occultum commiſit, non meretur laudem & honorem: Ergo iſta auferri poſſunt abſque injuriâ..

Diſtinguo conſeq. auferri poſſunt per publicam auctoritatem, Concedo: per auctoritatem privatam, Nego conſequentiam. Quamvis enim homicida aut ſacrilegus non mereatur vivere; tamen peccaret contra juſtitiam, qui privatâ auctoritate illum occideret.

Q. 2°. *Eſt-nè reſtituenda fama cum propriæ vitæ periculo?*

R. Si infamatus per infamiam conjectus ſit in vitæ periculum, debet infamans cum ſimili periculo, ſi neceſſe ſit, illi reſtituere; ſecùs, ſi nullum ſit tale periculum in infamato.

Q. 3°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi honoris?*

R. Si per commiſſionem ablatus ſit, v. g. ir-

rogando contumeliam, irridendo, infligendo alapam, eſt obligatio; quia vera injuria illata eſt. Sed ſi per omiſſionem læſus eſt honor, v. g. filius omiſit patrem ſalutare, inferior ſuperiori aſſurgere; nulla eſt reſtitutionis obligatio, ſufficitque quòd ceſſet omiſſio, v. g. filius deinceps ſalutet patrem, inferior aſſurgat ſuperiori; quia hujuſmodi nòn peccarunt contra juſtitiam, ſed contra pietatem & obſervantiam.

Nota tamen omiſſionem honoris poſſe aliquando habere rationem contumeliæ, & ita ad reſtituendum obligare: ut ſi aliis honorantibus Paſtorem prætereuntem, quiſpiam ſine ullo honoris ſigno impudenter aſpiciat.

Q. 4°. *Qui audit detrahentem, tenetur-ne ad reſtitutionem?*

R. 1°. Si ad detrahendum inducit, tenetur loco detractoris, quia cooperatus eſt injuriæ.

R. 2°. Tenetur etiam qui audit; cùm ex officio tenetur impedire, ut ſuperior; peccat enim contra juſtitiam.

R. 3°. Qui audit & non tenetur impedire ex officio, non obligatur ad reſtitutionem; non enim peccat contra juſtitiam, ſed ad ſummum contra charitatem.

Q. 5°. *Tenetur-ne ad reſtituendum, qui credens crimen eſſe verum & publicum, illud narravit?*

R. 1°. Quandiù perſeverat ignorantia inculpata, non eſt obligatio reſtituendi famam, neque damna ex infamiâ ſecuta; quia ex dictis, ad reſtituendum proximo non tenemur, ſi quid ei detrimenti extrà contractum ſine noſtrâ culpâ illatum ſit.

R. 2°. Cùm poſtea intellexerit non fuiſſe verum aut publicum crimen, tenetur famam reſtituere, non tamen cum gravi ſuo incommodo quia qui damnum intulit, licèt inculpatè te-

netur, quantùm poteſt efficere, ut ceſſet. Sic qui nihil cogitans faces alienis ædibus intulit, tenetur, cùm adverterit, ignem extinguere.

Dixi, *non tamen cum gravi ſuo incommodo*; quia ex charitate leve damnum ſubire deberet, ut gravis infamia proximi abſtergeretur.

Q. 6°. *Qui publicum crimen narrat, ſi auditor de alio narrari exiſtimat, tenetur-ne innocentis famam reſtituere?*

R. Non tenetur ex juſtitiâ, ſed ex charitate tantùm ſi fieri commodè poteſt; quia non narratio, ſed prava intelligentia auditoris eſt cauſa infamiæ.

Q. 7°. *Hæredes detractoris tenentur-ne reſtituere?*

R. Tenentur reſtituere pro damnis ex infamiâ ortis, quia talis obligatio cadit in bona infamatoris, quæ hæredes cum hoc onere accipiunt, ſed non tenentur retractare quæ dixit infamator; quia hæc obligatio eſt perſonalis.

Q. 8°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi famam defuncti?*

R. Eſt; quia defunctus adhuc vivit in memoriâ hominum, injuſtèque læditur fama, quam præcedentibus meritis comparavit.

Q. 9°. *Quomodo fama eſt reſtituenda?*

R. Si detractor eam abſtulerit imponendo alteri falſum crimen, debet ſe retractare apud eos qui audierunt ejus calumniam: ſi crimen verum ſed occultum propalavit, non debet mentiri: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; ſed apud rudes reſtituere poteſt, dicendo ſe perperam fuiſſe locutum, nullamque rationem eſſe habendam eorum quæ dixit. Apud peritos verò, qui colligerent ex hujuſmodi explicatione crimen eſſe verum, debet infamator reſtituere laudando eum de quo detraxit, quantùm fieri poteſt ſine mendacio.

Q. 10°. *Tenetur-ne detractor præſtare*

apud eos, quibus ipſe crimen non revelavit?

R. Non tenetur ex juſtitiâ, niſi adverterit, aut advertere debuerit probabile periculum ulterioris infamiæ, cùm infamia ſit fortuita reſpectu illius.

Q. 11°. *Quid ſi famæ violatio penitùs abierit in oblivionem?*

R. Conſultius eſt aliquando ſilere, nempe ſi periculum ſit, ne, cùm infamator famam reſtituere cupit, infamiam refricet apud eos, qui ipſi retractanti vix credituri ſunt. Attamen, cùm homines datâ occaſione, facilè recordentur eorum, quæ exciderant, infamator eum, de quo detraxit, laudare ſtudebit.

Q. 12°. *Excuſat-ne compenſatio à reſtitutione famæ?*

R. 1°. Non poteſt infamatus, v. g. de adulterio, infamantem per modum vindictæ infamare de aliquo crimine; quia non licet malum pro malo reddere.

R. 2°. Eſt contra juſtitiam infamare eum, qui infamiâ affecit. Probatur: quia ſi in hâc hypotheſi accuſaretur quis ab injuſtitiâ, maximè quia compenſatione uteretur: Atqui hæc ratio nulla eſt; etenim qui prior accepit damnum, non reparat illud infamando ſuum damnificatorem: ſicut qui incendit domum illius, qui ſuam anteà incenderat, non reparat damnum quod paſſus eſt, ſed aliud auctoritate ſuâ privatâ infert proximo.

Ceterum qui ſe mutuò infamarunt, ſolent ſibi mutuò condonare; & ita præſumitur in praxi, ſi æqualitas reperiatur in infamiâ.

Paragraphus V.

De furto & rapinâ.

Q. 1°. Quid eſt furtum?

R. Eſt uſurpatio occulta rei alienæ invito domino. Res autem illa ſi ſit ſacra, vel in loco ſacro, dicitur ſacrilegium: ſi pertineat ad fiſcum, eſt peculatus: ſi ſit homo liber vel ſervus alienus, eſt plagiatus; ſi ſint animalia, eſt abigeatus.

Q. 2°. *Quis eſt rapina?*

R. Eſt uſurpatio rei alienæ manifeſta: ſi fiat adhibitâ vi; à furto ſpecie diſtinguitur, quia præter injuſtitiam furti, includit quandam ſpeciem contumeliæ; læditur enim honor domini cùm eo ſpectante res ejus aufertur. Unde fieri poteſt, ut quis mortaliter peccet in ratione rapinæ, & venialiter tantùm in ratione furti: ut ſi rem levioris momenti à perſonâ illuſtri per vìm eriperet. Ad rapinam pertinet non ſolvere operariis debitam mercedem: decimas, vectigalia, & juſta tributa fraudare, venalia exercere judicia, fraudare creditores, ad uſuram dare, cogere ad inæqualem contractum ineundum. Porro rapina, quæ fit à viarum obſeſſoribus, dicitur latrocinium: quæ verò à publicis Miniſtris, concuſſio.

Q. 3°. *Quale peccatum eſt furtum aut rapina?*

R. Eſt mortale: *neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*, inquit Apoſtolus, 1. Corinth. 6. Et ratio, quia furtum per ſe oppoſitum eſt charitati, cùm noceat proximo: Atqui omnis culpa, quæ naturâ ſuâ contraria eſt charitati, in quâ conſiſtit vita ſpiritualis animæ, cenſetur naturâ ſuâ mortalis

Monet tamen S. Thomas 2. 2. q. *66.* art. *6.* excuſandum à peccato mortali, qui rem levis momenti furtivè accipit; quia vel nullum, vel leve nocumentum infert proximo, niſi habeat animum plura accipiendi.

Q. 40. *Quænam quantitas requiritur, ut furtum cenſeatur peccatum mortale?*

R. Requiritur ea, quæ ſpectatis omnibus circunſtantiis infert damnum grave, privatque notabili utilitate: damnum autem, quod reſpectu unius, putà divitis, leve eſt; reſpectu pauperis cenſeri poterit grave. Unde eadem quantitas in omnibus furtis ſtatui non poteſt pro materiâ peccati mortalis.

Porrò ad æſtimandum damnum, Theologi diſtinguunt quatuor genera perſonarum. Primum illuſtrium, quæ ſplendidè vivunt. Secundum earum, quæ vivunt ex ſuis reditibus, licèt non ita ſplendidè, quales ſunt communes divites. Tertium artificum, qui ſuo ſe ſuſtentant artificio. Quartum pauperum, qui mendicando ſibi conſulunt.

Communiter ſtatui poteſt ad furtum mortale reſpectu perſonarum primi generis, ſufficere aſſes 50. vel 60. Reſpectu perſonarum ſecundi generis, aſſes 40. Reſpectu perſonarum tertii, ſi ars ſit majoris lucri, qualis eſt mercatorum, aſſes viginti; ſi minoris, aſſes 10. Reſpectu perſonarum poſtremi generis, aſſes quinque.

Dixi, *communiter*; nam poteſt contingere, ut qui ex reditibus ſuis vivit, multò minùs commodè vivat, quàm mercator, ſicque minor ſumma majus illi detrimentum afferat; item fieri poteſt, ut quis manibus ſuis operans ſeptem tantùm aut octo aſſes ſingulis diebus lucretur, quibus ſe aut familiam ſuſtentet, quos qui ei eriperet, non poſſet non cenſeri notabile & ſuf-

ficiens ad peccatum mortale ei detrimentum afferre.

Q. 5°. *Peccat-ne mortaliter, qui ab uno vel pluribus leves ſummas furatur, quæ ſimul juncta faciunt quantitatem notabilem?*

R. 1°. Peccat mortaliter, etiam ſingulis vicibus, ſi ab initio voluntatem habuit per plura minima furta notabilem quantitatem auferendi: aut res ſuas ita paulatim notabiliter augendi; quia aufert rem parvam cum intentione auferendi magnam. Hinc Deus deteſtatur eos, qui injuſtis menſuris vendunt, Prov. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum*, Deuteron. 25. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus.... Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & averſatur omnem injuſtitiam.*

R. 2°. Qui etiamſi non habuerit intentionem aliquid notabile accipiendi, paulatim tamen notabilem quantitatem accipit, peccat mortaliter, non quocunque actu, ſed eo demum, & in omnibus ſequentibus, in quibus habet notabilem ſummam.

Probatur 1°. auctoritate Academiæ Lovanienſis anno 1653. & Pariſienſis anno 1665. Innocentii XI. anno 1679. ac poſtremò Cleri Gallicani anno 1700. qui damnarunt hanc propoſitionem, *non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta; quantumcunque ſit magna ſumma totalis.* 2°. Quia minima furta collecta grave damnum inferunt, vel privato, ſi illum ſolum læſerint, vel Reipublicæ, ſi in plures fuerint commiſſa. Unde hujuſmodi fures à Magiſtratu ſeverè puniuntur: quod gravem arguit culpam. Addi etiam poteſt, quòd ſi liceret abſque peccato mortali uni mercatori minima corradere à pluribus, id etiam liceret ſingulis mercatoribus, ſicque ſpoliaretur tota

Communitas abſque peccato mortali, quod eſt abſurdiſſimum.

Nec dicas multa peccata venialia non poſſe coaleſcere in unum mortale; non enim ex multis venialibus per minuta furta fit unum mortale; ſed ex pluribus levibus ſummis fit una notabilis, quæ retineri non poteſt contra voluntatem domini, abſque peccato mortali. Hæc autem quantitas major eſſe debet ad peccatum mortale, ſi paulatim accepta ſit, quàm ſi ſemel; quia dominus nec tam invitus, nec tantùm damnum patitur, quàm ſi ſimul illa quantitas erepta eſſet.

Advertes, requiri ad peccatum mortale, ut minuta furta continuentur mortaliter; propterea excuſandus eſt à mortali, qui numerando quot racemos in totâ vitâ ſuâ excerpſerit e vineis alienis, deprehenderet ſe notabilem quantitatem abſtuliſſe; quantùm verò temporis requiratur, ut minuta furta cenſeantur non conjungi mortaliter, definiri non poteſt. In dubio ſentiendum eſt conjungi, & furem eſſe reum peccati mortalis.

Q. 6°. *Si quis compleat materiam ſufficientem ad peccatum mortale, furando ab eo, à quo novit alios jam modica furatos, fit-ne reus peccati mortalis?*

R. Peccat mortaliter, ſi communi conſilio furta illa minima committantur, quia eſt cauſa gravis damni: ſecùs, ſi ſine communi conſilio, quia non cooperatur ad damnum ab aliis illatum.

Q. 7°. *Neceſſitas gravis excuſat-ne à furto?*

R. Minimè. Ita S. Thomas 2. 2. q. 6. art. 7. ubi docet ſolam neceſſitatem extremam excuſare.

Probatur 1°. ex cap. *Si quis*, tit. *de furtis*, ubi habetur: *Si quis per neceſſitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtes, vel pecus, pœniteat per tres hebdomadas.* 2°. Quia ſola extrema

neceſſitas facit omnia communia. 3°. Quia contraria ſententia viam aperit furtis, eſtque omninò Reipublicæ perniciosa. Ita declararunt Academiæ Lovanienſis anno 1657. & Pariſienſis anno 1665. Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700.

Q. 8°. *Excuſatur-ne à furto qui rem ſuam ſibi propriâ auctoritate vindicat?*

R. 1°. Excuſatur, ſi certum & liquidum ſit debitum; quia alienum non rapit, niſi alter rem illam juſto titulo, putà commmodati, retineret.

Dixi, *ſi certum & liquidum ſit debitum;* nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

R. 2°. Peccat contra juſtitiam legalem, ſi auctoritate publicâ rem ſuam poſſit obtinere. Ita S. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 5. ad tertium. Et S. Antoninus 2. part. tit. 15. paragr. 1. quia violat juris ordinem, facitque contra jus ſuperioris. Non tenetur tamen reſtituere; quia non retinet alienum.

R. 3°. Si habeat in manibus aliquid pertinens ad debitorem, certum eſt non peccare retinendo æquivalens debito, ſi non poſſit auctoritate judicis rem ſuam obtinere.

Tota difficultas eſt, utrùm liceat ad juſtam compenſationem ſpoliare debitorem propriâ auctoritate, quando aliter non poteſt obtineri ſolutio. S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. id negare videtur; ibi enim docet Hebræos peccaturos fuiſſe, ſi ſuâ ſponte ſpoliaſſent Ægyptios ſibi debitores pro duris & injuſtis laboribus.

Communior tamen ſententia eſt, licitum eſſe concurrentibus quibuſdam circunſtantiis & conditionibus, colligiturque ex capite finali, *Bona fides*, extra *de depoſito*, ubi ſic legitur: *licet*

compenſatio admittatur in aliis contractibus, ſi cauſa ex quâ poſtuletur, liquida ſit. Et ratio eſt, quia neque detrimentum affertur debitori, cùm teneatur ex juſtitiâ id quod aufertur, vel equivalens reſtituere; neque Judici, cùm ſupponatur vel nolle, vel non poſſe rem vero domino adjudicare. Et hanc ſententiam expreſsè docet S. Antoninus loco citato in primâ reſponſione.

Conditiones autem ſunt 1ª. ut creditor non poſſit rem ſuam per Judicem obtinere, aliàs fieret injuria ei, peccareturque contra ordinem à jure conſtitutum, juxta legem unicam cod. *Ne quid in ſuâ causâ.* 2ª. ut debitum ſit certum: nam ſi eſſet dubium, non liceret quidquam auferre; in dubio enim melior eſt conditio poſſidentis. Similiter ſi res eſſet tantùm debita ex gratitudine, non ex juſtitiâ. 3ª. ut curetur ne is à quo ablatum eſt debitum, iterùm reſtituat, aut ejus heredes; quod fiet, ſi dicas nihil tibi deberi, aut alium convenientem modum adhibeas. 4ª. ut non ſit ſcandalum: ne tanquam fur puniaris, vel habearis. Verùm, cùm hæ conditiones difficilè concurrant (vix enim abeſt periculum ſcandali aut infamiæ) rarò admodum datur locus compenſationi occultæ, nec puto Paſtorem aut Confeſſarium eam poſſe unquam conſulere: quale enim ſcandalum ſi deprehenſus, qui compenſatione occultâ uſus eſt, proptereaque pœnâ capitali damnandus, confiteretur coram Judice ſe ad eam motum fuiſſe conſilio Paſtoris?

Quare in praxi hæc obſervabit Confeſſarius 1º. Nunquam ſuadebit compenſationem occultam propter periculum ſcandali. 2º. Petenti an ſit licita, reſpondebit Theologos communiter affirmare in recenſitis circunſtantiis; ſed periculoſiſſimum eſſe, ideòque ſe eam non poſſe con-

ſulere. 3°. Si pœnitens propriâ auctoritate eâ uſus ſit, examinabit an occurerint ſupradictæ conditiones, an bonâ fide id fecerit; in quâ hypotheſi eum peccati non arguet, ſed monebit periculi, cui ſe expoſuit.

Q. 9°. *Famuli, Sartores, & alii artifices poſſuntne abſque injuſtitiâ retinere aut ſurripere de bonis eorum pro quibus operantur, hâc ratione ducti, quòd merces, pro quâ pepigerant, non reſpondeat eorum operibus?*

R. Minimè, contrariamque doctrinam damnarunt Innocentius XI. Clerus Gallicanus, Academiæ Pariſienſis & Lovanienſis, annis prædictis; & ratio eſt, quia cùm pretium ſive mercium, ſive operarum habeat quandam latitudinem, nec conſiſtat in indiviſibili, juſtum duntaxat illud cenſetur de quo inter partes ex æquo & bono convenit per contractum qui habet vim eas obligandi, ut dicetur infra, ubi de contractibus. Quòd ſi læſio manifeſta appareat, pars læſa ad ſuperiorem recurrere poterit, ut reſcindatur contractus; ſed judicio ejus relinqui non poteſt, an, & quanta competat ei compenſatio: aliàs nemo res ſuas tutò ſervaret; cùm ferè nullus ſit, qui non pluris æſtimet operas ſuas quàm alii, qui non putet vel vendidiſſe viliori pretio, vel emiſſe chariori; ſicque inutiles redderentur omnes contractus.

Nec dicas omnes noſſe à Sartoribus communiter retineri fragmenta pannorum, in idque conſentire, cùm propterea minus pretium ſolvant pro eorum labore; nam communis querimonia contra Sartores contrarium evincit.

Q. 10°. *Qui rem emit à fure, tenetur-ne eam reſtituere domino comparenti?*

R. 1°. Si malâ fide emit, tenetur eam reſtituere, & ratione rei acceptæ, & ratione injuſtæ

acceptionis; debetque ſuæ malitiæ imputare, quòd pretium datum furi amittat.

R. Si emptor ſit bonæ fidei, tenetur etiam reſtituere quod emit bonâ fide, nec poteſt repetere pretium. Probatur tum ex regulâ undecimâ *de regulis juris* in Sexto: *id quod noſtrum eſt, ſine pacto noſtro ad alium transferri non poteſt:* tum ex lege, *incivilem*, Cod. *de furtis*, cujus hæc ſunt verba: *incivilem rem deſideratis, ut agnitas res furtivas non priùs reddatis, quàm pretium fuerit ſolutum à dominis. Curate igitur cautiùs negotiari, ne non tantùm in damna ejuſmodi, ſed etiam in criminis ſuſpicionem incidatis.* Et ratio eſt, quia fur de re alienâ non poteſt diſponere, & transferre ejus dominium in emptorem: Ergo emptor eam utpote alienam retinere non poteſt, damnúmque, quod inde patitur, fortuito caſui imputare debet, quemadmodùm qui nummum adulterinum accepit. Hinc ſtatutum juſtum non videtur, quo res furtiva in foro publico bonâ fide empta, ita fit emptoris, ut vero domino paulò poſt comparenti eam reſtituere non teneatur.

Dico, *paulo poſt comparenti;* nam ſi compareat tempore elapſo ad præſcriptionem requiſito, res eſſet emptoris, non vi emptionis, ſed præſcriptionis.

Negandum tamen non eſt, quin dominus rei à fure emptæ debeat emptori reddere levem ſummam quam dedit furi alio tranſmigranti, ut rem illam vero domino conſervaret; quia in hâc hypotheſi domino conſuluit.

Q. 11°. *Poteſt-ne emptor bonæ fidei rem emptam reddere furi; ut ab eo pecuniam ſuam recipiat?*

R. Poteſt, modò id ſtatim fiat, ut ſi mox numeratâ pecuniâ animadvertat rem eſſe furtivam, & ejus poſſeſſionem inire nolit. Licet enim cuilibet ſibi magis conſulere quàm al-

teri, ſic v. g. qui invenit rem alienam, poteſt eam relinquere, metuens ne ſibi periculoſa ſit. Sed ſicut inventor rei alienæ, quam domum aſportavit, & apud ſe retinuit, ſi veritus poſtea, ne furti arguatur, eam reponat in loco, à quo abſtulit, perituram vero domino, quem jam novit, contra juſtitiam peccat: ſimiliter ſi quis bonâ fide rem furtivam emit, & aliquandiu apud ſe repoſitam habuit, non poteſt cum damno alterius eam furi reddere, ut ſolutum pretium recipiat; quia injuſtum eſt bonis alienis propriæ noſtræ incolumitati conſulere. Ita Dominicus Soto l. 4. q. 7. a. 2. Joannes Major in 4. diſt. 15. q. 26. Joannes Medina cod. de rebus reſtit. q. 10. Covarruvias ad regulam, *peccatum*, p. 3. Cajetanus & Sylvius hîc.

Confirmatur. In omnium ſententiâ emptor bonæ fidei ubi rem furtivam agnovit comparente vero domino, & fur evaſit, non poteſt eam alteri vendere, ut ſe ſervet indemnem: Ergo nec furi reddere, ſi ab eo dominus rem ſuam repetere non poſſit.

Q. 12°. *Quid, ſi dominus compareat poſtquam emptor bonæ fidei rem à fure emptam alteri vendidit?*

R. Debet primus emptor reſcindere contractum, pecuniam ſecundo emptori reſtituere & rem ipſam furtivam reddere domino. Ratio eſt, quia venditor tenetur de emptione ſervare emptorem indemnem; quod non poteſt, niſi reſcindendo contractum, recipiat rem vitioſam quam malè vendidit.

Q. 13°. *Sed ſi ſecundus emptor cum re furtivâ non compareat?*

R. Primus emptor non debet reſtituere domino rei furto ablatæ, niſi id quo factus eſt ditior, ut ſi rem ejus majori pretio vendidiſſet, quàm emiſſet. Ratio patet ex dictis, quia bonâ fid

& abſque omni culpa rem alienam conſumpſit.

Q. 14°. *Quid, ſi fur rem vili pretio vendidit, quam dominus erat venditurus ſummo?*

R. Tenetur fur ſummum pretium reſtituere; quia eſt cauſa tanti damni: in dubio an dominus eſſet ita venditurus, favendum eſt domino; quia in dubio melior eſt conditio innocentis.

TERTIA PARS,

De Contractibus.

CAPUT I.

De Definitione Contractûs.

Q. 1°. Q*Uid eſt Contractus ?*

R. Definitur Contractus, *Perfectus actus externus inter duos vel plures, ex eorum conſenſu ultrò citròque obligationem pariens.* Ergo tria eſſentialiter ad contractum requiruntur, ſcilicet ſignum externum, conſenſus ad minimum duorum, & vis obligandi. Unde non eſſet contractus, ſi alter contrahentium ſe obligare non intenderet. Excipe tamen contractus imperfectos, ut donatio & promiſſio, in quibus ſolus donans aut promittens ſe obligat.

Q. 2°. *Quid eſt obligatio ?*

R. Eſt vinculum quo aſtrigimur ad aliquid dandum aut faciendum, vel etiam non faciendum.

Q. 3°. *Quotuplex eſt obligatio ?*

R. Triplex. Prima naturalis tantùm, quæ obligat in conſcientiâ, quamvis in foro externo non det actionem. Secunda civilis tantùm, quæ dat actionem in foro externo ob aliquam præ-

ſumptionem, quamvis in conſcientiâ non obliget. Tertia naturalis ſimul & civilis, quæ obligat in foro conſcientiæ & ſimul in foro externo, datque actionem. Et hanc poſtremam obligationem parit contractus perfectus.

Q. 4°. *Contractus poteſt-ne jure poſitivo irritari, ita ut obligationem neque civilem, neque naturalem pariat?*

R. Poteſt; ſicut enim homines poſſunt privatis contractibus aliquas conditiones apponere, ita ut illis ſubſiſtentibus validi ſint, non ſubſiſtentibus ſint invalidi; ita multò magis poterit Princeps hujuſmodi conditiones apponere, quibus non ſervatis, contractus ſit irritus, vel irritari poſſit. Hinc jure poſitivo matrimonium clandeſtinum nullam parit matrimonii obligationem.

Q. 5. *Quoties contractus fit contra aliquam legem poſitivam, cenſetur-ne ſemper irritus vel invalidus?*

R. Minimè; multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent. Quare ſi prohibeatur contractus tantummodo propter circunſtantiam loci, vel temporis, putà ne matrimonium celebretur tempore Quadrageſimali, vel propter circunſtantiam perſonæ, ratione cujus negotiatio prohibita eſt Clericis: illicitè quidem, ſed non invalidè iis in caſibus contrahitur.

Q. 6°. *Quomodò cognoſci poteſt contractum eſſe invalidum ex eo quòd factus ſit contra legem?*

R. Colligitur 1°. ex verbis ipſius legis, ut ſi expreſsè pronuntiet contractum eſſe nullum, ex eo non poſſe debitum peti ſive in judicio, ſive extra judicium: ſi obliget eum ad reſtituendum, qui ex tali contractu quidpiam accepit. 2°. Si poſito quòd conſtaret legiſlatori nullam in contractu eſſe fraudem, v. g. in matrimonio clandeſtino; nihilominus contractus haberetur nullus.

Sequitur ex iſtâ reſponſione duplicem ſolemnitatem præſcriptam eſſe pro contractibus ineundis. Alia eſt ſubſtantialis, ſine quâ contractus eſt nullus; ut matrimonium contractum ſine præſentiâ Parochi, duorumque teſtium. Alia accidentalis, quâ omiſsâ contractus eſt quidem illicitus, nihilominus tamen valet; ut ſi quis contrahat matrimonium non præmiſsâ denuntiatione: vel aliquo caſtitatis voto ſimplici aſtrictus.

Dices: Lex quæ nititur in præſumptione fraudis non obligat, quando veritas eſt in oppoſitum: At lex civilis irritos eſſe jubens contractus minùs ſolemnes nititur in præſumptione fraudis: Ergo quando non eſt fraus, non obligat; ac proinde contractus valet ſaltem in conſcientiâ.

Nego minorem: Lex enim requirit certam ſolemnitatem, non ſolùm propter fraudem quæ reverá aliquando non eſt; ſed etiam propter periculum fraudis, quod ſemper reperitur. Unde heres conſtitutus in teſtamento minùs ſolemni, quamvis conſtet de voluntate teſtatoris, non eſt tutus in conſcientiâ retinendo hereditatem; quia nullum juſtum titulum habet eam retinendi; cùm teſtamentum ſit nullum, quidquid in contrarium dicant Molina & Leſſius.

Q. 70. *Juramentum accedens contractui invalido confirmat-ne illum, adeó ut pariat obligationem?*

R. 1°. Juramentum, ſive confirmet contractum ſive non, toties ſervari debet, quoties ſervari poteſt abſque peccato & præjudicio alterius; quia nunquam licet pejerare ſeu adducere Deum in teſtimonium falſitatis. Ita cap. *ſi verò*, & cap. *cùm contingat*, tit. *de jurejurando*.

Dixi, *quoties ſervari poteſt abſque peccato*: quia Juramentum non eſt vinculum iniquitatis, ut ait

ait Innocentius III. cap. *quanto tit. de jurejurando*, nec poteſt cogere quemquam ad injuſtè aut malè agendum. Hinc qui juravit uſuras ſoluturum, tenetur eas ſolvere, quia illa ſolutio fieri poteſt ſine peccato à mutuatario. Quod expreſſè definitur cap. *debitores*, cit. tit. Ita tamen ut poſt earum ſolutionem uſurarii cogendi ſint auctoritate publicâ eaſdem reſtituere, ut infrà dicetur.

R. 2°. Juramentum non firmat contractum, quando contractus eſt initus contra bonum commune. Ita declaratur cap. *ſicut noſtris*, tit. *de foro competenti*; & ratio eſt, quia juramentum ex mox dictis, non obligat quando tendit in præjudicium tertii; non enim eſt vinculum rei iniquæ. Porro juramentum illud præjudicat bono communi: Ergo contra bonum commune non poteſt obligare privatum, qui illud emiſit. Hinc Clericus non poteſt etiam cum juramento renuntiare privilegio fori, ut ſcilicet apud Judicem laïcum non conveniatur; cùm hoc privilegium ſit conceſſum ſpecialiter Ordini & ſtatui Clericorum, ex cap. *ſi diligenti*, eodem tit.

R. 3°. Contractus firmatur juramento, ſi ſit celebratus principaliter propter utilitatem privatam, modò aliqua turpitudo non inveniatur in eo, in cujus favorem præſtatur.

Dixi, *modò aliqua turpitudo non inveniatur in eo, in cujus favorem præſtatur*; quia ſi juramento firmaretur, in illâ hypotheſi ſequeretur eum, in cujus favorem præſtatur juramentum, acquirere aliquod jus per hujuſmodi contractum: ſed non poteſt acquirere ullum jus ad actionem turpem & ſibi illicitam: ergo hujuſmodi contractus non firmatur juramento. Hinc qui per vim aut dolum extorſit contractum, non firmat illum per juramentum, quod exigit

ab altero contrahente; quia licitè non poteſt recipere id pro quo contractum iniit. Sic mutuum datum cum pacto ſolvendi uſuras, non firmatur juramento, quia mutuans non poteſt licitè uſuras recipere. Unde in utroque caſu contractus reſcindi jubent cap. *debitores*, & cap. *verùm*, eodem tit.

Ex his colliges 1°. juramentum, quando confirmat contractum, duas parere obligationes, alteram erga Deum, quâ jurans curare debet, ne Deus adductus ſit in teſtem falſi: alteram erga hominem, in cujus favorem præſtitum eſt juramentum, quia talis acquiſivit jus erga jurantem, ob validitatem contractus. Quando verò juramentum non firmat contractum; oritur obligatio erga Deum, ſtandumque eſt promiſſis ſolùm ratione juramenti. Ita S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7.

Colliges 2°. Si juramentum non confirmet contractum, ejus obligationem non tranſmitti ad hæredes; quia juramentum eſt vinculum perſonale, quod jurans ſibi imponit: vinculum autem perſonale non tranſmittitur ad hæredes. Ita ſanctus Thomas 2. 2. q. 98. a. 2. Sed ſi juramentum firmet contractum, cùm ejus obligatio ſit realis, tranſmittitur ad hæredes; hi enim tenentur adimplere contractus quos defunctus validè celebravit. Unde hæres non tenetur ſolvere uſuras, quas defunctus juravit ſe ſoluturum; tale enim juramentum cùm non firmaverit pactum, non inducit obligationem realem, ſed ſolùm perſonalem.

Colliges 3°. non poſſe abſolutè obtineri relaxationem juramenti, quando confirmavit contractum; quia juramentum relaxari non poteſt in præjudicium tertii. Porrò jus tertio acquiſitum eſt per contractum validum: causâ tamen

læſionis relaxari ſolet juramentum ab Epiſcopo ſecundùm quid, nempè ad effectum agendi in judicio, ut reſcindatur contractus ob læſionem.

Q. 8°. *Licet-ne jurare cum intentione petendi diſpenſationem?*

R. Si juramentum eſt licitum tàm ex parte jurantis, quàm ex parte ejus cui fit promiſſio, non eſt petenda diſpenſatio; quia non eſt cauſa juſta ejus concedendæ, perjuruſque eſſet, qui juraret ſine intentione adimplendi quod promittit. Unde in hoc caſu nequidem ſummus Pontifex poteſt diſpenſare à juramento, cùm jus divinum, & naturale dictent ſervandum eſſe juramentum, ſi nulla obſtet ratio. Ita S. Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 6. paragr. 1. Sed ſi juramentum ſit injuſtè exortum, ita ut illicitè recipiat is, cui promiſſio facta eſt; poterit jurans à juramento abſolvi, ut habetur cap. *Verùm*, de jurejurando. *Verùm in eâ quæſtione, quæ 5°. loco ponitur, an à Sacramenti vinculo abſolvantur, qui illud inviti pro vitâ & rebus ſervandis fecerunt, nihil aliud arbitramur, quàm quod anteceſſores etiam Romani Pontifices arbitrati fuiſſe noſcuntur, qui tales à juramenti nexibus abſolverunt.*

Addit S. Thomas, licitum eſſe petere relaxationem juramenti, etiamſi quis juraſſet ſe eam non petiturum. *In juramento*, inquit 2. 2. qu. 89. art. 7. ad tertium, *quod quis coactus facit, poteſt quis repetere in judicio quod ſolvit, vel Prælato denuntiare, non obſtante quòd contrarium juravit: quia tale juramentum verteret in deteriorem exitum: eſſet enim contra juſtitiam publicam.* Et ratio eſt, quia tale juramentum emiſſum eſt contra præceptum Evangelii, quo quilibet tenetur Eccleſiæ denuntiare eum, qui præmonitus non vult à peccato ceſſare. *Poteſt ille qui juravit ſolvere uſuras*, inquit Innocentius IV. cap. *ad aures*;

de his quæ vi metûſve cauſâ; & cap. *tuos*, *de* uſuris, *denuntiare creditorem ad pœnitentiam*, *& ſi juraſſet ſe non denuntiaturum*; *non debet ſervare*: *quia eſt contra regulam Evangelii*: *ſi peccaverit in te*, &c.

Q. 9°. *Quomodo poteſt diſpenſari circa juramentum, cùm obligatio juramenti ſit juris naturalis & divini?*

R. Quia juramentum promiſſorium, de quo ſolo poteſt obtineri diſpenſatio, eo modo obligat, quo promiſſio, in cujus confirmationem emiſſum eſt. Unde ſi is, in cujus favorem juraſti, remittat tibi fidem datam, velitque te minimè teneri promiſſione, remittit conſequenter ipſam obligationem juramenti, quo ei adſtrictus es: imò manente promiſſione, poteſt remittere juramenti obligationem, ita ut nolit te teneri vinculo juramenti, ſed ſolâ fide ſibi datâ. Porro quod poteſt facere privatus, poteſt quoque ejus ſuperior; nempè pronuntiando iniquam eſſe promiſſionis executionem contrariam bono publico, atque eatenus prohibere ſubdito, ne eam impleat; quo fit ut promiſſarius, ſeu is, cui promiſſio facta eſt cum juramento, non poſſit exigere juramenti impletionem, cùm jam facta ſit illicita. Quare in omni juramento promiſſorio ſemper ſubintelligitur aliqua conditio, nimirùm, ſi velit is, cui promittitur, vel niſi ſuperior, cui materia juramenti ſubeſt, contradicat.

Confirmatur reſponſio ex capite 3°. Numerorum, ubi Deus ipſe recenſet nonnullos caſus, in quibus juramenta irritari poſſunt, ita ut, qui ea emiſit, non teneatur adimplere promiſſionem, quam juramento firmavit.

CAPUT II.

De conſenſu requiſito ad validitatem contractûs.

R. 1°. QUænam poſſunt impedire conſenſum in contractu requiſitum?

R. Duo, nempe error ſive dolus, & metus.

Q. 2°. *Quotuplex error ſeu dolus eſt hîc diſtinguendus?*

R. Duplex, alius eſt circa ſubſtantiam, ut ſi intendens emere aurum, emas auricalcum: alius circa accidentia, nempe cùm ignoratur aliquis defectus in accidentibus, ut ſi equus ſit debilis, cùm putetur validus.

Q. 3°. *Quotuplex eſt error ſeu dolus circa accidentia?*

R. Duplex, primus dat cauſam contractui, v. g. ſi cognoſceres equum eſſe debilem, non eum emeres. Secundus dicitur incidens in contractum, ut ſi contraheres, ſed viliori pretio, etiamſi defectum agnoſceres.

Q. 4°. *Contractus eſt-ne validus, quando eſt error ſive dolus circà ſubſtantiam?*

R. Minimè, quia talis error omnimodò tollit voluntarium & conſenſum. Unde ſi menſa argento cooperta pro ſolidâ vendita ſit, venditio eſt nulla; quia verè menſa non eſt ex ſolido argento. Secùs, ſi menſa eſſet partim argentea, partim ſtannea; quia error eſſet tantùm in quantitate, non verò in ſubſtantiâ; cùm menſa verè eſſet argentea. Ita declaratur lege civili paragraph. *de contrahendâ emptione.*

Dices: leg. 2. *in fine*, paragr. *de pignoratitiâ actione*, habetur quod ſi detur æs pro auro error non vitiet.

Reſpondeo, ibi agi de eo, qui pro auro æs in pignus accipit: in quâ hypotheſi ſtatuitur talem habere jus ad retinendum illud pignus; quia cum meliùs ſit illi habere pignus minùs pretioſum, quàm nullum omninò habere, cenſetur conſenſiſſe indeterminatè in aliquod pignus.

Q. 5°. *Dolus incidens irritat-ne contractum?*

Minimè, etiamſi contingat ab altero è contrahentibus: ita ſtatuunt leges. Et ratio eſt, quia tunc eſt conſenſus utriuſque partis in id, de quo contrahitur; quamvis enim parti deceptæ cognitus fuiſſet dolus, non deſiiſſet contrahere: ergo dolus incidens, contractum non irritat, neque ſufficit ad eum reſcindendum. Eſt tamen advertendum deceptorem debere pro exceſſu reſtituere; quia perſona decepta voluntaria non eſt reſpectu talis exceſſûs, ſed injuriam patitur: imò & tenetur deceptor damna pati, quæ dolum ſequuntur, ut ſi majus ideo tributum ſolutum ſit; quia res empta eſt cariùs quàm debuiſſet.

Q. 6°. *Dolus dans cauſam contractui, irritat ne contractum?*

R. Minimè; quamvis ſit ab altero è contrahentibus: poteſt tamen contractus reſcindi pro voluntate partis deceptæ, ſi diſſolubilis ſit contractus. Ita habetur Inſtitutis paragr. 1. *De Exceptionibus.*

Prima pars probatur; quia dolus dans cauſam contractui, non impedit quin contractus voluntarius ſit: Ergo contractum non irritat.

Conſequentia patet; quia eatenus ſolùm contractus irritus eſſe poteſt, quatenùs, ſuppoſito dolo dante cauſam contractui, foret involuntarius.

Antecedens oſtenditur, tùm quia eſt cognitio

rei, de quâ contrahitur, & conſenſus in eam; tùm quia dolus dans cauſam contractui, non tollit voluntarium in Matrimonio, nec in Ordinatione; ſive reſpectu ordinantis, qui ſi ſciviſſet ordinati defectus, non eum ordinaſſet; ſive in ordinato qui perſpectis obligationibus Sacerdotis, non conſenſiſſet in ſui ordinationem. Diſtinguendum enim eſt inter hæc duo: *Nollem contrahere*, & *nolo contrahere*, poſterius tollit conſenſum, non prius, aliàs vix ullus contractus validus foret; quia ferè ſemper occurrunt aliquæ circunſtantiæ, quas ſi quis prævidiſſet, non contraxiſſet.

Secunda pars probatur, quia æquitas poſtulat ut decipiens cedat de jure, quod doloſè contrahendo acquiſivit, reddat emptorem liberum ac indemnem, eumque reſtituat in eum ſtatum, in quo erat antequam contraheret.

Si ergo deceptus paſſus eſt damnum ex dolo decipientis, debet decipiens non ſolùm reſcindere contractum, ſi deceptus id exigat, ſed etiam damna inde ſecuta reparare. Quod ſi deceptus velit ſtare contractui, ſicut ei liberum eſt, tenetur decipiens reddere exceſſum pretii, quod accepit pro merce vitioſâ, quam tanquam ſanam & integram vendidit.

Q. 7°. *Quid, ſi error dans cauſam contractui contigit, vel à parte deceptâ, vel à tertiâ perſonâ, vel ab altero contrahente, ſed ſine ejus culpâ?*

R. Valet contractus propter rationem ſuprà allatam, nec reſcindendus eſt ſaltem in foro conſcientiæ; nec reſarciendum damnum; quia non fuit injuſtè illatum, ſed refundendus eſt exceſſus pretii, ut reponatur æqualitas.

Advertes, quæ dicta ſunt non eſſe extendenda ad contractus gratuitos, qualis eſt promiſſio, quæ reſcindi poteſt, ſi adveniat mutatio

notabilis, aut error fuerit circa notabilem quantitatem. Et ratio eſt, quia promiſſio pendet ab unius voluntate, qui poteſt contractui apponere, quam voluerit conditionem: omnis autem qui gratuitò promittit, intelligitur nolle ſe obligare, ſi notabilis ſit mutatio. At contractus reciproci pendent à duorum voluntate, qui ſic invicem obligari volunt, ut niſi ſit error circà ſubſtantiam rei, vel ab altero contrahentium proveniat dolus dans cauſam contractui, contractum mutare non poſſint; aliàs nulla foret contractuum ſecuritas, pateretque via innumeris litibus; quia facilè diceret alter contrahentium ſe fuiſſe deceptum.

Q. 8°. *Contractus per metum initus, eſt-ne validus?*

R. 1°. Jure naturali contractus initus ex metu quantumcunque gravi, modò uſum rationis non pervertat, validus eſt; quia metus, etiam gravis neque voluntarium, neque liberum perimit.

R. Jure poſitivo, contractus ex metu gravi & injuſto initi irritari poſſunt; ſed actu & de facto non ſunt irriti, quibuſdam tamen exceptis. Probatur ex lege ultima cod. *De his quæ vi*, ubi habetur, *venditiones, tranſactiones, donationes, quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari;* quod ſupponit hujuſmodi contractus, antè ſententiam Judicis eſſe validos. Unde gloſſa in cap. *Abbas; de his quæ vi*, docet generaliter, quæ ex metu fiunt valere niſi jus ſpeciatim irritet.

Dixi 1°. *ex metu gravi:* tùm quia ex reg. 114. de reg. Juris in 6°. *vani timoris juſta excuſatio non eſt:* tùm quia levis non præſumitur dediſſe cauſam contractui.

Dixi 2°. *& injuſto;* nam ſi fuerit juſtè incuſ-

ſus ; contractus irritandus non eſt ex lege *Si mulier*, paragr. *De eo quod metûs causâ*. Quare ſi quis ex juſtâ ſententiâ Judicis cogatur matrimonium contrahere, valet matrimonium : item ſi filia in matrimonium conſentiat ex metu, ne incurrat indignationem patris id expetentis, ſed non minitantis, validus eſt etiam jure poſitivo ejus conſenſus ; tùm quia levis metus ille cenſetur ; tùm quia non eſt injuſtè incuſſus : pater enim nullam ei injuriam fecit proponendo tale matrimonium.

Dixi 3°. *Quibuſdam contractibus exceptis* ; etenim ſunt ipſo jure irriti contractus ſequentes, ſi ex metu gravi & injuſto fiant. 1°. Matrimonium, cap. *Requiſiti, de ſponſalibus*, quod communiter extenditur ad ipſa ſponſalia. 2°. Profeſſio Religionis, cap. *Perlatum, de his quæ vi*. 3°. Contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ, lege *Si mulier*, paragr. *ſi dos*, Digeſt. *de eo quod metûs causâ*. 4°. Promiſſio vel traditio rerum ad Eccleſiam pertinentium, cap. *Pervenit*, de jurejurando. 5°. Auctoritas tutoris per metum extorta leg. 1. paragr. ultimo, Dig. de *auctoritate tutorum*. 6°. Si juriſdictio ſit ex metu prorogata, lege 2. *de judiciis* : quæ gloſſa in caput *Abbas, de his quæ vi*, ſequentibus verſibus complectitur.

Tutor, judicium, dos, ſacrum, copula, votum,
Hæc ex vi facta, de jure ſcias fore nulla ;
Cætera jus patitur, ſed poſtea reſtituentur.

Ex dictis collige eum, qui metu injuſto ad contrahendum impulit teneri non ſolùm contractum reſcindere, ſi id poſtulet, qui injuriam paſſus eſt, ſed etiam damna indè ſecuta reparare, cùm eorum cauſa fuerit.

K v

CAPUT III.

Quinam contrahere poſſunt?

R. OMnes qui habent adminiſtrationem bonorum, ſi jure non impediantur; quia bonorum adminiſtratio præſertim conſiſtit in poteſtate contrahendi.

Dixi 1°. *qui habent adminiſtrationem;* nam qui eâ carent, ut amentes, prodigi, contrahere non poſſunt.

Dixi 2°. *ſi jure non prohibeantur;* tutor enim, v. g. etiamſi habeat adminiſtrationem, non poteſt contrahere cum pupillo, lege, *Pupillus*, Digeſt. *de auctoritate & conſenſu tutorum.*

Sed circa filios-familias conſtitutos ſub paternâ poteſtate, pupillos & minores, ſpeciales moventur difficultates, & quidem diverſæ, ſecundùm diverſas eorum ætates quibus antequam ſatisfiat,

Nota 1°. paternam poteſtatem definiri jus, ſecundùm quod legitimi filii ac filiæ, aliique deſcendentes per lineam maſculinam, quoad certos effectùs ſubjiciuntur patri & avo paterno. Quare ſi Petri filius legitimus, & non emancipatus, filios & filias legitimè procreaverit; omnes erunt in poteſtate Petri.

Nota 2°. Filios-familias vel eſſe puberes, vel impuberes. Pubertas autem contingit in maſculis anno 14. completo, in feminis anno 12. completo.

Nota 3°. impuberes poſſe conſiderari, vel ut infantes; hoc eſt intra ſeptennium, quo finitur infantia; vel ut infantiæ, aut pubertati proximos. Infantiæ proximi dicuntur, qui exce-

dunt ſeptennium. Pubertati verò proximi habentur ſi mares ſint à decimo cum dimidio: ſi verò feminæ, à nono cum dimidio uſque ad pubertatem.

Nota 4°. hoc diſcrimen eſſe inter pupillum & minorem, quod minor dicatur ab anno pubertatis, ad annum ætatis 25. niſi jure municipali abbrevietur hæc ætas: pupillus verò, qui nondum pervenit ad pubertatem. Tutor impuberi etiam invito dandus eſt lege 2. Digeſt. *de tutelis*. Definitur autem tutela, vis ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem ſe defendere nequit, jure civili data & permiſſa. Ex quo patet, tutorem præcipuè dari ad perſonam pupilli tuendam; ſecundariò ad bona ejus adminiſtranda. Quòd ſi teſtamento nullus tutor ſit aſſignatus, conſanguinei ad tutelam cogi poſſunt: quia onus comitatur emolumentum. Clerici tamen, quia non decet eos ſæcularibus curis implicari, ad ſuſcipiendam tutelam cogi non debent, præterquàm perſonarum miſerabilium, ſi aliæ perſonæ idoneæ non reperiantur, cap. finali, diſt. 88. Poſſunt tamen, ſi velint, tanquam proximi cognati, ſuſcipere tutelam, capite finali, diſt. 86. Porro tutela finitur adveniente pubertate. Sed puberibus, ſive mares ſint, ſive feminæ, datur curator uſque ad ætatis annum vigeſimum quintum. His præſuppoſitis

R. 1°. Filius-familias qui puber eſt aut pubertati proximus, poteſt ſe obligare tùm naturaliter, tùm civiliter, modò contractus non ſit in præjudicium patris vel alterius, ex lege, *Filius-familias*, Digeſt. *de actionibus & obligationibus*. Poteſt ergo filiusfamilias, 1°. alteri locare ſuas operas; cùm patri eas non debeat, niſi pater operâ filii indigeat, aut filius ab eo alimenta

percipiat; quia ex lege penultimâ, Digeſt *de obſequiis, pietatem liberi parentibus, non operas debent.* 2°. Aliò proficiſci; nec ſine rationabili cauſâ pater impedire poteſt, quin filius addiſcat aliquam artem, aut ſtudiis det operam 3°. Poteſt diſponere de Beneficiis & bonis Eccleſiaſticis; ſunt enim bona quaſi caſtrenſia, Cod. *de Epiſcopis & Clericis.* Idem dicendum de minore & pupillo pubertati proximo: ſi tamen læſus ſit, uti poterit beneficio reſtitutionis in integrum.

R. 2°. Filius-familias, qui pubertati proximus non eſt, non obligatur ex contractu etiam circa bona caſtrenſia, etiamſi accedat patris conſenſus. Ex Inſtit. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragraph. *ſed quòd.*

Dices: Pupillus etiam impubes, cum conſenſu tutoris, obligatur non ſolùm naturaliter; ſed etiam civiliter: Ergo & filius-familias cum conſenſu patris.

Nego conſequent. Ratio diſparitatis eſt, quia pupillus tutorem ſibi habet obligatum, ſi malè auctoritatem præſtet, non verò filius patrem.

R. 3°. Pupilli infantes vel infantiæ proximi non poſſunt contrahere, ſaltem in ſuum incommodum; quia vel rationis uſum non habent, vel comparantur rationem non habentibus. Digeſt. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragr. *ſed quòd.*

Dixi, *ſaltem in ſuum incommodum*; nam ex citato parag. contrahere poſſunt in ſuum commodum, ſicut & pupilli pubertati proximi.

R. 4°. Minores & pupilli proximi pubertati contrahere poſſunt in ſuum commodum, etiam ſine auctoritate tutorum, non tamen in ſuum incommodum, ex titul. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragr. *pupillus.* Hinc licet venditor pupillum, qui ſine tutoris conſenſu emit invitum,

compellere non poſſit ad ſolvendum pretium; ipſe tamen pupillus, ſi velit ſtare contractui, cogere poteſt venditorem ad tradendas ſibi merces conſtituto pretio. Poterit tamen venditor compellere pupillum ad reddendas merces, quæ ſi abſque dolo conſumptæ ſunt; in foro externo pupillus cogitur ſolùm ſolvere, id quo ditior factus eſt.

Dixi 1°. *ſi abſque dolo;* nam ſi dolo pupilli merces conſumptæ ſint, datur contra eum actio civilis, lege primâ, Digeſt. *de depoſito*, parag. *an etiam pupillum*: dolus autem non præſumitur in pupillo infantiæ proximo.

Dixi 2. *in foro externo;* nam obligatio naturalis oritur ex conſenſu, cujus pupillus & minor ſunt capaces; ex Inſtit. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragr. *pupillus*. Et ex lege prima Digeſt. *de Novationibus*, ubi pupillus dicitur naturaliter obligari; etiam ſine auctoritate tutoris.

R. 5°. Res immobiles aut etiam mobiles, quæ ſervando ſervari poſſunt, à pupillis & minoribus, etiam cum tutoris auctoritate, alienari non poſſunt, niſi de licentia judicis, ex cauſa legitima, v. g. æris alieni ſolvendi, aut alimentorum adminiſtrandorum; ſecùs de mobilibus; quæ ſervando ſervari non poſſunt, quæ validè cum auctoritate tutoris & non aliter alienari poſſunt: ex lege, *Quæ*, Cod. *de adminiſtratione tutorum.* Quòd ſi minor curatorem non habeat, poteſt res mobiles, quæ ſervari non poſſunt, per ſe alienare, quamvis, ſi læſus ſit, petere poſſit reſtitutionem in integrum.

ſulere. 3°. Si pœnitens propriâ auctoritate eâ uſus ſit, examinabit an occurerint ſupradictæ conditiones, an bonâ fide id fecerit; in quâ hypotheſi eum peccati non arguet, ſed monebit periculi, cui ſe expoſuit.

Q 9°. *Famuli, Sartores, & alii artifices poſſuntne abſque injuſtitiâ retinere aut ſurripere de bonis eorum pro quibus operantur, hâc ratione ducti, quòd merces, pro quâ pepigerant, non reſpondeat eorum operibus?*

R. Minimè, contrariamque doctrinam damnarunt Innocentius XI. Clerus Gallicanus, Academiæ Pariſienſis & Lovanienſis, annis prædictis; & ratio eſt, quia cùm pretium ſive mercium, ſive operarum habeat quandam latitudinem, nec conſiſtat in indiviſibili, juſtum duntaxat illud cenſetur de quo inter partes ex æquo & bono convenit per contractum qui habet vim eas obligandi, ut dicetur infra, ubi de contractibus. Quòd ſi læſio manifeſta appareat, pars læſa ad ſuperiorem recurrere poterit, ut reſcindatur contractus; ſed judicio ejus relinqui non poteſt, an, & quanta competat ei compenſatio: aliàs nemo res ſuas tutò ſervaret; cùm ferè nullus ſit, qui non pluris æſtimet operas ſuas quàm alii, qui non putet vel vendidiſſe viliori pretio, vel emiſſe chariori; ſicque inutiles redderentur omnes contractus.

Nec dicas omnes noſſe à Sartoribus communiter retineri fragmenta pannorum, in idque conſentire, cùm proptereà minus pretium ſolvant pro eorum labore; nam communis querimonia contra Sartores contrarium evincit.

Q. 10°. *Qui rem emit à fure, tenetur-ne eam reſtituere domino comparenti?*

R. 1°. Si malâ fide emit, tenetur eam reſtituere, & ratione rei acceptæ, & ratione injuſtæ

acceptionis; debetque ſuæ malitiæ imputare, quòd pretium datum furi amittat.

R. Si emptor ſit bonæ fidei, tenetur etiam reſtituere quod emit bonâ fide, nec poteſt repetere pretium. Probatur tum ex regulâ undecimâ *de regulis juris* in Sexto: *id quod noſtrum eſt, ſine pacto noſtro ad alium transferri non poteſt:* tum ex lege, *incivilem*, Cod. *de furtis*, cujus hæc ſunt verba: *incivilem rem deſideratis, ut agnitas res furtivas non priùs reddatis, quàm pretium fuerit ſolutum à dominis. Curate igitur cautiùs negotiari, ne non tantùm in damna ejuſmodi, ſed etiam in criminis ſuſpicionem incidatis.* Et ratio eſt, quia fur de re alienâ non poteſt diſponere, & transferre ejus dominium in emptorem: Ergo emptor eam utpote alienam retinere non poteſt, damnúmque, quod inde patitur, fortuito caſui imputare debet, quemadmodùm qui nummum adulterinum accepit. Hinc ſtatutum juſtum non videtur, quo res furtiva in foro publico bonâ fide empta, ita fit emptoris, ut vero domino paulò poſt comparenti eam reſtituere non teneatur.

Dico, *paulo poſt comparenti;* nam ſi compareat tempore elapſo ad præſcriptionem requiſito, res eſſet emptoris, non vi emptionis, ſed præſcriptionis.

Negandum tamen non eſt, quin dominus rei à fure emptæ debeat emptori reddere levem ſummam quam dedit furi alio tranſmigranti, ut rem illam vero domino conſervaret; quia in hâc hypotheſi domino conſuluit.

Q. 11°. *Poteſt-ne emptor bonæ fidei rem emptam reddere furi; ut ab eo pecuniam ſuam recipiat?*

R. Poteſt, modò id ſtatim fiat, ut ſi mox numeratâ pecuniâ animadvertat rem eſſe furtivam, & ejus poſſeſſionem inire nolit. Licet enim cuilibet ſibi magis conſulere quàm al-

teri, ſic v. g. qui invenit rem alienam, poteſt eam relinquere, metuens ne ſibi periculoſa ſit. Sed ſicut inventor rei alienæ, quam domum aſportavit, & apud ſe retinuit, ſi veritus poſtea, ne furti arguatur, eam reponat in loco, à quo abſtulit, perituram vero domino, quem jam novit, contra juſtitiam peccat: ſimiliter ſi quis bonâ fide rem furtivam emit, & aliquandiu apud ſe repoſitam habuit, non poteſt cum damno alterius eam furi reddere, ut ſolutum pretium recipiat; quia injuſtum eſt bonis alienis propriæ noſtræ incolumitati conſulere. Ita Dominicus Soto l. 4. q. 7. a. 2. Joannes Major in 4. diſt. 15. q. 26. Joannes Medina cod. de rebus reſtit. q. 10. Covarruvias ad regulam, *peccatum*, p. 3. Cajetanus & Sylvius hîc.

Confirmatur. In omnium ſententiâ emptor bonæ fidei ubi rem furtivam agnovit comparente vero domino, & fur evaſit, non poteſt eam alteri vendere, ut ſe ſervet indemnem: Ergo nec furi reddere, ſi ab eo dominus rem ſuam repetere non poſſit.

Q. 12°. *Quid, ſi dominus compareat poſtquam emptor bonæ fidei rem à fure emptam alteri vendidit?*

R. Debet primus emptor reſcindere contractum, pecuniam ſecundo emptori reſtituere & rem ipſam furtivam reddere domino. Ratio eſt, quia venditor tenetur de emptione ſervare emptorem indemnem; quod non poteſt, niſi reſcindendo contractum, recipiat rem vitioſam quam malè vendidit.

Q. 13°. *Sed ſi ſecundus emptor cum re furtivâ non compareat?*

R. Primus emptor non debet reſtituere domino rei furto ablatæ, niſi id quo factus eſt ditior, ut ſi rem ejus majori pretio vendidiſſet, quàm emiſſet. Ratio patet ex dictis, quia bonâ fid

& abſque omni culpa rem alienam conſumpſit.

Q. 14°. *Quid, ſi fur rem vili pretio vendidit, quam dominus erat venditurus ſummo?*

R. Tenetur fur ſummum pretium reſtituere; quia eſt cauſa tanti damni: in dubio an dominus eſſet ita venditurus, favendum eſt domino; quia in dubio melior eſt conditio innocentis.

TERTIA PARS,

De Contractibus.

CAPUT I.

De Definitione Contractûs.

Q. 1°. *Quid eſt Contractus ?*

R. Definitur Contractus, *Perfectus actus externus inter duos vel plures, ex eorum conſenſu ultrò citròque obligationem pariens.* Ergo tria eſſentialiter ad contractum requiruntur, ſcilicet ſignum externum, conſenſus ad minimum duorum, & vis obligandi. Unde non eſſet contractus, ſi alter contrahentium ſe obligare non intenderet. Excipe tamen contractus imperfectos, ut donatio & promiſſio, in quibus ſolus donans aut promittens ſe obligat.

Q. 2°. *Quid eſt obligatio ?*

R. Eſt vinculum quo aſtrigimur ad aliquid dandum aut faciendum, vel etiam non faciendum.

Q. 3°. *Quotuplex eſt obligatio ?*

R. Triplex. Prima naturalis tantùm, quæ obligat in conſcientiâ, quamvis in foro externo non det actionem. Secunda civilis tantùm, quæ dat actionem in foro externo ob aliquam præ-

ſumptionem, quamvis in conſcientiâ non obliget. Tertia naturalis ſimul & civilis, quæ obligat in foro conſcientiæ & ſimul in foro externo, datque actionem. Et hanc poſtremam obligationem parit contractus perfectus.

Q. 4°. *Contractus poteſt-ne jure poſitivo irritari, ita ut obligationem neque civilem, neque naturalem pariat?*

R. Poteſt; ſicut enim homines poſſunt privatis contractibus aliquas conditiones apponere, ita ut illis ſubſiſtentibus validi ſint, non ſubſiſtentibus ſint invalidi; ita multò magis poterit Princeps hujuſmodi conditiones apponere, quibus non ſervatis, contractus ſit irritus, vel irritari poſſit. Hinc jure poſitivo matrimonium clandeſtinum nullam parit matrimonii obligationem.

Q. 5. *Quoties contractus fit contra aliquam legem poſitivam, cenſetur-ne ſemper irritus vel invalidus?*

R. Minimè; multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent. Quare ſi prohibeatur contractus tantummodo propter circunſtantiam loci, vel temporis, putà ne matrimonium celebretur tempore Quadrageſimali, vel propter circunſtantiam perſonæ, ratione cujus negotiatio prohibita eſt Clericis: illicitè quidem, ſed non invalidè iis in caſibus contrahitur.

Q. 6°. *Quomodò cognoſci poteſt contractum eſſe invalidum ex eo quòd factus ſit contra legem?*

R. Colligitur 1°. ex verbis ipſius legis, ut ſi expreſsè pronuntiet contractum eſſe nullum, ex eo non poſſe debitum peti ſive in judicio, ſive extra judicium: ſi obliget eum ad reſtituendum, qui ex tali contractu quidpiam accepit. 2°. Si poſito quòd conſtaret legiſlatori nullam in contractu eſſe fraudem, v. g. in matrimonio clandeſtino; nihilominus contractus haberetur nullus.

Sequitur ex iſtâ reſponſione duplicem ſolemnitatem præſcriptam eſſe pro contractibus ineundis. Alia eſt ſubſtantialis, ſine quâ contractus eſt nullus; ut matrimonium contractum ſine præſentiâ Parochi, duorumque teſtium. Alia accidentalis, quâ omiſsâ contractus eſt quidem illicitus, nihilominus tamen valet; ut ſi quis contrahat matrimonium non præmiſsâ denuntiatione: vel aliquo caſtitatis voto ſimplici aſtrictus.

Dices: Lex quæ nititur in præſumptione fraudis non obligat, quando veritas eſt in oppoſitum: At lex civilis irritos eſſe jubens contractus minùs ſolemnes nititur in præſumptione fraudis: Ergo quando non eſt fraus, non obligat; ac proinde contractus valet ſaltem in conſcientiâ.

Nego minorem: Lex enim requirit certam ſolemnitatem, non ſolùm propter fraudem quæ reverá aliquando non eſt; ſed etiam propter periculum fraudis, quod ſemper reperitur. Unde heres conſtitutus in teſtamento minùs ſolemni, quamvis conſtet de voluntate teſtatoris, non eſt tutus in conſcientiâ retinendo hereditatem; quia nullum juſtum titulum habet eam retinendi; cùm teſtamentum ſit nullum, quidquid in contrarium dicant Molina & Leſſius.

Q. 70. *Juramentum accedens contractui invalidè confirmat-ne illum, adeò ut pariat obligationem?*

R. 1°. Juramentum, ſive confirmet contractum ſive non, toties ſervari debet, quoties ſervari poteſt abſque peccato & præjudicio alterius; quia nunquam licet pejerare ſeu adducere Deum in teſtimonium falſitatis. Ita cap. *ſi verò*, & cap. *cùm contingat*, tit. *de jurejurando.*

Dixi, *quoties ſervari poteſt abſque peccato*: quia Juramentum non eſt vinculum iniquitatis, ut ait

ait Innocentius III. cap. *quanto tit. de jurejurando*, nec poteſt cogere quemquam ad injuſtè aut malè agendum. Hinc qui juravit uſuras ſoluturum, tenetur eas ſolvere, quia illa ſolutio fieri poteſt ſine peccato à mutuatario. Quod expreſſè definitur cap. *debitores*, cit. tit. Ita tamen ut poſt earum ſolutionem uſurarii cogendi ſint auctoritate publicâ eaſdem reſtituere, ut infrà dicetur.

R. 2°. Juramentum non firmat contractum, quando contractus eſt initus contra bonum commune. Ita declaratur cap. *ſicut noſtris*, tit. *de foro competenti*; & ratio eſt, quia juramentum ex mox dictis, non obligat quando tendit in præjudicium tertii; non enim eſt vinculum rei iniquæ. Porro juramentum illud præjudicat bono communi: Ergo contra bonum commune non poteſt obligare privatum, qui illud emiſit. Hinc Clericus non poteſt etiam cum juramento renuntiare privilegio fori, ut ſcilicet apud Judicem laïcum non conveniatur; cùm hoc privilegium ſit conceſſum ſpecialiter Ordini & ſtatui Clericorum, ex cap. *ſi diligenti*, eodem tit.

R. 3°. Contractus firmatur juramento, ſi ſit celebratus principaliter propter utilitatem privatam, modò aliqua turpitudo non inveniatur in eo, in cujus favorem præſtatur.

Dixi, *modò aliqua turpitudo non inveniatur in eo, in cujus favorem præſtatur*; quia ſi juramento firmaretur, in illâ hypotheſi ſequeretur eum, in cujus favorem præſtatur juramentum, acquirere aliquod jus per hujuſmodi contractum: ſed non poteſt acquirere ullum jus ad actionem turpem & ſibi illicitam: ergo hujuſmodi contractus non firmatur juramento. Hinc qui per vim aut dolum extorſit contractum, non firmat illum per juramentum, quod exigit

ab altero contrahente; quia licitè non poteſt recipere id pro quo contractum iniit. Sic mutuum datum cum pacto ſolvendi uſuras, non firmatur juramento, quia mutuans non poteſt licitè uſuras recipere. Unde in utroque caſu contractus reſcindi jubent cap. *debitores*, & cap. *verùm*, eodem tit.

Ex his colliges 1°. juramentum, quando confirmat contractum, duas parere obligationes, alteram erga Deum, quâ jurans curare debet, ne Deus adductus ſit in teſtem falſi: alteram erga hominem, in cujus favorem præſtitum eſt juramentum, quia talis acquiſivit jus erga jurantem, ob validitatem contractus. Quando verò juramentum non firmat contractum; oritur obligatio erga Deum, ſtandumque eſt promiſſis ſolùm ratione juramenti. Ita S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7.

Colliges 2°. Si juramentum non confirmet contractum, ejus obligationem non tranſmitti ad hæredes; quia juramentum eſt vinculum perſonale, quod jurans ſibi imponit: vinculum autem perſonale non tranſmittitur ad hæredes. Ita ſanctus Thomas 2. 2. q. 98. a. 2. Sed ſi juramentum firmet contractum, cùm ejus obligatio ſit realis, tranſmittitur ad hæredes; hi enim tenentur adimplere contractus quos defunctus validè celebravit. Unde hæres non tenetur ſolvere uſuras, quas defunctus juravit ſe ſoluturum; tale enim juramentum cùm non firmaverit pactum, non inducit obligationem realem, ſed ſolùm perſonalem.

Colliges 3°. non poſſe abſolutè obtineri relaxationem juramenti, quando confirmavit contractum; quia juramentum relaxari non poteſt in præjudicium tertii. Porrò jus tertio acquiſitum eſt per contractum validum: causâ tamen

læſionis relaxari ſolet juramentum ab Epiſcopo ſecundùm quid, nempè ad effectum agendi in judicio, ut reſcindatur contractus ob læſionem.

Q. 8°. *Licet-ne jurare cum intentione petendi diſpenſationem?*

R. Si juramentum eſt licitum tàm ex parte jurantis, quàm ex parte ejus cui fit promiſſio, non eſt petenda diſpenſatio; quia non eſt cauſa juſta ejus concedendæ, perjuruſque eſſet, qui juraret ſine intentione adimplendi quod promittit. Unde in hoc caſu nequidem ſummus Pontifex poteſt diſpenſare à juramento, cùm jus divinum, & naturale dictent ſervandum eſſe juramentum, ſi nulla obſtet ratio. Ita S. Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 6. paragr. 1. Sed ſi juramentum ſit injuſtè extortum, ita ut illicitè recipiat is, cui promiſſio facta eſt; poterit jurans à juramento abſolvi, ut habetur cap. *Verùm*, de jurejurando. *Verùm in eâ quæſtione, quæ 5°. loco ponitur, an à Sacramenti vinculo abſolvantur, qui illud inviti pro vitâ & rebus ſervandis fecerunt, nihil aliud arbitramur, quàm quod anteceſſores etiam Romani Pontifices arbitrati fuiſſe noſcuntur, qui tales à juramenti nexibus abſolverunt.*

Addit S. Thomas, licitum eſſe petere relaxationem juramenti, etiamſi quis juraſſet ſe eam non petiturum. *In juramento*, inquit 2. 2. qu. 89. art. 7. ad tertium, *quod quis coactus facit, poteſt quis repetere in judicio quod ſolvit, vel Prælato denuntiare, non obſtante quòd contrarium juravit: quia tale juramentum verteret in deteriorem exitum: eſſet enim contra juſtitiam publicam.* Et ratio eſt, quia tale juramentum emiſſum eſt contra præceptum Evangelii, quo quilibet tenetur Eccleſiæ denuntiare eum, qui præmonitus non vult à peccato ceſſare. *Poteſt ille qui juravit ſolvere uſuras*, inquit Innocentius IV. cap. *ad aures*;

de his quæ vi metûſve cauſâ; & cap. *tuos*, *de* uſuris, *denuntiare creditorem ad pœnitentiam*, *& ſi juraſſet ſe non denuntiaturum*; *non debet ſervare*: *quia eſt contra regulam Evangelii*: *ſi peccaverit in te*, &c.

Q. 9°. *Quomodo poteſt diſpenſari circa juramentum*, *cùm obligatio juramenti ſit juris naturalis & divini?*

R. Quia juramentum promiſſorium, de quo ſolo poteſt obtineri diſpenſatio, eo modo obligat, quo promiſſio, in cujus confirmationem emiſſum eſt. Unde ſi is, in cujus favorem juraſti, remittat tibi fidem datam, velitque te minimè teneri promiſſione, remittit conſequenter ipſam obligationem juramenti, quo ei adſtrictus es: imò manente promiſſione, poteſt remittere juramenti obligationem, ita ut nolit te teneri vinculo juramenti, ſed ſolâ fide ſibi datâ. Porro quod poteſt facere privatus, poteſt quoque ejus ſuperior; nempè pronuntiando iniquam eſſe promiſſionis executionem contrariam bono publico, atque eatenus prohibere ſubdito, ne eam impleat; quo fit ut promiſſarius, ſeu is, cui promiſſio facta eſt cum juramento, non poſſit exigere juramenti impletionem, cùm jam facta ſit illicita. Quare in omni juramento promiſſorio ſemper ſubintelligitur aliqua conditio, nimirùm, ſi velit is, cui promittitur, vel niſi ſuperior, cui materia juramenti ſubeſt, contradicat.

Confirmatur reſponſio ex capite 3°. Numerorum, ubi Deus ipſe recenſet nonnullos caſus, in quibus juramenta irritari poſſunt, ita ut, qui ea emiſit, non teneatur adimplere promiſſionem, quam juramento firmavit.

CAPUT II.

De conſenſu requiſito ad validitatem contractûs.

R. 1°. QUænam poſſunt impedire conſenſum in contractu requiſitum?

R. Duo, nempe error ſive dolus, & metus.

Q. 2°. *Quotuplex error ſeu dolus eſt hîc diſtinguendus?*

R. Duplex, alius eſt circa ſubſtantiam, ut ſi intendens emere aurum, emas auricalcum: alius circa accidentia, nempe cùm ignoratur aliquis defectus in accidentibus, ut ſi equus ſit debilis, cùm putetur validus.

Q. 3°. *Quotuplex eſt error ſeu dolus circa accidentia?*

R. Duplex, primus dat cauſam contractui, v. g. ſi cognoſceres equum eſſe debilem, non eum emeres. Secundus dicitur incidens in contractum; ut ſi contraheres, ſed viliori pretio, etiamſi defectum agnoſceres.

Q. 4°. *Contractus eſt-ne validus, quando eſt error ſive dolus circà ſubſtantiam?*

R. Minimè, quia talis error omnimodo tollit voluntarium & conſenſum. Unde ſi menſa argento cooperta pro ſolidâ vendita ſit, venditio eſt nulla; quia verè menſa non eſt ex ſolido argento. Secùs, ſi menſa eſſet partim argentea, partim ſtannea; quia error eſſet tantùm in quantitate, non verò in ſubſtantiâ; cùm menſa verè eſſet argentea. Ita declaratur lege civili paragraph. *de contrahendâ emptione.*

Dices: leg. 2. *in fine*, paragr. *de pignoratitiâ actione*, habetur quod ſi detur æs pro auro error non vitiet.

Reſpondeo, ibi agi de eo, qui pro auro æs in pignus accipit: in quâ hypotheſi ſtatuitur talem habere jus ad retinendum illud pignus; quia cum meliùs ſit illi habere pignus minùs pretioſum, quàm nullum omninò habere, cenſetur conſenſiſſe indeterminatè in aliquod pignus.

Q. 5°. *Dolus incidens irritat ne contractum?*

Minimè, etiamſi contingat ab altero è contrahentibus: ita ſtatuunt leges. Et ratio eſt, quia tunc eſt conſenſus utriuſque partis in id, de quo contrahitur; quamvis enim parti deceptæ cognitus fuiſſet dolus, non deſiiſſet contrahere: ergo dolus incidens, contractum non irritat, neque ſufficit ad eum reſcindendum. Eſt tamen advertendum deceptorem debere pro exceſſu reſtituere; quia perſona decepta voluntaria non eſt reſpectu talis exceſſûs, ſed injuriam patitur: imò & tenetur deceptor damna pati, quæ dolum ſequuntur, ut ſi majus ideo tributum ſolutum ſit; quia res empta eſt cariùs quàm debuiſſet.

Q. 6°. *Dolus dans cauſam contractui, irritat ne contractum?*

R. Minimè; quamvis ſit ab altero è contrahentibus: poteſt tamen contractus reſcindi pro voluntate partis deceptæ, ſi diſſolubilis ſit contractus. Ita habetur Inſtitutis paragr. 1. *De Exceptionibus.*

Prima pars probatur; quia dolus dans cauſam contractui, non impedit quin contractus voluntarius ſit: Ergo contractum non irritat.

Conſequentia patet; quia eatenus ſolùm contractus irritus eſſe poteſt, quatenùs, ſuppoſito dolo dante cauſam contractui, foret involuntarius.

Antecedens oſtenditur, tùm quia eſt cognitio

rei, de quâ contrahitur, & conſenſus in eam; tùm quia dolus dans cauſam contractui, non tollit voluntarium in Matrimonio, nec in Ordinatione; ſive reſpectu ordinantis, qui ſi ſciviſſet ordinati defectus, non eum ordinaſſet; ſive in ordinato qui perſpectis obligationibus Sacerdotis, non conſenſiſſet in ſui ordinationém. Diſtinguendum enim eſt inter hæc duo: *Nollem contrahere*, & *nolo contrahere*, poſterius tollit conſenſum, non prius, aliàs vix ullus contractus validus foret; quia ferè ſemper occurrunt aliquæ circunſtantiæ, quas ſi quis prævidiſſet, non contraxiſſet.

Secunda pars probatur, quia æquitas poſtulat ut decipiens cedat de jure, quod doloſè contrahendo acquiſivit, reddat emptorem liberum ac indemnem, eumque reſtituat in eum ſtatum, in quo erat antequam contraheret.

Si ergo deceptus paſſus eſt damnum ex dolo decipientis, debet decipiens non ſolùm reſcindere contractum, ſi deceptus id exigat, ſed etiam damna inde ſecuta reparare. Quod ſi deceptus velit ſtare contractui, ſicut ei liberum eſt, tenetur decipiens reddere exceſſum pretii, quod accepit pro merce vitioſâ, quam tanquam ſanam & integram vendidit.

Q. 7°. *Quid, ſi error dans cauſam contractui contigit, vel à parte deceptâ, vel à tertiâ perſonâ, vel ab altero contrahente, ſed ſine ejus culpâ?*

R. Valet contractus propter rationem ſuprà allatam, nec reſcindendus eſt ſaltem in foro conſcientiæ; nec reſarciendum damnum; quia non fuit injuſtè illatum, ſed refundendus eſt exceſſus pretii, ut reponatur æqualitas.

Advertes, quæ dicta ſunt non eſſe extenderda ad contractus gratuitos, qualis eſt promiſſio, quæ reſcindi poteſt, ſi adveniat mutatio

notabilis, aut error fuerit circa notabilem quantitatem. Et ratio eſt, quia promiſſio pendet ab unius voluntate, qui poteſt contractui apponere, quam voluerit conditionem: omnis autem qui gratuitò promittit, intelligitur nolle ſe obligare, ſi notabilis ſit mutatio. At contractus reciproci pendent à duorum voluntate, qui ſic invicem obligari volunt, ut niſi ſit error circà ſubſtantiam rei, vel ab altero contrahentium proveniat dolus dans cauſam contractui, contractum mutare non poſſint; aliàs nulla foret contractuum ſecuritas, pateretque via innumeris litibus; quia facilè diceret alter contrahentium ſe fuiſſe deceptum.

Q. 8°. *Contractus per metum initus, eſt-ne validus?*

R. 1°. Jure naturali contractus initus ex metu quantumcunque gravi, modò uſum rationis non pervertat, validus eſt; quia metus, etiam gravis neque voluntarium, neque liberum perimit.

R. Jure poſitivo, contractus ex metu gravi & injuſto initi irritari poſſunt; ſed actu & de facto non ſunt irriti, quibuſdam tamen exceptis. Probatur ex lege ultima cod. *De his quæ vi*, ubi habetur, *venditiones, tranſactiones, donationes, quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari;* quod ſupponit hujuſmodi contractus, antè ſententiam Judicis eſſe validos. Unde gloſſa in cap. *Abbas, de his quæ vi*, docet generaliter, quæ ex metu fiunt valere niſi jus ſpeciatim irritet.

Dixi 1°. *ex metu gravi:* tùm quia ex reg. 114. de reg. Juris in 6°. *vani timoris juſta excuſatio non eſt:* tùm quia levis non præſumitur dediſſe cauſam contractui.

Dixi 2°. *& injuſto;* nam ſi fuerit juſtè incuſ-

ſus ; contractus irritandus non eſt ex lege *Si mulier*, paragr. *De eo quod metûs causâ.* Quare ſi quis ex juſtâ ſententiâ Judicis cogatur matrimonium contrahere, valet matrimonium : item ſi filia in matrimonium conſentiat ex metu, ne incurrat indignationem patris id expetentis, ſed non minitantis, validus eſt etiam jure poſitivo ejus conſenſus ; tùm quia levis metus ille cenſetur ; tùm quia non eſt injuſtè incuſſus : pater enim nullam ei injuriam fecit proponendo tale matrimonium.

Dixi 3°. *Quibuſdam contractibus exceptis ;* etenim ſunt ipſo jure irriti contractus ſequentes, ſi ex metu gravi & injuſto fiant. 1°. Matrimonium, cap. *Requiſiti, de ſponſalibus*, quod communiter extenditur ad ipſa ſponſalia. 2°. Profeſſio Religionis, cap. *Perlatum, de his quæ vi.* 3°. Contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ, lege *Si mulier*, paragr. *ſi dos*, Digeſt. *de eo quod metûs causâ.* 4°. Promiſſio vel traditio rerum ad Eccleſiam pertinentium, cap. *Pervenit*, de jurejurando. 5°. Auctoritas tutoris per metum extorta leg. 1. paragr. ultimo, Dig. de *auctoritate tutorum.* 6°. Si juriſdictio ſit ex metu prorogata, lege 2. *de judiciis :* quæ gloſſa in caput *Abbas, de his quæ vi*, ſequentibus verſibus complectitur.

Tutor, judicium, dos, ſacrum, copula, votum.
Hæc ex vi facta, de jure ſcias fore nulla ;
Cætera jus patitur, ſed poſtea reſtituentur.

Ex dictis collige eum, qui metu injuſto ad contrahendum impulit teneri non ſolùm contractum reſcindere, ſi id poſtulet, qui injuriam paſſus eſt, ſed etiam damna indè ſecuta reparare, cùm eorum cauſa fuerit.

CAPUT III.

Quinam contrahere poſſunt ?

R. OMnes qui habent adminiſtrationem bonorum, ſi jure non impediantur; quia bonorum adminiſtratio præſertim conſiſtit in poteſtate contrahendi.

Dixi 1°. *qui habent adminiſtrationem*; nam qui eâ carent, ut amentes, prodigi, contrahere non poſſunt.

Dixi 2°. *ſi jure non prohibeantur*; tutor enim, v. g. etiamſi habeat adminiſtrationem, non poteſt contrahere cum pupillo, lege, *Pupillus*, Digeſt. *de auctoritate & conſenſu tutorum.*

Sed circa filios-familias conſtitutos ſub paternâ poteſtate, pupillos & minores, ſpeciales moventur difficultates, & quidem diverſæ, ſecundùm diverſas eorum ætates quibus antequam ſatisfiat,

Nota 1°. paternam poteſtatem definiri jus, ſecundùm quod legitimi filii ac filiæ, aliique deſcendentes per lineam maſculinam, quoad certos effectùs ſubjiciuntur patri & avo paterno. Quare ſi Petri filius legitimus, & non emancipatus, filios & filias legitimè procreaverit; omnes erunt in poteſtate Petri.

Nota 2°. Filios-familias vel eſſe puberes, vel impuberes. Pubertas autem contingit in maſculis anno 14. completo, in feminis anno 12. completo.

Nota 3°. impuberes poſſe conſiderari, vel ut infantes; hoc eſt intra ſeptennium, quo finitur infantia; vel ut infantiæ, aut pubertati proximos. Infantiæ proximi dicuntur, qui exce-

Digitized by Google

dunt ſeptennium. Pubertati verò proximi habentur ſi mares ſint à decimo cum dimidio : ſi verò feminæ, à nono cum dimidio uſque ad pubertatem.

Nota 4°. hoc diſcrimen eſſe inter pupillum & minorem, quod minor dicatur ab anno pubertatis, ad annum ætatis 25. niſi jure municipáli abbrevietur hæc ætas : pupillus verò, qui nondum pervenit ad pubertatem. Tutor impuberi etiam invito dandus eſt lege 2. Digeſt. *de tutelis*. Definitur autem tutela, vis ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem ſe defendere nequit, jure civili data & permiſſa. Ex quo patet, tutorem præcipuè dari ad perſonam pupilli tuendam; ſecundariò ad bona ejus adminiſtranda. Quòd ſi teſtamento nullus tutor ſit aſſignatus, conſanguinei ad tutelam cogi poſſunt: quia onus comitatur emolumentum. Clerici tamen, quia non decet eos ſæcularibus curis implicari, ad ſuſcipiendam tutelam cogi non debent, præterquàm perſonarum miſerabilium, ſi aliæ perſonæ idoneæ non reperiantur, cap. finali, diſt. 88. Poſſunt tamen, ſi velint, tanquam proximi cognati, ſuſcipere tutelam, capite finali, diſt. 86. Porro tutela finitur adveniente pubertate. Sed puberibus, ſive mares ſint, ſive feminæ, datur curator uſque ad ætatis annum vigeſimum quintum. His præſuppoſitis

R. 1°. Filius-familias qui puber eſt aut pubertati proximus, poteſt ſe obligare tùm naturaliter, tùm civiliter, modò contractus non ſit in præjudicium patris vel alterius, ex lege, *Filius-familias*, Digeſt. *de actionibus & obligationibus*. Poteſt ergo filiusfamilias, 1°. alteri locare ſuas operas; cùm patri eas non debeat, niſi pater operâ filii indigeat, aut filius ab eo alimenta

K vj

percipiat; quia ex lege penultimâ, Digeſt *de obſequiis*, *pietatem liberi parentibus, non operas debent.* 2°. Aliò proficiſci; nec ſine rationabili cauſâ pater impedire poteſt, quin filius addiſcat aliquam artem, aut ſtudiis det operam 3°. Poteſt diſponere de Beneficiis & bonis Eccleſiaſticis; ſunt enim bona quaſi caſtrenſia, Cod. *de Epiſcopis & Clericis.* Idem dicendum de minore & pupillo pubertati proximo: ſi tamen læſus ſit, uti poterit beneficio reſtitutionis in integrum.

R. 2°. Filius-familias, qui pubertati proximus non eſt, non obligatur ex contractu etiam circa bona caſtrenſia, etiamſi accedat patris conſenſus. Ex Inſtit. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragraph. *ſed quòd.*

Dices: Pupillus etiam impubes, cum conſenſu tutoris, obligatur non ſolùm naturaliter; ſed etiam civiliter: Ergo & filius-familias cum conſenſu patris.

Nego conſequent. Ratio diſparitatis eſt, quia pupillus tutorem ſibi habet obligatum, ſi malè auctoritatem præſtet, non verò filius patrem.

R. 3°. Pupilli infantes vel infantiæ proximi non poſſunt contrahere, ſaltem in ſuum incommodum; quia vel rationis uſum non habent, vel comparantur rationem non habentibus. Digeſt. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragr. *ſed quòd.*

Dixi *ſaltem in ſuum incommodum*; nam ex citato parag. contrahere poſſunt in ſuum commodum, ſicut & pupilli pubertati proximi.

R. 4° Minores & pupilli proximi pubertati contrahere poſſunt in ſuum commodum, etiam ſine auctoritate tutorum, non tamen in ſuum incommodum, ex titul. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragr. *pupillus.* Hinc licet venditor pupillum, qui ſine tutoris conſenſu emit invitum,

compellere non poſſit ad ſolvendum pretium; ipſe tamen pupillus, ſi velit ſtare contractui, cogere poteſt venditorem ad tradendas ſibi merces conſtituto pretio. Poterit tamen venditor compellere pupillum ad reddendas merces, quæ ſi abſque dolo conſumptæ ſunt; in foro externo pupillus cogitur ſolùm ſolvere, id quo ditior factus eſt.

Dixi 1°. *ſi abſque dolo;* nam ſi dolo pupilli merces conſumptæ ſint, datur contra eum actio civilis, lege primâ, Digeſt. *de depoſito*, parag. *an etiam pupillum:* dolus autem non præſumitur in pupillo infantiæ proximo.

Dixi 2. *in foro externo;* nam obligatio naturalis oritur ex conſenſu, cujus pupillus & minor ſunt capaces; ex Inſtit. *de inutilibus ſtipulationibus*, paragr. *pupillus.* Et ex lege prima Digeſt. *de Novationibus*, ubi pupillus dicitur naturaliter obligari; etiam ſine auctoritate tutoris.

R. 5°. Res immobiles aut etiam mobiles, quæ ſervando ſervari poſſunt, à pupillis & minoribus, etiam cum tutoris auctoritate, alienari non poſſunt, niſi de licentia judicis, ex cauſa legitima, v. g. æris alieni ſolvendi, aut alimentorum adminiſtrandorum; ſecùs de mobilibus; quæ ſervando ſervari non poſſunt, quæ validè cum auctoritate tutoris & non aliter alienari poſſunt: ex lege, *Quæ*, Cod. *de adminiſtratione tutorum.* Quòd ſi minor curatorem non habeat, poteſt res mobiles, quæ ſervari non poſſunt, per ſe alienare, quamvis, ſi læſus ſit, petere poſſit reſtitutionem in integrum.

CAPUT IV.

Quomodo dividitur Contractus?

1°. Dividitur in lucrativum, ſeu gratuitum, quales ſunt promiſſio, donatio, commodatum, teſtamentum, &c. & in oneroſum, ſeu reciprocum, in quo aliquid reddi debet, loco ejus quod datur, ut venditio, emptio, mutuum, &c.

2°. In eum qui transfert dominium, ut mutuum, venditio: & eum qui transfert tantùm utile ut feudum; aut uſum, ut commodatum; vel ſecuritatem, ut pignus

3o. In contractum bonæ fidei, qui benignam Judicis interpretationem admittit, ut venditio, emptio; & contractum ſtricti juris, quo Judex ad verba contrahentium ita aſtringitur; ut non liceat eos obligare ad ampliùs, quàm quod in contractu expreſſerunt aut intelliguntur voluiſſe exprimere; tales ſunt mutuum, donatio gratuita, ſtipulatio, cenſus, emphyteuſis, in quibus ſtrictè verba interpretanda ſunt ex lege, *Quidquid* Digeſt. *de verborum obligationibus.*

Ex his ſequitur vendentem teneri indemnem reddere emptorem, ſi in poſſeſſione rei emptæ turbetur, etiamſi nulla talis clauſula expreſſa ſit in contractu. Similiter emptor ſi præfixo termino non ſolvat pretium rei emptæ, tenebitur ſolvere cenſum &. uſuras, &.ad id coget eum Judex etiamſi non fuerit expreſſum in contractu, quia æquitas poſtulat, ut venditor propter fructus rei ſuæ in emptorem tranſlatos, percipiat uſuram pecuniæ ſibi debitæ. Excipiendum ta-

men videtur, ſi emptor non ſit in morâ; nam ſi vendens rogaverit, ut retineat pretium donec filia nubat, aut in religione profiteatur, vel ipſe fundum, vel aliquod officium emendum inveniat, in foro conſcientiæ reus erit uſuræ illicitæ. Contrà mutuatarius in morâ non condemnabitur in foro externo ad ſolvendas uſuras, niſi ex die quâ mutuans eas juridicè petierit; quia non præſumitur ante damnum pati.

4°. Dividitur contractus in eum, qui perficitur re ipſa ſeu per traditionem; ut commodatum, pignus, donatio, & mutuum; & in eum, qui perficitur ſolo conſenſu utriuſque contrahentis, ut locatio, venditio, matrimonium, &c. nam ſtatim atque emptor & venditor v. g. de pretio & merce convenerunt, tatus eſt contractus, & utrimque oritur obligatio & actio civilis.

5o. In contractum purum, cui non adjicitur conditio aut aliquod accidens; & non putum, cui adjicitur accidens.

6o. In contractum nominatum, ut ſunt venditio, mutuum, &c. Et in contractum innominatum, cui proprio & ſpecifico nomine caret; ſed tantùm dicitur nomine generico contractus, vel permutatio.

Q. *Quotuplicis generis ſunt contractus innominatis?*

R. Quadruplicis. Nempe, do ut des: do ut facias: facio ut des, v. g. facio operas, ut des mercedem: denique facio ut facias, v. g. famulatum tibi præſto ut me doceas Porro de contractibus non puris, & innominatis plura dicenda occurrunt.

CAPUT V.

De Contractibus non puris.

Q. QUotuplex eſt Contractus non purus? R. Quintuplex.

Primus dicitur ad conditionem, cùm adjicitur aliqua conditio, ut ſi quis dicat, do tibi centum nummos, ſi ad lauream Doctoratûs fueris admiſſus.

Secundus, ad modum, cùm additur modus ſub quo contractus obliget, ut ſi dicat quis properanti ad Doctoratum, do tibi centum nummos, ut expenſas ad Doctoratum capeſſendum neceſſarias ſuſtinere poſſis.

Advertes, modum aliquando exprimi per verba conditionalia, quæ videntur conditionem importare, ſed reipſa non important, ut ſi quis legaverit centum nummos eâ conditione, ut poſt mortem ejus, certus Miſſarum numerus celebretur; hoc legatum etiamſi exprimatur per verba conditionalia, explicari tamen poteſt tanquam modale; adeo ut intelligatur legaſſe centum nummos, ut certus Miſſarum numerus celebretur. Verùm quando dubitatur de intentione contrahentis, nec judicari poteſt certò, an verba ejus importent conditionem aut modum, interpretandum eſt importare conditionem: ex lege *à Teſtatore*, Digeſt. *de conditionibus & demonſtrationibus.*

Tertius, dicitur ad cauſam, quando ſcilicet fit contractus propter aliquam cauſam, ut ſi detur pecunia alicui; quia eſt pauper vel cognatus.

Quartus, dicitur ad diem, cùm dies præfigitur: nempe promitto tibi centum nummos

ſolvendos in feſto ſancti Joannis.

Quintus eſt ad demonſtrationem, cùm apponitur aliquod ſignum, ad rem, vel perſonam oſtendendam, v. g. donat quis centum nummos quos dicit reconditos in tali arcâ, vel quos ipſi debet Caïus.

Porrò circa hujuſmodi contractus, occurrunt in praxi nonnullæ difficultates hìc explicandæ.

CAPUT VI.

De Contractu ad conditionem.

Q. 1°. *Contractus ſub conditione, parit-ne obligationem?*

R. Non parit ante conditionis impletionem, ſi conditio illa ſit honeſta, poſſibilis, de futuro contingenti, & in ipſomet contractu adjecta. Ratio eſt, quia ſuſpendit conſenſum, qui enim contrahit ſub conditione, non intendit ſe obligare, niſi poſitâ conditione.

Dixi 1°. *Si conditio illa ſit honeſta;* qui contractus factus ſub conditione turpi, non inducit obligationem; nullus enim obligari poteſt ad id, à quo tenetur abſtinere.

Dixi 2°. *poſſibilis*: quia conditio impoſſibilis irritam reddit diſpoſitionem.

Excipitur tamen contractus matrimonii, cap. finali *de conditionibus appoſitis*, ubi habetur: Conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes aut impoſſibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non abjectis haberi, ac proinde non irritant matrimonium. Quod tamen intelligendum eſt ſolùm cum foro externo, ubi cùm non conſtet de conditione contrahentis matri-

monium, præſumitur eum non ſeriò hujuſmodi conditiones appoſuiſſe. Idem ſtatuitur in favorem legati & donationis causâ mortis. Lege, *Si quis*, Digeſt. *de conditionibus inſtitutionum.*

Dixi 3°. *de futuro ;* quia ſi conditio ſit de præterito vel de præſenti, ut in hâc hypotheſi: Do tibi, ſi es meus conſanguineus, vel ſi opus injunctum perfeciſti, jam conditio eſt impleta, nec poteſt ſuſpendere conſenſum. Unde patet diſcrimen inter conditiones turpes de futuro, & inter conditiones turpes de præterito: quòd conditiones turpes de præterito, non tollant obligationem & validitatem contractûs, cùm non inducant ad peccatum; ſicut turpes de futuro; ſed ſupponant peccatum jam factum, ut ſupra dictum eſt.

Dixi 4°. *contingenti ;* nam ſi conditio certò & neceſſariò futura eſt, non ſuſpenditur conſenſus; quia hujuſmodi conditio habetur tanquam præſens & jam impleta.

Dix 5°. *& in ipſomet contractu adjecta ;* nam ſi apponatur poſt contractum, non ſuſpendit conſenſum; quia ſupponitur contractus jam validus. Iſta inde colliges:

1°. Legatum factum alicui virgini, ſub conditione ſi non nupſerit, valet, etiamſi illa nubat; quia hujuſmodi conditio cenſetur minùs honeſta, quatenùs impedit libertatem matrimonii: ex lege: *Titio*, parag. *de conditionibus & demonſtrationibus.* Jure antiquo id verum erat, etiam reſpectu viduæ; ſed jure novo ſi nupſerit vidua, legatum eſt irritum; quamvis enim ſecundæ nuptiæ ſint licitæ, jus eis non favet ſicut primis, & reverà aliquando intereſt familiæ, ſi vidua non nubat.

2°. Legatum ſub hâc conditione, ſi legatarius uxorem ex tali familiâ non ducat, irritatur

non impletâ tali conditione ; quia honeſta eſt.

3°. Si legatum ſit ſub conditione quòd legatarius nubat, & tamen Religionem ingreſſus eſt valet legatum ; quia conditio matrimonii non eſt honeſta, quatenus prohibet majus bonum, ſcilicet ingreſſum Religionis, Authenticâ *de ſanctiſſimis Epiſcopis.*

4°. Si conditio his verbis eſſet expreſſa, Lego ducentos ſi nupſerit, & centum ſi Religionem ingrediatur, cenſetur honeſta ; pluribus enim indigent conjugati, quàm Religioſi. Similiter ſi quis legaverit ad puellas collocandas in matrimonium, legatum non eſt convertendum ad Moniales dotandas ; quia voluntas teſtatoris ſatis expreſſa obſervanda eſt.

Q. 2°. *Conditio diſtractiva contractûs facit-ne irritum contractum?*

R. Si conſenſum non deſtituat, cenſetur pro non adjectâ, & contractus manet, ut ſi quis in teſtamento promittat ſe illud non revocaturum, quod eſt contra teſtamenti naturam, valet teſtamentum : ſi deſtruat conſenſum, ut ſi quis contrahat matrimonium, eâ conditione, quod ſi Anna maritata vidua fiat, poterit illam ducere priore relictâ, nullum eſt matrimonium.

Q. 4°. *Qui donavit ſub conditione, poteſt-ne reſilire ante conditionis eventum?*

R. Minimè, exceptâ donatione causâ mortis, quia per contractum donans ligatur ad expectandum eventum conditionis : paragrapho *Ex conditionali*, Inſtit. *de verborum obligationibus.* Et hæc obligatio tranſit ad hæredes.

CAPUT VII.

De Contractu ad modum.

Q. S*I modus non impleatur, contractus eſt-ne irritus?*

R. Minimè, niſi contrahens aliter expreſſerit; quia ex dictis, modus eſt aliquid conſequens contractum, ſupponitque donantem actu & de facto jam dediſſe.

Dixi: *niſi contrahere aliter expreſſerit*; quia ſi legans Eccleſiæ addidiſſet in legato, alioquin donatio nulla, modo non impleto corruit legatum.

Ex his ſequitur, heredes legantis non poſſe ſibi vindicari poſſeſſionem rei legatæ, eo pretextu quòd non ſervetur modus, v. g. Miſſæ non celebrentur, ſed ſolùm jus ipſis competit ad cogendum legatarium, ut Miſſas celebret, vel celebrari curet.

CAPUT VIII.

De Contracta ad cauſam.

Q. 1°. Q*Uotuplex eſt cauſâ?*

R. Duplex, finalis, & impulſiva. Finalis eſt, quæ ita movet diſponentem, ut ſine eâ non diſpoſuiſſet: impulſiva verò, quæ ita impellit ad diſponendum, ut eâ non ſubſiſtente adhuc fuiſſet iſta diſpoſitio: v. g. das eleemoſinam petenti, quia pauper eſt, & niſi pauper eſſet, non dares, en cauſa finalis: das ei, qui reverà pauper eſt, ſed inſuper dicit ſe tuum

conſanguineum, cùm tamen non ſit; ſi nihilominùs dediſſes ob paupertatem, quamvis non ita promptè, conſanguinitas eſt ſolùm cauſa impulſiva.

Q. 2°. *Contractus eſt-ne validus, non ſubſiſtente cauſa?*

R. Si cauſa ſit finalis, nullus eſt contractus; quia nullus eſt conſenſus: ſi ſit impulſiva, validus eſt, quia non tollit conſenſum.

Q. 3°. *Si quis donet alicui, ut faveat in aliquo negotio, eſt-ne valida illa donatio, in hypotheſi quòd donatarius non faveat?*

R. Eſt valida; quia non eſt conditionata, ſed abſoluta, factaque eſt principaliter ad animum alliciendum, non verò ad obligandum.

Q. 4°. *Quid ſi donans non fuiſſet daturus, ſi credidiſſet non alliciendum donatarium?*

R. Etiam valida eſſet donatio: quia ſubſiſtit cauſa finalis, dedit enim principaliter, ut poſſet allicere; nec conditio tacita contractum irritum facit, aliàs nullus ferè validus eſſet contractus, cùm vix aliquis reperiatur, qui ſi prævideret omnia futura contingentia, conſentire vellet, Epiſcopus, v. g. nec ordinaret, nec beneficium conferret, ſi ſciret eum quem promovet, partes pietatis derelicturum.

Advertes, in foro externo aliquando judicari, cauſam fuiſſe tantùm impulſivam, ideòque validum eſſe contractum, quamvis reverâ fuerit finalis, ac proinde nullus ſit reverà contractus, quo fit ut Confeſſarius quandoque judicet aliter, quàm Judex.

Caput IX.

De Contractu ad diem ?

Q. Quotuplex eſt contractus ad diem ?
R. Duplex, alius ad diem certum, ſtatimque producit obligationem ; ſed ei ſatisfacere non tenetur debitor ante diem præfixum, putà S. Joannis Baptiſtæ. Alius ad diem incertum, putà quando ex Indiâ appulerint naves, & ita reſolvitur in conditionem, quæ ſuſpendit conſenſum & obligationem.

Advertes tamen, ſi dies incertus adjectus fuerit promiſſioni in gratiam ſolius promiſſarii, vel legatarii, ut ſi famulo propter obſequia promittas centum aureos ei dandos cùm matrimonium contraxerit, ne fortè ante acceptos malè conſumat, neque conſenſus, neque obligatio ſuſpenditur.

Caput X.

De Contractu ad demonſtrationem.

Q. 1°. *Si ſit error in demonſtratione contractus eſtne validus ?*

R. Si ſit error in ſubſtantiâ, nullus eſt conſenſus, neque contractus ; ſecùs, ſi ſit ſolùm in accidentibus. Utraque pars conſtat ex dictis, ubi de errore occurrente in contractibus. Hinc ſi quis legat centum aureos, quos vel Petrus ipſi debet, vel habet repoſitos in tali arcâ, in hypotheſi quòd Petrus nihil debeat, vel nulla ſit pecunia in tali arcâ, legatum eſt nullum,

cùm error ille ſit in ſubſtantiâ. Sed ſi Petrus debeat tantùm viginti aut pars ſummæ ſit in arcâ demonſtratâ, tenet legatum; quia error eſt ſolummodo in accidente.

Q. 2°. *Sed ſi Petrus debeat ducentos aureos, aut totidem reperiantur in arcâ, omnes erunt ne legatarii?*

R. Si demonſtratio appoſita eſt taxatè, debetur ſolùm numerus vel menſura demonſtrata; tunc enim conſtat mentem teſtatoris fuiſſe, ut non plura donarentur. Si verò ſit appoſita demonſtrativè tantùm, debetur id totum quod eſt demonſtratum: v. g. Ducenti aurei, imò & trecenti ſi debeat Petrus, aut ſi reperiantur in arcâ; quia error in illâ demonſtratione eſt ſolùm accidentalis.

Q. 3°. *Quandonam ſit demonſtratio taxatè vel demonſtrativè tantùm?*

R. Fit taxatè, quando apponitur ad reſtringendum id quod datur; ut ſi teſtator dicat: *lego centum aureos ex tali arcâ vel ex iis quæ debet mihi Petrus.* Fit verò demonſtrativè ſolùm, quando apponitur ut denotet rem quam legans vult dare; ut ſi dicat: *do pecuniam quæ eſt centum aureorum in tali arcâ, vel quam mihi debet Petrus.*

Hæc autem regula traditur ad agnoſcendum an taxatè, an demonſtrativè tantùm apponatur demonſtratio. Quando incipit diſpoſitio à numero vel menſurâ, qualis eſt iſta: *do centum aureos in tali ſacculo exiſtentes*, vel, *quinquaginta jugera talis prædii:* demonſtratio cenſetur appoſita taxatè, nec plus, quam centum aurei vel quinquaginta jugera debentur, etiamſi ampliùs contineat ſacculus vel prædium. Quando verò diſpoſitio incipit à re ipsâ quæ datur, deinde apponitur numerus vel menſura: v. g. datur de-

bitum Petri, quod eſt centum aureorum, vel prædium quod conſtat centum jugeribus; tunc demonſtratio apponitur demonſtrativè tantùm, dandumque eſt legatario quidquid debet Petrus, etiamſi debeat pluſquam centum aureos: quidquid continet prædium, etiamſi contineat pluſquam centum jugera.

Ex his ſequitur: ſi avus legaverat centum libellas annui censûs ex tali vineâ accipiendas, ut totidem Miſſæ ſingulis annis celebrarentur, quas libellas hæres immediatus per triginta annos malâ fide non ſolvit: nepotem qui hæreditate illam vineam acquiſivit cum pluribus aliis bonis quæ olim fuerant avi, teneri ſolvere cenſum illum triginta annorum, etiamſi ſumma illa multùm excedat valorem vineæ: quia demonſtratio ab avo eſt appoſita taxatè, conſtatque ex ejus verbis, eum voluiſſe abſolutè ut centum ſolverentur ſingulis annis, vineamque fuiſſe demonſtratam, tanquam hypothecam ſpecialem, quæ non derogat generali.

CAPUT XI.

De Contractibus innominatis.

Cum ſpeciem quandam contractûs innominati ineant qui Officia publica aut Beneficia accipiunt; quia populi & fundatores donant ut Officiales vel Beneficiarii nonnulla præſtent: hîc de Beneficiariis breviter tractandum eſt.

Q. *Beneficiarius debet-ne ex juſtitiâ implere officia ſui Beneficii, ita ut niſi impleverit, teneatur ad reſtitutionem?*

R. Debet

R. Debet; probaturque 1°. ex cap. *Quia per ambitioſam*; de Reſcriptis, in Sexto, ubi dicitur quòd *propter officium Beneficium eccleſiaſticum datur.* Unde colligit Gloſſa, privatum officio intelligi privatum & Beneficio, cùm ſit ejus ſequela. 2°. Populi tradunt decimas, oblationes, & alia ſtipendia non purè, ſed ſub modo, ut certum officium præſtetur. Conſtat autem ex dictis modum appoſitum in contractu, etſi contractum irritum non reddat, quando non impletur, tamen reſtitutioni obnoxium reddere, qui eum non implet.

Confirmatur ex cenſura Alexandri VII. qui anno 1665 hanc damnavit propoſitionem, *non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere; & ſacrificium unum offerre.*

Confirmatur 2°. ex ſententia ſatis communi Theologorum, qui docent Beneficiarium propter omiſſionem Horarum Canonicarum non teneri reſtituere omnes fructus Beneficii, ſi habeat alia onera præter recitationem Breviarii, quibus ſatisfecerit: ergo à contrario Beneficiarius, qui horas Canonicas ſolvit, ſed prætermittit alia officia, ad quæ ſimiliter tenetur, amittit partem fructuum his functionibus reſpondentem; quod debent notare qui curam animarum ſuſceperunt.

Paragraphus II.

De Horis Canonicis.

Q. 1°. *Tenentur-ne Beneficiarii ad Horas Canonicas, ita ut niſi perſolverint, non faciant ſuos Beneficii fructus?*

R. Tenentur, probaturque ex Concilio Lateran. V. ſeſſ. 9. *Statuimus, & ordinamus quòd*

quilibet habens Beneficium cum Curâ, vel ſine Curâ, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos pro ratâ omiſſionis officii & temporis; ſed eos tanquam injuſtè perceptos, in fabricas Eccleſiarum hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Hoc Decretum confirmavit & explicuit S. Pius V. anno 1571. in Bulla 135. quæ incipit, *Ex proximo; ſtatuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiſerint, omnes Beneficii ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi vel illis diebus reſponderent, ſi quotidiè dividerentur; qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui ceteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat, tametſi aliquis choro addictus non recitans omnibus Horis Canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque & diſtributiones fortè aliter aſſignatas, ſolâ præſentiâ juxtà ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel aliàs ſibi lucri feciſſe prætendat, etiam præter fructuum & diſtributionum amiſſionem. Item ille, qui primis ſex menſibus Officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe; & quicunque penſionem, fructus aut alias res eccleſiaſticas ut Clericus percipit, ad dicendum Officium parvum* Beatæ *Mariæ decernimus obligatum, & penſionem fructuum rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.*

Probatur 2°. Ex uſu univerſalis Eccleſiæ conformi citatis Decretis.

Q. 2°. *Obligatio illa eſt-ne juris naturalis aut eccleſiaſtici?*

R. 1°. Quando Beneficia fundata ſunt præcisè propter penſum Horarum, ut Canonicatus poſterioribus ſæculis creati, Beneficiarius jure naturali tenetur ad Horas Canonicas; quia inter ipſum & fundatorem intercedit pactum,

ſaltem virtuale, recitandi Officii divini. Porro juris naturalis eſt pacta adimplere.

R. 2°. Quilibet Beneficiarius etiam tenetur jure naturali ad Horas Canonicas, ſi Beneficium ejus fuit erectum poſtquam onus recitandi impoſitum fuit omnibus Beneficiariis; quia fundatores cum tali onere Beneficia fundarunt.

R. 3°. Si Beneficia fuerint erecta priuſquam Eccleſia eis annecteret onus recitandi divini Officii, præceptum illud eſt ſolùm Juris eccleſiaſtici; quia ex mera Eccleſiæ voluntate pendet.

Q. 3°. *Quo tempore cœpit illud præceptum?*

R. Non conſtat. Aliqui referunt ad ſeculum ſextum, citantque caput, *Si quis Preſbyter* diſt. 92. quod tribuitur Martino Braccarenſi Epiſcopo, qui floruit circà annum 572. Verùm videtur caput illud intelligendum eſſe ſolùm de officio divino non privatim, ſed publicè in choro perſolvendo. Eodem ſenſu accipiendum eſt caput *Dolentes*, extrà, *de celebratione Miſſarum*, ſub Innocentio III. in Concilio Lateran. VI. anno 1215. Quare vel dicendum ex ſola Eccleſiæ conſuetudine illud præceptum inoleviſſe, vel ideo in antiquis Canonibus ſermonem eſſe tantùm de iis, qui choro deputati ſunt; quia antiquitùs ordinationes vagæ ſub titulo patrimonii erant prohibitæ, ut patet ex Concilio Chalcedonenſi habito anno 450.

Q. 4°. *Beneficiarius, qui Horas Canonicas non perſolvit, privatur-ne omnibus Beneficii fructibus illis diebus reſpondentibus, quibus non recitavit, etiamſi aliis Officiis ſatisfecerit, ad quæ tenetur ratione Beneficii?*

R. Privatur, juxtà Concilium Lateranenſe quintum, & Decretum S. Pii V. in reſponſione

ad primam quæſtionem mox laudatâ; *Poſt Lateranenſe Concilium*, inquit Azorius l. 10. Inſtit. moral. cap. 14. *& Pii V. Conſtitutionem ſuper eâ re non licet amplius dubitare.* Et Bellarminus l. 1. de bonis operibus in particulari cap. 19. *quidquid olim Doctores aliqui ſenſerint, reſpondemus hoc tempore dubitari non poſſe, quin fructibus Beneficiorum carere; &, ſi eos perceperint, reſtituere debeant, extat enim de hac re perſpicuum Decretum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. paragr.* ſtatuimus, *& in Conſtitutione Pii V. Pontificis.* Sed difficultas eſt, an Conſtitutio Pii V. cum tanto rigore ſit recepta. Certè conſtat in Italia eam eſſe receptam, tùm ex Decreto Alexandri VII. anno 1665. damnantis eam propoſitionem, quâ dicitur reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiariis non recitantibus non deberi in conſcientia antè ſententiam declaratoriam judicis: tum ex Concilio Mediolanenſi I. parte 2. tit. 21. & Concilio Mediolanenſi III. tit. 1°.

Multa etiam ſuadent eandem Conſtitutionem ab Epiſcopis Gallicanis fuiſſe receptam; namque 1°. quicunque penſionibus Eccleſiaſticis gaudent, tenentur in Gallia ſicut in aliis regionibus, perſolvere officium de Beata Maria: atqui illud onus ipſis incumbit ex Conſtitutione Pii V. ergo iſthæc Conſtitutio apud Gallos recepta eſt, ſaltem quoad forum conſcientiæ. 2°. In pluribus Galliæ Synodis, ut in Burdigalenſi anno 1583. tit. 3. in Turonenſi eodem anno tit. 14. in Toloſana anno 1590. primâ parte cap. 4. in Narbonenſi anno 1609. cap. 41. idem decernitur, quod in Conſtitutione Pii V. quam Turonenſis expreſsè appellat. 3°. Clerus Gallicanus anno 1700. titulo 22. propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam ſuâ cenſurâ perſtrinxit.

Q. 50. *Teneturne recitare, qui tenue admodùm habet Beneficium?*

R. Communiter affirmant Theologi; & ratio eſt, quia Concilia Lateranenſe IV. cit. cap. *dolentes*, Baſileenſe ſeſſione 21. canone 5. & ex illo Pragmatica Sanctio tit. 12. Lateranenſe V. laudato paragrapho *ſtatuimus*, indiſtinctè omnibus Beneficiariis horas Canonicas perſolvendi obligationem imponunt. Ejuſmodi legem tàm univerſim, tàm apertè, tot Canonibus declaratam ad omnes omninò Beneficiarios ſine ullo diſcrimine tenuis aut pinguis Beneficii uſque ad Concilii Tridentini tempora extenderunt penè omnes Canoniſtæ & Theologi, ut S. Thomas quodlibet. 6. artic. 8. Joannes de Friburgo in ſchola S. Thomæ ſub finem XIII. ſeculi celeberrimus in ſua ſumma Confeſſariorum libro 1. tit. de officio Clericorum quæſt. 18. Gloſſa in cap. *Clericus*, diſt. 91. *Sicut vir*, inquit, *tenetur miniſtrare neceſſaria uxori; ita Clericus, qui non percipit neceſſaria ab Eccleſiâ, tenetur officiare Eccleſiam, licet pauper ſit, & dicere cum Apoſtolo: Scio & abundare & eſurire.* S. Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 4. paragr. 1. Panormitanus, qui Concilio Baſileenſi interfuit, in cap. *Preſbyter*, de celebratione Miſſarum; Angelus de Clavaſio; Silveſter, qui floruit tempore Concilii Lateranenſis V. Unde mirum videtur Comitolo inter Societatis Jeſu Theologos inſigni reſponſionum moralium quæſt. 68. quomodò venerit in mentem Dominici Soto, qui in Concilio Tridentino claruit, ab omnium Canoniſtarum & Theologorum ſententiâ ſine ullius Canonis auctoritate, ex quâdam veriſimili conjecturâ diſſentire.

Verùm cùm Soti pietate & eruditione plures permoti, ab onere perſolvendi divini offi-

cii liberarent Beneficiarium, cujus fructus octo duntaxat aureis æſtimari poſſent, S. Pius V. laudatâ Conſtitutione, *ex proximo*, antiquam diſciplinam vindicandam duxit, omneſque Beneficiarios nullâ ratione habitâ tenuitatis Beneficii, precibus Canonicis ſubjecit; ac plerique deinceps Theologi & Canoniſtæ, ut Navarrus in enchyrid. de oratione cap. 7. & in Manuali cap. 25. num. 102. Covarruvias lib. 3. variarum reſolutionum cap. 13. Azorius p. 1. inſtit. moral. lib. 10. cap. 4. Comitolus loco citato, Fagnanus in cap. *conquerente*, de Clericis non reſidentibus; Thomaſſinus de vetere & novâ diſciplinâ p. 1. lib. 2. cap. 85. & alii communem & antiquam ſententiam in ſacris Eccleſiæ Canonibus, & Decretis fulcitam amplexi, intellexerunt æquum non videri, quòd Beneficiarii gratis, & ſine ullo officio gaudeant privilegio Clericali, & immunitate à communibus Reipublicæ oneribus, tacitumque divini officii perſolvendi pactum iniiſſe Clericos, quando vèl tenuiſſima Beneficia acceptarunt.

Ceterùm hæc intelligi velim, ſalvâ legitimè præſcriptâ in contrarium conſuetudine, ſi qua talis alicubi introducta reperiatur: in dubio autem conſulendos crediderim locorum Epiſcopos Eccleſiaſticæ diſciplinæ, maximè in quæſtionibus arduis, de quibus Docti inter ſe non conſentiunt, legitimos Interpretes ac vindices.

Q. 6°. *Qui nullos percipit fructus ex ſuo Beneficio, tenetur-ne ad Horas Canonicas?*

R. 1°. Si per ipſum ſtet, quominus percipiat; quia vel non reſidet, vel nondum eſt ſacris initiatus, tenetur recitare. Ratio eſt, quia Eccleſia non debet privari ſuo ſervitio, propter voluntatem vel culpam Miniſtri, qui ſi nul-

lum ex Beneficio percipiat fructum, ſibi imputare debet.

R. 2°. Si abſque culpâ ſuâ nullos omninò reditus percipiat, neque poſteà percepturus ſit, ut ſi fundi, ex quibus eccleſiaſtici reditus proveniunt, ab hoſtibus occupati teneantur, non obligatur ad officium divinum. Ratio eſt, quia Beneficiarii, neque ex ſuâ, neque ex intentione fundatoris ſe obligant ad ullum officium, niſi perſolvantur eis aliqua ſtipendia; quia in omni pacto, ſi unus partes ſuas non impleat, alter non tenetur quidquam implere.

Dixi, 1°. *nullos omnino reditus*; nam ſi partem fructuum, vel ſaltem diſtributiones lucretur, à recitando officio non excuſabitur.

Dixi, 2°. *neque poſteà percepturus ſit*; quia in hâc hypotheſi nulla eſt ſufficiens ratio propter quam excuſetur.

Q. 7°. *Solus titulus Beneficii obligat-ne ad recitandum, etiam non adeptâ poſſeſſione?*

R. Multi aſſerunt ſolum titulum ſufficere poſt ejus acceptationem; tùm quia qui acceptavit, habet jus in re: tùm quia, niſi recitaret, Eccleſia careret debito ſervitio. Communior tamen ſententia eſt, quam uſus comprobat, nullam eſſe recitandi obligationem ante initam poſſeſſionem, dummodò non ſtet per Beneficiarium quominùs poſſeſſionem adeat. Ratio eſt, quia ante adeptam poſſeſſionem non cenſetur aliquis perfectè Beneficium conſecutus; multaque impedimenta poſſunt occurrere, quominus proviſus poſſeſſionem acquirat.

Dixi, *dummodò non ſtet per Beneficiarium;* quia ſi vel fraudulenter moras prætendat, aut negligenter ſe gerat, non debet fraus vel negligentia illi prodeſſe, neque Eccleſia privanda eſto officio debito propter culpam Beneficiarii.

Ad primam rationem ſententiæ oppoſitæ reſpondeo, Beneficiarium, ratione tituli habere quoddam jus directum in re, non verò jus indirectum ſeu utile: ſiquidem nonobſtante titulo reſignans percipit fructus quandiu à poſſeſſione non eſt amotus.

Ad ſecundum reſpondeo, vacare, ſi nullus actu poſſideat: non mirum autem, ſi Beneficium vacans privetur Officio.

Urgeri poteſt, quòd ſæpè fructus reſerventur proviſo, etiamſi nondum inierit poſſeſſionem: ergo proviſus tenetur Officium perſolvere ante poſſeſſionem adeptam.

Propter hanc rationem Navarrus contendit hujuſmodi proviſum teneri recitare ante poſſeſſionem adeptam, ſed aliis parum urgens videtur; quia fructus Beneficii vacantis, ad quod nullus adhuc inſtitutus eſt, reſervantur futuro Beneficiario: nullus autem dixerit eum, qui poſteà inſtitutus eſt, teneri ad aliquod Officium perſolvendum pro tempore præcedente ipſius inſtitutionem.

Q. 8°. *Attentio eſt ne neceſſaria, ut Beneficiarius ſatisfaciat præcepto recitandi Horas Canonicas, adeò ut ſi recitaverit ſine attentione, non faciat fructus ſuos?*

R. Eſt neceſſaria; probaturque 1°. ex citato capite *Dolentes*, ubi habetur: *Diſtrictè præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum Officium diurnum pariter & nocturnum, quantùm eis dederit Deus, ſtudiosè celebrent pariter & devotè. Studiosè*, inquit Gloſſa, *quantùm ad officium oris, & devotè quantùm ad officium cordis.*

Probatur 2°. ex dictis, Beneficiarius tenetur Officium divinum perſolvere: Atqui ſine attentione nullum reddit officium, nullam orationem fundit; oratio enim eſſentialiter eſt elevatio mentis ad Deum.

Confirmatur auctoritate Cleri Gallicani, qui anno 1700. doctrinam contrariam damnavit *tanquam abſonam, verbo Dei contrariam, hypocriſim inducentem, à Prophetis & Chriſto damnatam his verbis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Dices: Eccleſia non præcipit actus internos: Atqui attentio eſt actus interior. Ergo.

Reſpondeo 1°. Poſſe aliquem ſe obligare ex pacto ad actus internos, v. g. accipere eleemoſynam cùm pacto orandi pro eo, qui illam largitus eſt; cùm enim quilibet ſit dominus actuum ſuorum maximè internorum, poteſt de iis diſponere. Porro Beneficiarius quoddam pactum iniit ſaltem virtuale, orationes fundendi, quando acceptavit Beneficium, ergo objectio non ſpectat Beneficiarios, ſed ſolos Clericos in ſacris conſtitutos, quia quandiù carent Beneficio, ex mero præcepto eccleſiaſtico tenentur Horas Canonicas perſolvere.

Reſpondeo, 2°. Diſtinguo majorem. Eccleſia non poteſt præcipere actus internos directè, tranſeat: Indirectè, quando ſcilicet ita conjuncti ſunt actui externo, ut ſine iis elici non poſſit: Nego majorem. Sicut enim pater præcipiens filio aliquod opus externum, indirectè præcipit voluntatem illius faciendi, quæ voluntas eſt actus merè interior; quia opus illud non poteſt perfici ſine voluntate: Similiter Eccleſia præcipiendo orationem vocalem, præcipit attentionem, ſine quâ nulla eſt oratio vocalis.

Q. 90. *Quo in loco officium divinum eſt recitandum?*

R. Beneficiarii choro addicti, qui legitimo impedimento ceſſante abſunt à choro, dum Horæ Canonicæ cantantur, peccant graviter, niſi

levitas materiæ excuſet ; & ad reſtitutionem teneantur.

Probatur 1°. ex Bullâ Bonifacii VIII. quam Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. renovavit referturque cap. unico *de Clericis non reſidentibus* in ſexto, his verbis : *Conſuetudinem, quæ in quibuſdam partibus inolevit, quâ Canonici & alii Beneficiarii ſeu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum, etiam diſtributiones quotidianas qualitercunque in civitatibus ſeu in aliis locis (in quibus ipſæ conſiſtunt Eccleſiæ) ſint præſentes, licèt divinis Officiis non interſint, penitus improbantes, ſtatuimus, ut diſtributiones quotidianæ, in quibuſcunque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiatis & Clericis ipſarum Eccleſiarum, qui iiſdem Officiis in ipſis Eccleſiis adfuerunt, tribuantur. Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quidquam receperit, exceptis iis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret, rerum ſic acceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas; imò ad omnium reſtitutionem, qui contra hanc noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro defunctorum anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum.*

Probatur 2°. ex cap. ſæpiùs citato. *Si quis Preſbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus in quolibet loco fuerit, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi Officium matutinis vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non convenerit, deponatur à Clero.*

Probatur 3°. ratione jam allatâ : Qui ex Officio aliquas actiones exercere tenetur, & propter eas ſtipendia accipit, ex juſtitiâ naturali debet eas exercere ; & niſi fecerit, tenetur ad reſtitutionem : Atqui tales ſunt ii Beneficiarii, de quibus hîc loquimur : Ergo.

Dixi, *niſi levitas materiæ excuſet*; nam ſi abſentia à choro aliquâ parte horæ non ſit tanta, ut ſit digna privatione diſtributionis correſpondentis illi horæ, certum eſt, non ſufficere ad peccatum grave: v. g. ſolet eſſe ſtatuto vel conſuetudine receptum, ut qui chorum ingreditur circà finem primi Pſalmi, non mulctetur, ſicque ordinat Concilium Baſileenſe, ſeſſione 21. articulo 1. & Pragmatica ſanctio, ſub Carolo VII. Non eſt autem veriſimile hujuſmodi negligentiam liberam fore à mulcta, ſi eſſet peccatum mortale. Eſt tamen veniale peccatum; quia qui ſine legitima cauſa tardè accedit ad chorum, partem Officii non implet. Addit Suarez, libro 4. *de Horis Canonicis*, capite 13. numero 4. *Quòd ſi quis haberet formale aut virtuale propoſitum ſemper omittendi in ſingulis horis partes illas, quas ſine mulcta omitere poteſt, non videtur ſecurus in conſcientia: tùm quia illud omiſſum ſimul ſumptum grave eſt; & cùm ſervitium choro debitum ſit quaſi quoddam totum, magna & gravis pars ab illo ſubtrahitur prædicto modo: tùm quia etiam ille affectus oſtendit quendam ſervilem animum inſerviendi choro ſolùm timore pœnæ, & affectu lucri; quandoquidem quoties ſine jactura lucri omitti poteſt, ex deliberato animo omittitur. Oportet ergo bonâ fide procedere, animo integrè ſerviendi; & tunc licèt ſæpè & ſæpiùs illæ particulæ Horarum omittantur, ſolùm erunt multiplicata venialia.* Hactenus Suarez.

Sed quanta debeat eſſe abſentia ad peccatum mortale, non audet aſſerere idem Suarez abſentiam à toto Officio divino poſſe eſſe abſque peccato mortali, quando nulla ſubeſt rationalis cauſa: quod intelligendum eſt de abſentia ultrà duos aut tres menſes, quos Concilium concedit Canonicis. Sed certum mihi videtur diè unâ

aut alterâ abeſſe à choro, non eſſe materiam peccati mortalis; quia levis admodum videbitur ei, qui comparaverit diem unam aut alteram cum trecentis aliis circiter diebus, quibus aſſiduus eſt in choro.

Monet Layman poſſe faciliùs peccatum mortale contingere, ſi ex abſentiâ grave damnum Eccleſia patiatur; putà quia malè officium perficitur.

Ex his ſequitur 1°. Peccare eos, qui ſine aliquâ ex cauſis in jure recenſitis, ſolent abeſſe à choro dum minores Horæ cantantur; quia illæ Horæ pertinent ad integritatem Officii: nec Canones diſtinguunt inter majores & minores Horas; ſed indiſtinctè compellunt ad Officium diurnum & nocturnum; imò cap. *Preſbyter* lib. 3. Decretalium tit. 3. *de celebratione Miſſarum*, meminit Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, quas Preſbyter ruralis juxta poſſibilitatem ſuam debet in Eccleſiâ canere, licèt privatim recitaverit. Et S. Pius V. ſatis expreſsè notavit decantandas in choro, ita ut Canonicus, qui omnes, vel aliquam ex his minoribus Horis non decantaverit, privetur parte diſtributionum.

Confirmatur ex Concilio Baſileenſi loco citato, ubi habetur: *juxtà menſuram laboris plus minùſve quiſque capiat emolumenti, tollaturque abuſus, quo præſens unâ horâ duntaxat, totius diei diſtributiones uſurpat.* Eadem repetit Pragmatica Sanctio. Unde patet, Capitulum non poſſe ſtatuere, ut quis lucretur totius diei diſtributiones, ſi ex ſeptem horis, tribus tantùm adſit. Ita cenſuerunt nonnulli inter Theologos Pariſienſes celeberrimi, improbantes ſtatutum illud Eccleſiæ Cathedralis N. quo declarabantur Canonici immunes à minoribus Horis.

Sequitur 2°. manifeſtum abuſum eſſe eorum

Capitulorum, ubi totaliter eximuntur ab Officio divino ii, quos Jubilatos vocant; etiamſi ſint vegeto corpore, poſſintque cum aliis divina perſolvere officia; & ratio eſt, quia nullum Capitulum ſuis ſtatutis poteſt derogare juri naturali & communi.

Sequitur 3°. Officiales & hos omnes Canonicos, quibus vel ratione Beneficii, quales ſunt Archidiaconatus, Præbenda Theologalis, Pœnitentiaria; vel prætextu comitatûs, quem præbent Epiſcopo, conceditur abeſſe à choro, peccare, nec facere fructus ſuos, ſi abſint, nec ſint legitimè impediti. Ita Concilium Baſileenſe loco citato, & Pragmatica Sanctio. Hæc ſunt verba Concilii: *Tollens prorſus abuſum illum, quo Præpoſiti vel decani alii Officiales, ex hoc ſolùm quod Officiales ſint, licèt actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.*

Sequitur 4°. eos errare qui putant præceptum, quo cautum eſt ut Canonici interſint choro, eſſe ſolummodò pœnale, adeo ut ſi ſine legitimâ causâ non interfuerint, incurrant tantùm pœnam privationis fructuum, nam peccant inſuper, quatenus omittunt actionem debitam.

Sequitur 5°. mutilationem verſuum aut verborum non eſſe ſine peccato, Nam qui debet totam aliquam quantitatem, non ſatisfacit dando partem; & quamcunque ſubtrahat invito domino, peccat: ſed Canonicus tenetur etiam in choro reddere integrum Officium: Ergo quæcunque mutilatio talis Officii peccaminoſa eſt, ſi ſit voluntaria.

Addit Navarrus in eâ timendam eſſe culpam gravem: *Interdum*, inquit cap. 10. *de Oratione, qui cantant aut recitant, omittunt tantam partem verſuum, Pſalmorum, vel deglutiendo, vel*

corrumpendo, vel ſyncopando verba, ſyllabas, vel litteras, ut ex ita omiſſis fieret pars notabilis Horæ. Et certè in citato capite *Dolentes*, ſatis innuitur mortalem eſſe hujuſmodi culpam. Poſtquam enim Concilium reprehendit Clericos, qui tranſcurrunt continuatâ ſyncopâ Matutinum, ſubdit: *Hæc & ſimilia ſub pœnâ ſuſpenſionis penitus inhibemus.*

Notat Suarez, graviorem eſſe culpam, cùm fit à toto choro, quàm cùm fit ab uno aut altero, tantùm nimirum propter ſcandalum, quod inde oritur: & hujus culpæ præſertim reus eſt, qui præeſt choro, vel cantum dirigit; deinde qui cooperantur, vel non obſiſtunt, quantùm poſſunt.

Dices 1°. Si Canonicus non interſit Capitulis non peccat: Ergo neque peccat, ſi choro non interſit, cùm Canonicatus non minùs requirat aſſiſtentiam in Capitulo, quàm præſentiam in choro.

Reſpondeo 1°. Nego conſequentiam; quia diſtrictior eſt obligatio aſſiſtendi choro, quàm Capitulis; cùm in his ut plurimùm de rebus agatur temporalibus, in illo verò de ſpiritualibus. Quare qui ad Capitulum tempore divinorum Officiorum vocatur, non tenetur accedere ordinariè loquendo; quia præcipuum Canonici officium eſt choro intereſſe.

Reſpondeo 2°. etiam illum, qui frequenter abeſt à Capitulo ſine legitimâ causâ, peccare graviter; quia tenetur conſulere Eccleſiæ, ne grave damnum patiatur.

Dices 2°. Plures Canonici anniverſaria fundarunt eâ intentione, ut celebrarentur juxta morem ſuarum Eccleſiarum, quem ipſimet, dum viverent, ſecuti ſunt: Atqui in quibuſdam Eccleſiis anniverſaria celebrantur juxta morem

ibi receptum à Subſtitutis & Cantoribus conductitiis; ſatiſque eſt pro Canonicis ad lucrandas diſtributiones, ſi præſentiam ad momentum exhibeant, ſtallumque in choro tranſeunter tangant. Ergo illa anniverſaria ſaltem debent excipi à regulâ canonicâ. En aries & palmare quorumdam argumentum contra præſentiam dinis Officiis debitam.

Reſpondeo 1°. interrogandos eſſe eos, qui hæc objiciunt, & qui forſitan tali abuſu detinentur, utrum poſito quòd anniverſaria fundarent, ita vellent celebrari? cur ergo non ex ſeipſis de aliis judicant? fuerunt itaque Fundatores illi ſecundùm quid involuntarii, id eſt, noluiſſent, ſi fieri potuiſſet, ut anniverſaria à ſe fundata eo modo celebrarentur, quo expediret propriæ ſaluti. Et hoc illuſtrari poteſt exemplo illius, qui poſtquam ſæpius dedit pecuniam ſuam ad uſuram, tandem aliquando coactus eſt mutuo accipere cum pacto uſuras ſolvendi; verum eſt enim quòd injuriam patiatur ſic ſolvendo, nec ex priſtinâ praxi cenſeri debet omninò voluntarius.

Reſpondeo 2°. quidquid ſit de intentione Fundatorum, certum eſt hujuſmodi anniverſaria fuiſſe acceptata non in deſtructionem, ſed in ædificationem Eccleſiæ; in ſalutem, non in gravamen animarum. Porro modus ille celebrandi anniverſaria, ex quo deſumitur objectio, eſt contra bonos mores, vergit in Dei contemptum, & ſcandalum fidelium, quibus, ut verbis Concilii Trevirenſis utar, videntur Cantores potiùs inſanire, quàm laudare Deum. Et ſi quis in teſtamento ſuo ordinaſſet, ut poſt mortem ſuam ita anniverſaria tumultuosè pro ſe celebrarentur, graviter peccaſſet, nec rediret annua dies luctuoſi illius cantûs, niſi ut in

memoriam revocaretur ejus iniquitas, & ira Dei contra ipſum provocaretur.

Dices 3°. Qui Canonicatum aut Præbendam acceptat, tenetur ſolummodò ad ea Officia, quæ erant in uſu tempore acceptationis: Atqui uſus communis quarumdam Eccleſiarum ſive Cathedralium, ſive Collegiatarum erat, ut Canonici nullis Horis minoribus adeſſent; majoribus verò ſolummodò quantùm neceſſe eſſet ad lucrandas diſtributiones, id eſt, per aliquam partem, quâ expletâ recedebant, reliquum Officii dimittentes Vicariis & mercenariis conductis: ergo ad plura non tenentur, idque explicant exemplo eorum, qui profitentur in monaſteriis: illi quippe non tenentur alia obſervare, quàm quæ erant in uſu dum profeſſi ſunt.

Reſpondeo 1°. Hoc argumento concluderetur nullum remedium adhiberi poſſe innumeris corruptelis, quæ aliquando Reſpublicas ſubvertunt; nec licitum eſſe corrigere Judices, v. g. Magiſtratus, Cauſidicos, Mercatores, &c. ut à multis rapinis abſtineant, quæ erant communiter in uſu dum Officia ſuſceperunt, vel artes didicerunt; & ſine quibus vel tanti non emiſſent Officia, vel tales artes non fuiſſent profeſſi; quod quàm abſurdum, nemo non videt.

Reſpondeo 2°. Diſtinguo majorem. Si conſuetudo non ſit contra jus naturale, aut divinum, nec repugnet bono communi, officio & ſtatui perſonæ, Concedo: Secùs, Nego majorem. Sic v. g. cùm carnibus veſci non ſit contra votum multorum Regularium, nec repugnet bono regimini Congregationis vel Ordinis regularis; poteſt Religioſus profeſſus tutâ conſcientiâ iis veſci, ſi conſuetudo his utendi ſit univerſaliter recepta in Ordine vel Congre-

gatione, in quâ degit, & ita ſolebant omnes veſci quando profeſſus eſt: quamvis fortè initio naſcentis Ordinis conſtitutio prohibens uſum carnium vigeret. At verò corruptela dicenda eſt conſuetudo contraria votis, putà paupertatis vel obedientiæ; ut ſi mos in Congregatione eſſet univerſaliter receptus privatim aliquid poſſidendi Superiori, non obediendi, niſi dum luberet. Nec refert, quod dicat privatus Religioſus ſe vota non fuiſſe emiſſurum, ſi præmonitus fuiſſet hunc vivendi morem non eſſe licitum, nam quandiu Religioſus manet, debet Religioſam vitam ducere. Similiter beneficiarius tenetur vel beneficio cedere, vel onera ejuſdem Beneficii ſuſtinere.

Inſtabis: Ille cenſetur officio ſuo ſatisfacere, qui per alium implet, cùm non interſit fundatorum aut Eccleſiæ, an per hunc aut per alium impleatur. Quod confirmari poteſt exemplo Beneficiariorum illorum, quorum Beneficia dicuntur ſimplicia, qui communiter non per ſe, ſed per alios officium reddunt abſque ullius detrimento. Unde plura hujuſmodi Beneficia ſolent uni concedi; quod ſignum eſt illum non teneri per ſeipſum ſatisfacere, cùm non poſſit ſimul in pluribus locis reſidere.

Diſtinguo propoſitionem. Ille cenſetur officio ſatisfacere, qui per alium implet, quando non poteſt per ſe, aut major apparet Eccleſiæ utilitas, ut per alium impleat, Concedo: Quando poteſt per ſe implere, nec majus Eccleſiæ bonum poſtulat, ut alius ſubſtituatur, Nego abſolutè. Neque enim unquam bonus Paſtor habetur, qui nihil exequitur eorum quæ à bono Paſtore adimplenda ſunt; nec bonus miles, qui nunquam militat. Nec ſatisfacit ſi quis dicat per Vicarium aliquando perfectiori modo Officium ſolvi,

quàm per ipſum Beneficiarium; nam magnum ſcandalum in Eccleſiâ orietur, ſi abſque urgenti neceſſitate, qui aliis exemplo prælucere debent, quales ſunt Clerici, non præſtarent ea quæ ſunt proprii Officii.

Confirmatur 1°. ex politicis: Rex aut Reſpublica non patietur, ut Præfectus urbis alicujus aliò divagetur, ſubſtitutis aliis qui invigilent. 2°. Alexander VII. hanc damnavit propoſitionem tanquam ſcandaloſam, anno 1665. poſt Decretum Urbani VIII. *Poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.* Eandem propoſitionem Facultas Pariſienſis declaravit eodem anno, falſam, faventem turpi lucro, avaritiæ, & injuſtitiæ. Et ratio eſt, quia hujuſmodi Sacerdos abſque juſto titulo retinet partem ſtipendii, cùm nullam partem ſolvat Officii. Porrò eadem eſt ratio de Beneficiario, qui retinet partem fructuum Beneficii, cùm totum onus in alium refundat.

Ad confirmationem reſpondeo, eſſe communem ſententiam Juriſperitorum, quibus ſubſcribunt Azor, Layman, & alii plures, omne Beneficium etiam ſimplex ex naturâ ſuâ exigere reſidentiam, cùm ſine eâ non poſſit impleri Officium, propter quod datur Beneficium. Praxis tamen eſt contraria, nec videtur improbari ab ullo ex Paſtoribus. Et ratio quæ poſſit illam excuſare, afferri poteſt, quod communiter Fundatores hujuſmodi Beneficiorum ad ea nominant juvenes, qui per ſe non poſſunt implere officia; quod ſignum evidens eſt, eos nunquam intendiſſe, ut Beneficiarii illi per ſe ipſos officia ſolverent. Alia ratio afferri poteſt, quòd illa Beneficia non ſoleant ſufficientes habere reditus ad alendum Beneficiarium, qui proinde

ſe aliò conferre cogitur, ut habeat unde vivat.

Quod autem additur, eundem Clericum poſſidere aliquando plura Beneficia ſimplicia, confirmat noſtram ſententiam; nam ſi quodlibet ſufficiat ad honeſtam ejus ſuſtentationem, contra jus naturale facit retinendo plura Beneficia, ut docet S. Thomas; niſi forſitan propter evidentem Eccleſiæ utilitatem cum ipſo ſit diſpenſatum. Id ipſum autem apertè tradunt Canones de præſentiâ Canonici in choro à quâ diſpenſatur, vel propter neceſſitatem, vel propter evidentem Eccleſiæ utilitatem.

Spectat autem ad Eccleſiæ utilitatem, 1°. quod habetur cap. *ſuper ſpecula*, tit. *de Magiſtris* docentes in Teologicâ Facultate, dùm in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipsâ integrè per annos quinque percipiant proventus Præbendarum & Beneficiorum ſuorum, nonobſtante aliquâ contrariâ conſuetudine, vel ſtatuto, cùm denario fraudari non debeant in vineâ Domini operantes. Eadem habet Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. cap. de reform. his verbis: *Docentes verò ipſam ſacram Scripturam, dùm publicè in ſcholis docuerint, & Scholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum ſuorum in abſentiâ à jure communi conceſſis, plenè gaudeant & fruantur.*

Plurimi tamen meritò limitant circa docentes Theologiam in Univerſitate, ſi rari ſint hujuſmodi Doctores, & vergat in Eccleſiæ commodum, ut hi potiùs quàm alii doceant.

Spectat 2°. ad Eccleſiæ utilitatem, quod legitur cap. *Ad audientiam*, de Canonicis Epiſcopo miniſtrantibus, tit. *de Clericis non reſidentibus. Ad audientiam noſtram pervenit, quòd cùm in Meldenſi Eccleſiâ quædam ſit conſtitutio vallata*

juramento & auctoritate Sedis Apoſtolicæ firmata, ut Canonici, qui non reſident in eâdem, ſuarum priventur fructibus Præbendarum, illis exceptis, quos infirmitas excuſaret, ſive in Apoſtolicæ ſedis ſervitio contingeret detineri: decernimus ut duo ex Canonicis Eccleſiæ commemoratæ, in tuo ſervitio exiſtentes, fructus ſuarum Præbendarum integrè percipiant, cùm abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui tecum pro tuo & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur. Eadem habentur cap. de *cetero*, eodem titulo.

Q. 10°. *Qui choro addicti ſunt, tenentur-ne etiam cantare?*

R. 1°. Certum eſt hujuſmodi non ſatisfacere debito, exhibendo præſentiam ſolùm materialiter; ſed tenentur vel attendere ad ea, quæ cantantur: vel in aliis orationibus occupari eo ferè modo quo Fideles tenentur adeſſe Miſſæ ſacrificio diebus Feſtis, & ratio eſt, quia debent convenire in chorum, ut Officium divinum perſolvant: Atqui ſine attentione ad divina nullam orationem fundunt, nullum Officium divinum ſolvunt: Ergo debito ſuo non ſatisfaciunt, niſi attentionem conſervent. Ac proinde graviter peccant, ſi diſtractio ſit diuturna, & ad reſtitutionem tenentur. Unde colliges, cantum eſſe Canonicis auxilium, non verò onus, cùm ſine cantu difficiliùs attentionem ſervare poſſint. Sequitur etiam ex hâc reſponſione, eos qui deferunt libros ad chorum, dùm Officium cantatur, eoſque legunt ſimpliciter ut diſcant, non verò ut orent, nec ut afficiantur ad divina, non adhibere præſentiam, quam requirit Beneficium: nec proinde lucrari fructus.

R. 2°. Jure communi hujuſmodi Beneficiarii tenentur cantare.

Probatur 1°. ex cit. cap. ult. *Si quis Preſbyter*, ubi ſic legitur: *Ad quotidianum pſallendi Officium in Eccleſiam conveniant Clerici, qui tali Eccleſiæ deputati ſunt.* Convenire autem ad pſallendum Officium non eſt convenire in locum, ubi pſallitur ad audiendam ſimpliciter pſalmodiam, ſed eſt convenire ad pſallendum cum pſallentibus.

Probatur 2°. ex Concilio Trevir. cap. cit. *de Horis Canonicis. Nullus dum Canonicæ preces in templo publicè cantantur aut leguntur, audeat privatim ibidem aliquid legere, ac ne horas quidem Canonicas abſolvere; ſed concinat, ac unà cum fratribus Deum honorificet. Contrarium qui fecerit, tanquam abſens habeatur.*

Probatur 3°. ex Concilio Baſileenſi, ſeſſ. 21. cap. 3. *Cùm in choro fuerint*, inquit, *gravitatem ſervent, quam & locus & Officium exigunt, non ſimul & cùm aliis confabulantes ſeu loquentes, aut litteras ſeu ſcripturas alias legentes. Et cùm pſallendi gratiâ ibidem conveniant, juncta & clauſa labia tenere non debent; ſed omnes, præſertim qui majori funguntur honore, in pſalmis, hymnis & canticis Deum alacriter modulentur. Cum dicitur*, Gloria Patri, &c. *omnes conſurgant. Cum nominatur glorioſum illud nomen,* JESUS, *omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum Horæ in communi publicè cantantur, legat vel dicat privatim Officium; nam non ſolùm obſequium, quo obnoxius eſt, choro ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. Super his debitè obſervandis, aliiſque ad divini Officii proſecutionem ac chori diſciplinam ſpectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet. Horum autem tranſgreſſores, illius horæ, in quâ circa prædicta exceſſerint, vel aliâ majori, prout tranſgreſſionis gravitas exegerit, plectantur pœnâ.* Iiſdem ferè verbis idem ſanxit pragmatica Sanctio ſub Carolo VII. cap. 10.

Probatur 4°. ex Concilio Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. *Omnes verò Canonici divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire Officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti aſſiſtere & inſervire, & in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè devotèque laudare.*

Probatur 5°. ratione; Quia hujuſmodi Clericis dantur reditus ſpecialiter, ut choro inſerviant: Sed ſi non canunt, non ſerviunt, nec implent officium ſuum: Ergo contra juſtitiam peccant, nec faciunt fructus ſuos.

Confirmatur hæc ratio. Non conducitur operarius ad vineam, ut ibi aſſiſtat, ſed ut in eâ laboret; nec Parocho datur Beneficium, ut ſit præſens in ſuâ Eccleſiâ, ſed ut in eâ miniſtret; Ergo nec Canonici præſentia propter ſe poſtulatur, ſed propter miniſterium: alioquin ſi poſſent omnes ibi adeſſe & tacere, vel obmurmurare, quomodo tandem divinum Officium impleretur?

Confirmatur iterum. Eſt obligatio impoſita collegio Canonicorum canendi in choro; nec eſt major in uno Canonico, quàm in aliis: Ergo eſt in ſingulis; alioquin unuſquiſque excuſari poſſet, quod non teneretur canere ratione ſui muneris; & ita non eſſet divino ſufficienter proviſum officio.

Doctrinam hiſce duabus reſponſionibus contentam ſatis probant Theologi; & reverà non video quid contra illam poſſit objici. Sed diſſentiunt circa conſuetudinem nimis communem in multis Eccleſiis, tum Cathedralibus, tum Collegiatis, in quibus Canonici officio ſuo abundè fungi videntur, ſi aſſidui & modeſti adſint in choro, totumque onus pſallendi ſive canendi imponunt Vicariis & conductitiis hominibus, per

quos muneris ſui partes adimplere arbitrantur. Quamobrem multi Theologi docent, nonobſtante jure communi, Canonicos muneri ſuo ſatisfacere aſſiſtendo cum attentione & devotione; etiamſi non pſallant, modò ex eorum ſilentio divinum Officium nullum patiatur detrimentum, probantque ſuam ſententiam, 1°. Quia conſuetudo poteſt derogare jure communi. 2°. Quia non eſt credibile, quòd ſilerent Paſtores, ſi conſuetudo tam univerſalis eſſet corruptela & abuſus. 3°. Quia nonnullæ Eccleſiæ jactant ſe habere privilegia Sedis Apoſtolicæ, quibus eximantur ab onere canendi.

Alii verò contendunt conſuetudinem illam non poſſe derogare juri communi; ac proinde omnes Canonicos teneri canere in choro. 1° Quia ut conſuetudo deroget legi, debet eſſe univerſalis. Porro multæ ſunt Eccleſiæ, tum Cathedrales, tum collegiatæ, in quibus Canonici Horas decantant. In illis verò Eccleſiis, ubi præceptum non ita religiosè obſervatur, potiùs habenda eſt ratio eorum, qui pietate & eruditione ſunt commendabiles, quam aliorum, qui vel ignorantes legem, ſequuntur turbam cœcam, & cum illâ in foveam cadunt: vel in his ſicut & in ceteris negligenter ſe gerunt. Vera enim eſt ſententia Alberti Magni, *quòd non minùs peccat, qui cum multis peccat; non minùs ardebit, qui cum multis damnabitur.* 2°. Quia nunquam præſcribit conſuetudo contra legem naturalem. Qui autem percipit fructus aut ſtipendia propter aliquod Officium, tenetur lege naturali illud Officium implere, ut ſæpiùs jam diximus. Ergo quicumque ratione Beneficii obligatur ad Officium in choro canendum, debet illud canere, niſi infirmitas aut evidens Eccleſiæ utilitas illum excuſet. 3°. Quia Concilia

nunquam approbârunt illam conſuetudinem; imò vero rejecerunt tanquam abuſum & meram corruptelam. 4°. Quia ſi per ſubſtitutos liberarentur à cantu, poſſent etiam per eoſdem liberari ab adſiſtentiâ in choro, quod omnes concedunt eſſe abſurdum. Itaque Vicarii Semipræbendati, ut vocant, & alii Cantores, non accipiunt ſtipendia, ut omninò liberentur Canonici; ſed ut juventur & ſuppleant defectum vocis debilioris. 5°. Vix Canonici poſſunt ſilere in choro, quin magnum detrimentum patiatur Officium divinum. Hinc enim ſequitur illud præcipitanter, ſine gravitate, modeſtiâ, & attentione decantari à mercenariis illis Cantoribus, qui ducti auctoritate quorumdam Theologorum, non exiſtimant ſe teneri attendere ad ea quæ dicunt, cùm ſint ſolummodò conducti ad ſonos depromendos, & ita non jam Deum laudare, ſed tumultuoſum ſtrepitum edere & importunum.

Quod ſpectat ad Privilegia Sedis Apoſtolicæ, quæ jactant ſe habere nonnullæ Eccleſiæ, reſpondent illi Theologi, nihil poſſe Sedem Apoſtolicam in deſtructionem, ſed omnia facere in ædificationem, & in majorem Eccleſiæ utilitatem. Quare ſi quæ habent hujuſmodi privilegia, promere debent, ut appareat quâ occaſione conceſſa fuerint, & quòuſque ſe extendant. Pro certo autem eſſe debet, quòd nunquam Sedes Apoſtolica exemerit abſolutè Canonicos à præcepto canendi in choro; cùm in confeſſio ſit apud omnes praxim illam eſſe conſulendam ut pote ipſis Canonicis ſaluberrimam, toti Eccleſiæ proficuam, Deo gratiſſimam, & ſæpiùs in Conciliis præceptam. *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur*, ait Celeſtinus Summus Pontif. in epiſt. ad Epiſcopos Illyrici: *nam*

quod

quod ab illorum regulis conſtitutionibuſque diſcordat, nunquam obtinebit Sedis Apoſtolicæ conſenſum. Addit ſanctus Leo, cognomento Magnus, epiſt. 62. & Martinus I. epiſt. 9. *Canones Eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus, qui defenſores & cuſtodes Canonum ſumus, non tranſgreſſores.*

Ex his momentis in utramque partem propoſitis facilè colliget unuſquiſque quam ſententiam tutò ſequi poſſit.

Hîc quærendi eſſet locus, utrùm Beneficiarius in peccato mortali exiſtens ſatisfaciat præcepto divini Officii: ſed ita certum ſupponitur hujuſmodi ſatisfacere, ut vix reperiatur auctor, qui hâc de re tractet, aut ſcrupulum moveat. Attamen nonnulla afferri poſſunt, quibus videatur ſuaderi Beneficiarium, qui exiſtens in peccato mortali Horas Canonicas ſolvit, non ſatisfacere præcepto. Primum eſt illud Joan. 9. *Deus peccatores non exaudit.* Secundum, opera peccatoris ſunt mortua, & nullius momenti. Tertium quia indignum eſt, & contra rectum ordinem, ut homo Dei inimicus tanquam legatus apud eum agat nomine Eccleſiæ. Quibus difficultatibus ut ſatisfiat

Nota 1°. in oratione tria eſſe attendenda. Primum eſt, quòd ſit opus bonum, ac proinde meritorium, ſi adſint omnes conditiones. Secundum, quod ſit ſatisfactorium; quamobrem ſolent injungi preces pœnitentibus in ſatisfactionem. Tertium, quod ſit impetratorium.

Nota 2°. Beneficiarium peccatorem poſſe orare, vel proprio nomine, vel nomine Eccleſiæ, à quâ deputatur. His poſitis,

Certum eſt 1°. orationem peccatoris non eſſe meritoriam de condigno; quia deeſt illi conditio operis meritorii; debet enim eſſe elicitum ab homine juſto. 2°. Non eſſe ſatisfactoriam

per ſe, ſeu ex opere operantis, propter eandem rationem. Dixi, *ex opore operantis;* nam ex opere operato, & quatenùs illa oratio eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ, ſi præcepta fuerit à Confeſſario in ordine ad abſolutionem, erit ſatisfactoria ex opere operato. Sed de fide eſt, orationem utiliter fundi à peccatoribus, haberetque vim impetrandi remiſſionem peccatorum, maximè ſi moveatur ex quâdam diſplicentiâ peccati, & deſiderio ab eo recedendi. Nam peccator duplici modo poteſt eſſe affectus: 1°. ita ut diſpliceat ei peccatum, deſideretque ab eo liberari: 2°. ita ut propoſitum habeat in eo permanendi. Dubitare non licet, quin peccator primo modo affectus utiliter oret; ſed circà alterum videtur eſſe controverſia, quam Cardinalis Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 6. exponens quintam petitionem orationis Dominicæ, dirimit his verbis: *Sin autem non cupit gratiam converſionis, neque ex animo illam petit, ſed vel orat ſolis labiis ex conſuetudine, vel, quod gravius eſt, ut videatur ab hominibus; is non ſolùm nihil impetrat, ſed etiam oratio ejus fiet in peccatum.* Certè vix concipi poteſt ibi ſupereſſe gradum aliquem devotionis, ad orationis præceptum, & fructum omninò neceſſariæ, ubi nullus Dei timoris ſenſus. Neque is tamen à recitando Officio aut avocandus, aut excuſandus; ſed terrendus & monendus potiùs, ut aliter affectus ad orationem accedat.

Certum eſt 2°. Horas canonicas ſolvi à Sacerdote nomine Eccleſiæ, atque eo nomine magnam habere efficaciam: Sacerdotium enim à Chriſto Domino inſtitutum eſt, non ſolùm ut in ejus perſonâ Sacerdos Evangelicus poſſit offerre, orare, & impetrare; ſed etiam ut

poſſit à totâ Eccleſiâ deputari tanquam Miniſter & legatus ad Deum. Hinc dicitur Officium, 1°. Eccleſiaſticum; quia ab Eccleſiâ inſtitutum eſt: 2°. Canonicum; quia Eccleſia modum, materiam, & verba hujuſmodi precum præſcripſit: 3°. Divinum; quia totum dirigitur ad Dei cultum. Porro cùm Eccleſia ſit Chriſti ſponſa, non poteſt quin acceptiſſimum ſit quod Deo offert, etiamſi per Miniſtrum indignum: quod confirmatur exemplo aquæ benedictæ, quæ vim & efficaciam habet ratione ſuffragiorum Eccleſiæ, etiamſi Miniſter indignus ea tali ſigno applicuerit.

Ceterùm, quod diximus de efficaciâ orationis, quæ fit nomine Eccleſiæ, maximè convenit Officio divino, quod in choro à pluribus conjunctim canitur. Ratio eſt, quia circunſtantia perſonæ petentis multùm ad orationem confert. Communitas autem habet peculiarem quandam dignitatem; deinde ubi multi concurrunt ad eundem actum, unus ab alio juvatur, & imperfectionem unius alter ſupplet; ſicque oratio evadit vel omnibus numeris abſoluta, vel certè longè perfectior. Deinde, quia talis oratio habet Chriſto Domino ſpecialem promiſſionem: ait enim. Math. 18. *Dico vobis, quia ſi duo conſenſerint ex vobis ſuper terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quibus verbis Chriſtus Dominus promittit peculiare auxilium his, qui in unum conveniunt ad orandum. Unde ſanctus Chryſoſtomus hom. 79. ad populum Antiochenum, mirum in modum commendat hanc orationem, quæ fit communi concurſu & conſenſu. *Quid hâc oratione Eccleſiæ potentius?* inquit, *magna*

vis eſt orationis in Eccleſiâ concorditer à populo oblatæ. Et infra : *Domi quidem orari poteſt ; ſic autem ut in Eccleſiâ non poteſt , ubi tanta Patrum multitudo , ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur ; non ita à Domino per te ſolus orans audieris , ut cum fratribus. Hic enim majus aliquid eſt , putà unanimitas & conſonantia , charitatiſque vinculum , ac Sacerdotum orationes.* Eadem ante ſcripſerat Tertullianus de hujuſmodi oratione communi , Apolog. cap. 39. *Corpus ſumus de conſcientiâ religionis , & diſciplinæ unitate , & ſpei fœdere ; convenimus in cœtum & congregationem , ut ad Deum quaſi manu factâ precationibus ambiamus orantes , hæc vis Deo grata eſt.* Unde colliges deceptionem eorum , qui præferunt orationem privatam communi , quaſi in eâ non tam frequentes patiantur diſtractiones ; cùm perfectio & fructus orationis non debeant æſtimari ex illâ animi tranquillitate , ſed ex dignitate orantis , & gratiâ Spiritûs-ſancti aſſiſtentis.

Paragraphus II.

De Beneficiariis curam animarum habentibus.

Nota eſt ſancti Gregorii ſententia , *ars artium regimen animarum.* Et ab omnibus decantatur illud Tridentini ſeſſ. 6. c. 1. de reform. *Onus Angelicis humeris formidandum.* Sed quid ſit in illa arte tam difficile , tamque formidabile , pauci intelligunt , exiſtimantes totam artem illam in eo ſitam eſſe , ut qui præeſt , Miſſas celebret , Officium divinum decantet , fidei rudimenta tradat , verbumque Dei non in ſublimitate ſermonis , & ſapientiâ verbi , ſed ſimpliciter exponat ; cæremonias , modumque adminiſtrandi Sacramenta teneat , eaque datâ oc-

caſione adminiſtret. Quæ adeo facilia ſunt, ut vix tirocinio ad illa opus eſſe videatur: quo fit, ut cùm nemo artem etiam viliſſimam profiteri audeat, priuſquam didicerit, communiter cernere liceat Sacerdotes curam animarum ſuſcipere, artemque illam profiteri, quam decantant architectonicam, ſublimiſſimam, & formidandam, etiamſi à nullo eam didicerint.

Nec dicas eos plures annos dediſſe litterarum ſtudio; ſiquidem nec in Grammaticâ, nec in Rhetoricâ, nec in Philoſophiâ magis diſcitur ars regendi animas, quàm jus dicendi, aut ſanandi corpora: aliud quippe eſt ars Grammaticæ, Eloquentiæ, & Dialecticæ; aliud Juriſperitia; aliud regimen animarum. Itaque

Q. *Quid eſt præcisè regere animas?*

R. Id explicandum eſt exemplis convenientibus. Artem Medicam v. g. non exercet, qui præcisè alimenta & pharmaca ægro ſubminiſtrat; ſed qui præſcribit quid, quantùm, quove tempore tribuendum ſit, & cuncta ſapienter ad optatum finem, ſcilicet ſanitatem, dirigit. Item navem non regit, qui remis eam agitat, velis, & aliâ ſupellectili inſtruit; ſed qui iis prudenter utitur, ut ventos contrarios ſuperet, ſcopulos declinet, feliciterque ad portum appellat. Denique qui paſcit equum, non propterea eum regit; ſed qui ad omnem optatum uſum flectit, laſcivientes motus comprimit, tardum impellit, ardentiorem coërcet. Similiter nec qui alimoniam ſpiritualem, ſcilicet verbum Dei & Sacramenta miniſtrat, regere cenſendus eſt; cùm hæc præſtari poſſint ab extraneis aut à Vicariis. Proprium itaque officium Rectoris eſt præeſſe: præeſt autem, qui ſuperior eſt non loco, aut gradu, aut dignitate duntaxat, ſed inſuper ſcientiâ, virtutibus, ſa-

pientiâ, & animi fortitudine eminet, quibus plebem ſubditam in ordine continere poſſit. Quòd ſi hæc non præſtiterit, vocet quantùm libuerit populum indomitum, rebellem accuſet, palam facit ſe eum regere non poſſe. Aliud enim eſt prædicare, offerre, benedicere, & baptizare; aliud præeſſe ut habet liber Pontificalis in exhortatione, quam Pontifex dirigit ad eos, qui ordinandi ſunt Presbyteri.

Sed iſta clariùs elucent in educatione puerorum nobilium, quibus dantur nutritii, pædagogi, & rectores, ſeu gubernatores: Nutritii paſcunt, pædagogi docent, nulli ex his regunt. Quodnam igitur officium eſt gubernatoris, & ab aliis diſtinctum? Ipſius eſt, quamvis aliunde inferioris, domino ſuo præeſſe ſapientiâ, quâ ſuperior eſt, inordinatos ejus motus refrænare, mores inſtituere, interiùs exteriùſque ita componere, ut nihil ſentiat, dicat, & agat, niſi quæ ſunt nobili genere digna. Quibus maniſeſtè apparet regimen animarum non in eo ſitum eſſe præcisè, ut quis Miſſas celebret, prædicet, Sacramenta adminiſtret; ſed qui regit tanquam architectonicus, iis utitur pro ſuâ ſapientiâ, ut mediis, eaque moderatur, ut plebem ſubditam ad finem, qui eſt beatitudo, certò dirigat. Regimen igitur illius in eo conſiſtit, ut omnes in ordine contineat, ſcandala extinguat, protervos, & ad malum propenſos auctoritate ſuâ comprimat, rebelles lumini & veritati ſuperet, peccantes arguat, obſtinatos terreat, incipientes promoveat, proficientes perficiat, perfectos conſervet. Hinc Deus apud Ezechielem cap. 34. declarat eum non eſſe Paſtorem, qui talia non præſtiterit. *Væ Paſtoribus Iſraël... quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis; quod confractum eſt*

non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis ... Ego paſcam oves meas... quod perierat requiram, & quod abjectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo, & quod pingue & forte cuſtodiam, & paſcam illas in judicio. Enimverò quid expectatur ab eo, qui negotium quodcumque gerendum ſuſcipit, nonne ut eâ peritiâ & & induſtriâ polleat, quâ poſſit obſtacula ſuperare, & omnia adhibere neceſſaria, quibus illud ad fauſtum exitum perducat? non ſatisfaciet, etiamſi multa moverit, ſed inutiliter; omnes conatus adhibuerit, ſed fruſtra; quia non debuit opus ſuſcipere, niſi & perficere poſſet. *Ponamus ante oculos noſtros*, inquit ſanctus Gregorius homiliâ 17. in Evangelia, *illum tantæ diſtinctionis diem, quo Judex veniet, & rationem cum ſervis ſuis, quibus talenta ſua credidit, ponet; ecce majeſtate terribili inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur; ibi Petrus cum Judæâ converſâ, quam poſt ſe traxit, apparebit; ibi Paulus converſum, ut ita dicam, mundum ducens; ibi Andreas poſt ſe Achaiam; ibi Joannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectu ſui Judicis converſam, ducent: ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Paſtores cum gregibus ſuis ante æterni Paſtoris oculos pervenerint, nos miſeri quid dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus?*

Porro malitia plebis non ſemper excuſabit Paſtorem; quamvis enim aliquando parum profecerint abſolutiſſimi, propter obduratam cervicem ſuorum ſubditorum; tamen diuturna experientia probat, quod ſi Paſtores eâ, quâ par eſt, pollerent ſapientiâ & virtute, multos ad ſalutem reducerent, quos vel incorrigibiles

excludunt, vel incorrectos patiuntur. Harum autem animarum ſanguinem comminatur Deus ſe repetiturum è manibus imperiti Paſtoris. Unde exclamat S. Chryſoſtomus homiliâ 54. in epiſtolam ad Hebræos: *Miror; quod fieri poſſit, ut aliquis ex Rectoribus ſit ſalvus, cùm videam poſt minas & præſentem ſocordiam aliquos adhuc occurrentes, & ſe conjicientes in tantam molem adminiſtrationis. Nam ſi ii, qui neceſſitate trahuntur, non habent quò confugiant & ſe excuſent, ſi rem malè adminiſtrent, & ſint negligentes; (nam & Moyſes venit in periculum, cùm ſæpè recuſaſſet) quanto magis ii, qui in hoc ſtudium ſuum ponunt, & in id irruunt?* Et homil. 3. in Acta Apoſtolorum: *Non temerè dico, ſed prout affectus ſum & ſentio, non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed multò plures qui pereant; in causâ eſt, quoniam res excelſum requirit animum.*

Atque ut appareat, quàm rara, quàmque neceſſaria ſit ad regimen animarum illa animi celſitudo,

Advertes, in omni regimine reperiri peccatores & juſtos. Ex peccatoribus autem alii peccant ex malitiâ, alii ex ignorantiâ; alii ex infirmitate. Peccant ex malitiâ, qui ex plenâ deliberatione: & hi vel confitentur peccatum, vel defendunt, vel in peccato obſtinati perſeverant, contemnentes Paſtoris monitiones & curam: Atqui neceſſaria eſt auctoritas, ut coërceantur & comprimantur ii, qui ex propenſione animi, & deliberato conſilio in peccatum ruunt: ad auctoritatem autem conciliandam, neceſſariò requiritur morum gravitas, vita irreprehenſibilis, animi ſolertia, & ingenii acumen, quo ſuprà ſubditos emineat Paſtor. Horum ſi alterum deſit, jacet dignitas, contemnitur Paſtor; vix enim peccator obtemperabit

ei, in quo nihil ſuprà ſe recognoſcit. At dotes illas in uno homine rarò conjungi docent Origenes, ſanctus Chryſoſtomus, ſanctus Thomas, & Gloſſa in illud Matth. 24. *Quis, putas, eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Qui enim Chriſti eſt pius & fidelis ſervus, ſæpè non ſatis eſt prudens ad regendam familiam Chriſti: qui verò ingenio & prudentiâ pollet ad regimen aliorum neceſſariâ, is ſæpè ſui nimium amans & æſtimator, minùs eſt ſervus Chriſti, quàm ſuæ cupiditatis; cùmque ſua potiùs, quàm quæ Chriſti ſunt, quærat, ejus devotio penè eſt nulla, oratio arida, & ſermo inefficax.

Rebelles ſunt debellandi, & in ordinem reducendi iis ſpiritualibus armis, de quibus Apoſtolus 2. ad Corinth. 10. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei; & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam.* Ubi notat Apoſtolus, quam pugnam ſuſtinere cogatur Paſtor, quibuſque armis peccatores rebelles adversùs ſuam doctrinam vincere debeat. 1°. Meminit munitionum, per quas intelligit ſive ſecularem potentiam, amicitiam nobilium, & favorem humanum, quibus aliquando urgetur Paſtor, ut officium ſuum deſerat: ſive argumenta & rationes, quæ contra veritatem objici ſolent. 2°. Nomine conſiliorum intelligit artes, machinationes; & media callidè excogitata, ad ſubvertenda ea, quæ Paſtor doctrinâ ſuâ ſtabilire conatur. 3°. Per altitudinem notatur ſuperbia; vel ſuperba ſcientia & magniloquentia quorumdam, qua audent ſe extollere ſuprà doctrinam Paſtoris. Adversùs

hujuſmodi neceſſe eſt ut inſurgat Paſtor. Arma autem, quibus eum inſtruit Apoſtolus, non ſunt carnalia, qualia ſunt litigium, honores, voluptates, ſuperba ſuppellex, & ſapientia humana, quibus mundani putant ſe poſſe prævalere; ſed vocat ea Apoſtolus potentia Deo, id eſt, efficacia & valida per Dei virtutem; ſuntque ex Sancto Anſelmo, 1°. Vehementia ſpiritûs & zeli: 2°. Efficacia prædicationis: 3° Invicta animi fortitudo, quæ nihil aliud eſt, quàm ſapientia ſingularis, quâ poſſit Paſtor ſophiſmata detegere, argumenta ſolvere, & reſponſiones tam aptè proferre contra ea, quæ ſibi objiciuntur, ut obſtruat os loquentium iniqua. 4°. Pura intentio & charitas; quia ſcilicet, dùm peccatores vident Paſtorem vitæ innocentiſſimæ, non eorum opes, non honores, ſed ſalutem tantùm quærere, ob idque nec laboribus, nec impenſis parcere; his omnibus quaſi zelo efficaciſſimo in conſcientiâ feriuntur, vulnerantur, cedunt, & credunt. Addit Apoſtolus, ad terrendos eos, qui in peccato obdurati contemnunt, *in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam.* Terrere quippe debet Paſtor eos, qui brutorum vitam ſequuntur. *Neceſſe eſt*, inquit S. Gregorius 2. parte paſtoralis cap. 6. *ut Rectores à ſubditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt, ut humanâ ſaltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. In eo enim quòd metum ſibi à perversè viventibus exigunt, quaſi non hominibus, ſed animalibus dominantur; quia videlicet ex quâ parte beſtiales ſunt ſubditi, ex eâ debent etiam formidini ſubjacere ſubſtrati. De his ſcriptum legimus: Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ; cujus videlicet terror ac tremor, quia eſſe ſuper animalia terræ præcipitur, profectò eſſe ſu-*

per homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem ceteris hominibus naturâ prælatus eſt; & idcircò ei debetur, ut ab animalibus, & non ab hominibus timeatur; quia contra naturam eſt ſuperbire; & ab æquali velle timeri. Hanc diſcretionem pleniùs agnoſcimus, ſi Paſtoris primi exempla cernamus. Petrus namque auctore Deo ſanctæ Eccleſiæ principatum tenens, à benè agente Cornelio, & ſeſe ei humiliter proſternente, immoderatiùs venerari recuſavit, ſeque ei ſimilem recognovit dicens; Surge, ne feceris, & ego homo ſum, Actuum 10. Sed cùm Saphiræ & Ananiæ culpam reperit, mox quantâ potentiâ ſuper ceteros excreviſſet, oſtendit; verbo namque vitam eorum perculit... quam ſpiritu perſcrutante deprehendit, & ſummum ſe intrà Eccleſiam contra peccata recoluit, quod honore ſibi vehementer impenſo coram benè agentibus fratribus non agnovit; illic communionem æqualitatis meruit ſanctitas actionis, hîc zelus ultionis jus aperuit poteſtatis. Servanda itaque eſt & in corde humilitas, & in opere diſciplina; atque inter hæc ſolerter intuendum eſt, ne dùm immoderatiùs cuſtoditur virtus humilitatis, ſolvantur jura regiminis; & dùm Prælatus quiſque plus ſe quam deceat, dejicit ſubditorum vitam ſub diſciplinæ vinculo diſtringere non poſſit, ſed tamen quibuſdam ſignis decenter erumpentibus eos apud ſe eſſe humiles, etiam ſubjecti deprehendant, quatenùs & in auctoritate eorum, quod formident, videant, & de humilitate quod imitentur agnoſcant. Attamen nonnunquam graviùs delinquitur, ſi inter perverſos plus æqualitas quàm diſciplina cuſtodiatur. Hactenùs ſanctus Gregorius, ubi pluribus oſtendit artem regendi maximè in eo conſiſtere; ut Paſtor terrore percellat peccatores, cùm ſine illo jaceat diſciplina, regnent ſcandala, omniſque ordo pervertatur. At quomodò terrebit Paſtor, in quo nihil ſuſpiciendum deprehenditur? An non ti-

mebitur, qui graviter loquitur, & humiliter vivit? Quomodo minabitur iis, qui armati contra ipſum ſtant, nec debellari ſe poſſe præſumunt? Itaque virtus terrendi obſtinatos neceſſariò præſupponit in Paſtore eam auctoritatem, & animi fortitudinem, de quibus jam diximus. Requirit inſuper vigilantiam indefeſſam, ut nihil effugiat ejus ſollicitudinem; timet enim malus, quandò ſe latere poſſe deſperat. Hinc Paſtor dicitur ſpeculator poſitus ſuper domum Dei, Ezech. 33. communiterque vocatur proprio nomine Curatus à curando; Epiſcopus, ex eo quòd intendat ad ea omnia, quæ gerunt ſubditi. *Tu, qui Eccleſiæ præſides*, ait Origenes homil. 7. in Joſue, *Corporis Chriſti es oculus; vide ergo ut omnia circumſpicias, omnia circumluſtres, etiam ventura prævideas.*

2°. Requiritur dicendi vis & libertas, quâ fortiter arguat, tanquam poteſtatem habens.

3°. Animi conſtantia, quâ in nullo cedat obſtinatis, eoſque in deſperationem adducat ſe poſſe quieſcere, niſi reſipiſcant.

Cùm autem advertet Paſtor, fractam eſſe peccatoris duritiem, eumque ſolummodo vel laborare ignorantiâ, vel detineri infirmitate, contra ignorantiam doctrinam adhibebit; contra infirmitatem pietatis ſuæ viſcera explicabit, atque charitatis ſuæ dulcedine dolorem, qui ex difficultate procedit, leniet, languentem animam roborabit. Neceſſe quippe eſt, ex S. Greg. 2. p. Paſt. c. 6. ut quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, exemplo Samaritani in vino morſum doloris adhibeat, in oleo molitiem pietatis; quatenùs per vinum mundentur putrida, & per oleum foveantur ſananda. Miſcenda ergo eſt lenitas cum ſeveritate, ut neque multa aſpe

ritate exulcerentur ſubditi, neque nimiâ benignitate ſolvantur. Sit amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plus quàm expediat parcens; ut dum ſe in arce regiminis juſtitia clementiaque permiſcent, is qui præeſt, corda ſubditorum & terrendo demulceat, & tamen reverentiam demulcendo conſtringat. Quis autem ad hæc idoneus? Nemo ſanè, niſi ingenii acumine polleat, charitate ferveat, ſapientiâ plus quàm humanâ ſit præditus, perfectumque imperium in omnes animi motus obtineat.

Quod ſpectat juſtos, his potiſſimùm debet Paſtor ſuam curam & induſtriam, ut pote qui gregis ſint pars nobilior, ſollicituſque eſſe debet; quomodo incipientes proficiant, proficientes perficiantur, perfecti perſeverent: hic enim eſt finis illius regiminis, & opus quod perficiendum ſuſcipit. At quomodo Rector ad perfectionis metam perducet ſubditos, niſi cum ipſis ad eam pergat? Quin potiùs debet eam attigiſſe; bonus enim Paſtor ante oves vadit Joan. 10. Ad hoc etiam valet Philoſophorum axioma, *Agens non agit, niſi quantùm eſt in actu*: cùm igitur actio Paſtoris, & proprium ejus officium ſit perficere, neceſſe eſt ut ipſe ſit perfectus, favetque illud Theologorum effatum, *Paſtores ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ*. Quare ſi plures è juſtis in medio itinere ſubſiſtunt, ſi pauci admodum proficiunt, ſi vix ullus perfectionis gradum attingit, tribuendum eſt ut plurimum Paſtorum imperitiæ. Ex his

Sequitur Jure naturali & divino Paſtorem teneri ad reſidentiam, cùm ſine eâ non poſſit præſtare officia mox recenſita, quemadmodum docet Concilium Trid. ſeſſ. 23. c. 1. *de reform.*

his verbis : *Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt , oves ſuas agnoſcere , pro his ſacrificium offerre , verbique divini prædicatione , Sacramentorum adminiſtratione , ac bonorum omnium operum exemplo paſcere , pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam habere , & in cætera munia paſtoralia incumbere ; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt , qui gregi ſuo non invigilant neque aſſiſtunt . . . declarat ſacroſancta Synodus , omnes . . . etiamſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint , obligari ad perſonalem in ſuâ Eccleſiâ , vel diæceſi reſidentiam , ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur ; neque abeſſe poſſe , niſi ex cauſis & modis infra ſcriptis* , ſcilicet propter urgentem neceſſitatem , debitam obedientiam , ac evidentem Eccleſiæ & reipublicæ utilitatem. Et infra , *Si quis autem , quod utinam nunquam eveniat , contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit ; ſtatuit ſacroſancta Synodus , præter alias pœnas adverſùs non reſidentes , ſub Paulo III. impoſitas & innovatas* ; (nempe *ſeſſ. 6. c. 1. de reform.*) *ac mortalis peccati reatum , quem incurrit , eum pro ratâ temporis abſentiæ , fructus ſuos non facere , nec tutâ conſcientiâ , aliâ etiam declaratione non ſecutâ , illos ſibi detinere poſſe.*

Sequitur 2°. Paſtorem Eccleſiæ ſuæ eam ferè debere præſentiam , quam anima proprio corpori exhibet , in quo ne ad momentum quieſcit , ſed continuò illud vegetat , conſervat , agitque , adeo ut corporis ſui actus dicatur. Sic Paſtor reſideat oportet , non ut in domo ſuâ otio indulgeat , aut ſtudeat propriis commodis ; ſed ut iis , quibus præeſt , intendat , ſingulos veluti propria membra foveat , protegat , omneſque ſuâ ſollicitudine in ordine contineat. Hanc Paſtoralis reſidentiæ formam Apoſtolus in ſeipſo expreſſit, 2. Cor. 11, ubi poſt recenſitos

labores, qui Paſtori extrinſecùs obveniunt, ſubdit quæ illum occupatum tenebant, *inſtantia mea quotidiana*, hoc eſt, juxta S. Auguſtinum in Pſal. 98. incurſus in me quotidianus negotiorum; *ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, quas fundaverat. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Senſus eſt; vel unus ex innumeris, quos Chriſto acquiſivi, verſatur-ne in labendi periculo, pro quo & cum quo non metuam, ejus periculum tanquam meum reputans commiſerationis affectu? *Quis ſcandalizatur*, caditque, *& ego non uror?* partim dolore, partim zelo, conſolationem non admittens ex ceteris, qui ſtant firmi.

Sequitur 3°. quòd quamvis prædicatio & doctrina non ſint præciſè id, in quo conſiſtit ars regendi animas, tamen ſubſerviant Paſtori tanquam inſtrumenta artifici, arma militi: quare qui perfectè docet, ſed artem regendi non callet, illi dixeris ſimilem, qui inſtrumenta artificialia geſtat, ſed quomodo ſint tractanda ignorat. Contra, qui rationem & modum tenet regiminis, ſed in Eccleſiâ loqui non prævalet, comparandus eſt perito artifici, qui inſtrumentorum defectu nullum opus perficit. *Qui enim Paſtor eſt, eſſe debet & Magiſter*, ait S. Hieron. in cap. 4. ad Epheſ. *nec in Eccleſiis, quamvis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen debet aſſumere, niſi poſſit docere quos paſcit.* Hinc S. Ambroſius lib. 1. de officiis, capite 8. ſcribit. *Jam effugere non poſſumus officium docendi, quod nobis effugientibus impoſuit Sacerdotii neceſſitudo. Sacerdos namque*, ſubdit S. Greg. 2. p. Paſtor c. 4. *ingrediens & egrediens moritur ſi de eo ſonitus non audiatur; quia iram contra ſe occulti Judicis exigit, qui ſine ſonitu prædicationis incedit.* Et S. Auguſtinus: *Qui benè novit quam grave pondus immineat nobis, intelligit quòd quamvis aſſidue prædicemus, minùs tamen reddimus*

quàm debemus, *dicente ſanctâ ſcripturâ*: *Clama*, *ne ceſſes*; non dixit *poſt multos dies*, ſed, *ne ceſſes*.

Ceterùm, nemo putet ſuo muneri Paſtoris facere ſatis, ſi utcunque evangelizet, nec appoſitè id faciat, & ſicut congruit auditoribus. Quis enim audeat dicere (ait S. Auguſt. lib. 4. de doctrinâ chriſtianâ, c. 1.) adverſùs mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem, ut videlicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem facere; iſti autem non noverint? Illi falſa breviter, apertè, veriſimiliter, & iſti vera ſic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremò non libeat, illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem; iſti nec vera defendere, nec falſa valeant refutare; Illi animos audientium in errorem moventes, impellentesque docendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter; iſti pro veritate lenti frigidique dormitent. Quis ita deſipiat ut hoc ſapiat; *Sed non cujuſvis eſt de Deo*, *diviniſque rebus diſſerere*, inquit S. Chryſoſtomus, *evangelizare paucorum eſt*, *baptizare autem cujuſl bet*, *modò ſacerdotio fungatur*. Et S Gregorius Nazianzenus in Oratione 1. apologet. de ſuâ fugâ: *Si quis eſt alius*, inquit, *qui præſidenti animo ſuſcipiat miniſterium verbi*, *aut cujuſvis ingenii eſſe cenſeat*, *hunc ego ſolertiæ nomine admiror*, *ne dicam ſtultitiæ*: *mihi res minimè vulgaris eſſe videtur* .... *aut enim mens minimè illuminata eſt*, *aut ſermo elanguit*, *atque ex uno horum peræquè ac omnibus veritas claudicet neceſſe eſt*.

Fuſiùs iſta tanti momenti tractari hìc fortè quis exoptabit, ſed cùm de iis alibi multa verba fecerimus, ideò Lectorem ad Tractatum de Ordine parag. toto 12. omninò conſulendo duximus remittendum.

CAPUT XII.

De Contractibus in particulari.

PARAGRAPHUS I.

De venditione & emptione.

Q 1°. QUid ſunt venditio & emptio? R. Definitur venditio, pactio mercis pro pretio; emptio verò, pactio pretii pro merce.

Dicitur, *pro pretio*; nam ſi merx daretur pro aliâ merce, non eſſet venditio aut emptio, ſed permutatio.

Q. 2°. *Quid ſi pro merce daretur pecunia cum aliâ merce?*

R. Si pecunia valore ſuperet, emptio reputatur; ſi contra merx ſuperet, permutatio cenſeri debet, ſi æqualis ſint valoris, contractus talis cenſeri debet, qualem partes intendunt celebrare; nempe erit venditio, ſi voluerunt vendere; permutatio verò, ſi intenderunt permutare.

Q. 3°. *Ad emptionem & venditionem requiritur ne rei traditio?*

R. Minimè, nam libro 3. Inſtitut. tit. 24. *de venditione & emptione*, habetur: *Cùm autem emptio & venditio contracta ſit, quod effici dicimus, ſimul atque de pretio convenerint; cùm ſine ſcripturâ res agitur*, &c. Quibuſdam tamen in locis contractus ille non cenſetur perfectus, niſi data ſit arrha; Gallicè, *Denier à Dieu.*

Advertes, conſenſum abſolutum requiri; nam conditio ex dictis ſuſpendit contractum uſque ad conditionis eventum; quamvis com-

pletâ conditione, contractus fictione juris retrò trahatur ad tempus, quo celebrari cœpit. Unde ſi quod tributum deberetur pro rei venditione & emptione, illud recipi deberet ab exactore, qui tempore venditionis & emptionis munus illud exercebat.

Ergo, cùm res domino ſuo pereat aut fructificet, ejuſque dominium transferatur ante traditionem; fructus, augmentum & detrimentum rei venditæ, quamvis nondum traditæ, pertinent ad emptorem, modò venditor non ſit in culpâ vel in morâ, vel aliter cum emptore convenerit, reſque ipſa fuerit determinata in ſpecie ſeu individuo: ita cit. lib. tertio.

Dixi 1°. *modò venditor non ſit in culpâ;* nam ſi ejus culpâ res apud illum pereat, aut deterior fiat, debet reſtituere.

Dixi 2°. *vel in morâ;* quia ſi per ipſum ſtet, quominùs emptor rem ſuam poſſideat, venditor tenetur etiam ex caſu fortuito; cùm præſumi poſſit emptorem caſum illum declinaturum fuiſſe, ſi rem à ſe emptam poſſediſſet.

Dixi 3°. *vel aliter cum emptore convenerit;* quia potuit ita paciſci, ut fructus vel pendentes, v.g. racemi nondum collecti, vel futuri ante traditionem ad ipſum pertineant.

Dixi 4°. *reſque ipſa fuerit determinata;* nam ſi ſit indeterminata, v. g. vendidit indeterminatè decem oves ex toto grege, vel decem jugera ex ſuo fundo; res perit aut accreſcit venditori: tum quia, quandiu res determinata non eſt, venditio cenſetur conditionalis, quæ perfecta non eſt niſi impletâ conditione: tum quia ſicut non tenebatur venditor has oves vel hæc jugera determinatè dare emptori, ita ſi quid ſit in iis emolumenti aut detrimenti, ad ipſum ſolum ſpectat.

Q. 4°. *Poteſt-ne quis cogi ad rem ſuam vendendam?*

R. 1°. Non poteſt auctoritate privatâ, ut patet ex definitione domini; eſt enim facultas diſponendi de re ſuâ ut libet. Hinc injuſtitiæ arguitur Achab Rex Iſraël, 3. Reg. 21. quòd voluerit cogere Nabothad vendendam vineam.

R. 2°. Poteſt cogi auctoritate publicâ ob publicam neceſſitatem, vel utilitatem, ut ſi fundus privati ſit neceſſarius ad conſtructionem templi, ampliationem urbis, aut viæ publicæ.

Q. 5°. *Licet-ne vendere cum pacto retro vendendi?*

R. 1°. Licet, ſi pactum illud ſit in favorem venditoris, ita ut liberum ſit ei poſt certum tempus refundere pretium ſolutum; emptor verò teneatur rem emptam reſtituere. Probatur ex 25. cap. Levitici, ubi Deus filiis Iſraël concedit facultatem redimendi poſſeſſiones venditas. 2°. Ex ſacris Canonibus, cap. *cùm Joannes*, de fide inſtrumentorum, & cap. *illo*, de pignoribus.

R. 2°. Venditio facta cum pacto redimendi in gratiam emptoris, ita ut venditor teneatur rem ſuam recipere, & pretium pro eâ acceptum emptori refundere, ſpeciem habet contractûs uſurarii, nec in praxi eſt conſulenda; quia licet contractus ille fiat ſub nomine venditionis, tamen res propriè non videtur vendi, ſed ſolùm in pignus dari, ita ut emptor rei fructus percipiat ob mutuum. Hoc patet exemplo: Petrus indigens pecuniâ, vendit pratum Paulo, eâ conditione, quòd ipſe Petrus tenebitur redimere pratum illud poſt tres aut quinque annos eodem pretio, quo vendidit; Paulus verò idem pratum reſtituere, retentis fructibus, quos ex prato per illud ſpatium per-

cepit. Certè ſi hæc pactio eſſet licita, uſurarii omnes facilè eſſent excuſandi, dùm mutuant pecuniam non repetendam ante tres aut quinque annos: vel enim acciperent pignus ſub colore venditionis, & eo nomine fructus ejus tutâ conſcientiâ lucrarentur: vel quod mutuum omnes dicimus, illi emptionem annui censûs ad tresaut quinque annos nominarent: quæ tamen pactiones damnatæ ſunt tanquàm uſurariæ, ut dicetur ubi de mutuo.

Q. 6°. *Contractus, quem Mohatra vocant; id eſt, quo à mercatore res majore pretio ad certum tempus ſolvendo diſtrahuntur, ac ſtatim ab eodem, ſtante eo contractu, minore pretio præſente pecuniâ, redimuntur cum intentione lucri, eſt-ne licitus?*

R. Affirmat Leſſius lib. 2. cap. 21. dub. 16. atque pro ſuâ ſententiâ citat Navarrum & alios recentiores. Admittit tamen, mercatorem contra charitatem peccare aliquando, ſi gratis non ſubveniat indigenti. Verùm univerſaliter damnata eſt illa opinio 1°. in Concilio primo Mediolanenſi ſub ſancto Carolo: deinde ab Innocentio XI. anno 1679. & à facultate Pariſienſi anno 1665. ac demum à Clero Gallicano anno 1700. *Contractus ille*, inquit S. Antoninus, 2. part. tit. 1. c. 8. parag. 8. *uſurarius eſt, & omni malignitate & duplicitate plenus.* Hinc probandi non ſunt artifices, qui vendunt vaſa aurea vel argentea cum pacto retro vendendi, non habitâ ratione laboris & induſtriæ. Secùs ſi eadem vaſa aliâ occaſione datâ redimerent; quia ſecundùm communem hominum æſtimationem, vaſa argentea non tanti valent in manibus privati hominis, quanti in manibus aurificis.

Paragraphus II.

De pretio.

Q. 1°. *Quomodo æſtimandum eſt pretium rerum venalium?*

R. Duobus modis res venales conſiderari poſſunt 1°. Abſolutè & ſecundùm ſuum eſſe naturale independenter ab æſtimatione hominum, quomodò vile animalculum excedit valorem auri & argenti; res enim vivens eſt quid excellentius in ordine naturæ re inanimatâ.. 2o. Relativè & per ordinem ad uſus humanos, quo fit ut quædam ſenſu carentia quibuſdam ſentientibus præponamus *Quis enim*, inquit S. Auguſtinus lib. de Civ. Dei cap. 16. *non domi ſuæ panem habere, quàm mures; nummos, quàm pulices malit? Sed quid mirum? Cùm in ipſorum etiam hominum æſtimatione, quorum certè natura tantæ eſt digitatis, plerumque cariùs comparetur equus, quàm ſervus; gemma, quàm famula.* Hoc autem poſteriori modo in contractibus pretium rerum venalium æſtimatur.

Q. 2°. *Unde augetur & minuitur rei venalis pretium?*

R. Ex his circunſtantiis 1°. Ex penuriâ vel copiâ mercium. 2o. Ex pecuniæ abundantiâ vel raritate. 3o. Ex multitudine emptorum, & paucitate vendentium, & contra. 4°. Ex modo vendendi; nam viliùs res venditur ſub haſtâ & voce præconis, quàm apud mercatorem; quæ in magnâ quantitate, quæ minutatim & per partes. 5o. Ex majori vel minori emptorum indigentiâ, modò communis ſit. Unde equi cariùs tempore belli, quàm pacis, venduntur.

Dixi, *modò communis ſit*; nam indigentia unius emptoris aut venditoris non mutat com-

leg. *Rem majoris*, cap. *de reſcindendâ venditione*; & cap. *Cum causâ*, tit. *de emptione & venditione*; ubi ſtatuitur, Monaſterium in venditione ultra dimidiam partem juſti pretii deceptum recipere debere rem venditam, vel quod defuit ex legitimo pretio.

Ergo, inquies, licet minoris emere, modò pretium non ſit infra dimidiam partem valoris rei venditæ.

Nego conſequentiam: verum quidem eſt in foro externo non dari actionem venditori, niſi deceptus ſit infra dimidium juſti pretii; quia innumeræ naſcerentur lites; ſi propter minimam læſionem ementes aut vendentes audirentur; vix enim reperiuntur, qui non exiſtiment ſe cariùs emiſſe, aut viliùs vendidiſſe. At in foro conſcientiæ, ſi vendatur & ematur extra latitudinem juſti pretii, injuſtitia eſt, & obligatio reſtituendi. Vide S. Thomam. 2. 2. q. 77. art 1. ad 1.

Q. 4.° *Quomodo æſtimanda eſt latitudo juſti pretii?*

R. Duplex pretium eſt diſtinguendum: aliud dicitur legitimum ſeu legale; aliud dicitur naturale & vulgare.

Q. 5°. *Quid eſt pretium legitimum ſeu legale?*

R. Eſt pretium lege publicâ ſeu Magiſtratûs decreto taxatum; & hoc pretium conſiſtit in indiviſibili. Quare ſi Magiſtratus determinaverit pretium panis talis ponderis, injuſtus eſt venditor, & ad reſtitutionem tenetur, ſi minimum quid ultra ab emptore exigat; quia non ſervat æqualitatem à lege præfixam.

Q. 6°. *Quid eſt pretium naturale, ſeu vulgare?*

R. Eſt pretium, quod ex hominum æſtimatione independenter à lege poſitivâ, ſeu Ma-

giſtratûs decreto conſtituitur. Hoc autem pretium latitudinem habet; quia varii homines variè de rebus judicant, ita ut quod alii cenſent valere decem, alii æſtiment undecim, alii etiam duodecim.

Q. 7°. *Quomodo Theologi deſcribunt latitudinem juſti pretii vulgaris?*

R. Pretium vulgare vulgò dividunt in infimum, medium, & ſupremum; docentque licitum eſſe venditori vendere ſupremo & rigoroſo pretio, ſi poſſit id obtinere ab emptore, cui conceſſum eſt licitari, ut venditor deſcendat ad medium aut infimum pretium. Quod ſi ſecundum communem hominum æſtimationem res non tanti valeat, quanti empta eſt, exceſſit venditor limites juſti pretii, & in foro conſcientiæ reſtituere tenetur. Contra ſi emptor, ſecundùm communem æſtimationem, minoris emit, quàm valeat res vendita, debet venditori ſatisfacere, niſi condonaverit.

Ex his ſequitur, eum, qui minoris emit domum, equum, &c. quorum pretium non eſt lege taxatum, poſſe abſque injuſtitiâ, etiam in iiſdem circunſtantiis, alteri eaſdem res pluris vendere; quia, cùm pretium rerum illarum habeat quandam latitudinem, ſicut emptor eas juſtè emit infimo pretio, ita poteſt vendere pretio ſupremo: contra injuſtum fore, ſi chirographa certa & liquida, & cenſum annuum ex contractu conſignativo nulli periculo expoſito minoris emeret; quia harum rerum pretium, cùm ſit legitimum, & à lege taxatum in indiviſibili conſiſtit, v. g. mille libellæ mutuo datæ, vel per contractum conſignativum alienatæ, nec pluris, nec minoris valent. Cùm autem frequentiùs in hujuſmodi Contractibus injuſtitia occurrat, operæ pretium eſt hanc do-

ctrinam lumine naturali notam, ut patet ex ratione allatâ, munire novis argumentis ex auctoritate deductis.

Confirmatur itaque auctoritate 1o. Pii V. qui in Bullâ *Cùm onus*, anno 1569. de reform. contractuum de annuis cenſibus alienandis & redimendis, ſtatuit, ut cenſus eodem pretio extinguantur. 2°. Plurium Doctorum Pariſienſium, qui anno 1673. cenſuerunt ad reſtitutionem teneri eos, qui hujuſmodi nundinationibus, hoc eſt, emptionibus annui censûs minori pretio, quàm creatus ſit, quæſtum faciunt.

Dixi, *certa & liquida*; alioquin habentur tanquam merces vitiatæ, quæ minoris emuntur, quàm integræ.

Dices 1°. Ex lege, *Minùs*, de regulis Juris, *minùs eſt habere actionem, quàm rem*: Ergo chirographum quod emitur ad obtinendum centum libellas, non tanti valet, quanti centum libellæ.

Diſtinguo antecedens. Si non niſi cum periculo res illa obtineri poſſit, Concedo: ſi ſine periculo, Nego antecedens; aliàs excuſandi eſſent omnes uſurarii: nam pro pecuniâ, quam tradunt mutuatario, accipiunt ſolummodò actionem ad ſimilem pecuniam repetendam.

Confirmatur reſponſio ex communi hominum æſtimatione, apud quos mille libellæ non pluris æſtimantur in arcâ, quàm in manibus ejus, qui per contractum conſignativum, Gallicè *Contrat de Conſtitution*, emit jus ad percipiendum annuum cenſum quinquaginta libellarum: imò tractatus ille cedit in utilitatem conſignantis, quando non indiget illâ pecuniâ ad damnum vitandum, aut majus lucrum faciendum. Dico; *quando non indiget*, quia ſi

indigeat, juſtè poterit de pretio minuere, ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis, ut dicetur ubi de mutuo & uſurâ.

Dices 2°. Argenti pretium eſt mutabile, ut patet experientiâ; hodiè enim cenſus centum aureorum eſt ſolùm quinque aut quatuor: ſupponatur ergo quòd Petrus quatuor aureos annui cenſûs percipiat ex centum aureis, quos contractu conſignativo tradidit Titio; velitque illum cenſum vendere Paulo, cui Joannes offert quinque aureos annui cenſûs pro eâdem ſummâ centum aureorum. Certè Paulus damnum pateretur, ſi in hâc hypotheſi emeret cenſum illum Petri centum aureis, cùm perciperet ſolummodo quatuor; alioquin accepturus à Joanne quinque, ſi eidem traderet centum illos aureos contractu conſignativo: Ergo nullam injuſtitiam committet Paulus ſi à Petro emat octoginta tantùm aureis jus ad centum.

Reſpondeo, Paulum damnum reverà paſſurum, ſi emeret centum aureis illud capitale, quod non producit, niſi quatuor aureos annui reditûs, ſupponendo quòd Joannes quinque ipſi auferat; atque ut Paulus indemnis ſervetur, poſſe licitè emere à Petro octoginta tantùm jus ad percipiendos quatuor annui reditûs: ſed cum hâc conditione, quòd cùm Titius redemerit illum cenſum, Paulus non retineat niſi octoginta aureos, cùm ſupponatur non dediſſe plures, teneaturque reſtituere Petro viginti reliquos, per quos perficitur ſumma centum aureorum, quos Petrus primo loco dederat Titio.

Dices 3°. in foro externo venduntur chirographa etiam infra mediam partem juſti pretii, idque auctoritate Judicis: Ergo,

Reſpondeo 1°. opponendo legem ſecundam jam citatam de *reſcindendâ venditione*, ubi contractus venditionis reſcindendus dicitur, ſi res vendita ſit infrà dimidium rigoroſi pretii : cùm autem lex illa religioſè obſervetur in foro externo, non eſt credendum contra eam quidquam fieri, cùm auctoritate Judicis venduntur chirographa & aliæ res immobiles infrà mediam partem juſti pretii, quod valent. Quare,

Reſpondeo 2°. Judicem efficere quantùm poteſt, ut juſto pretio vendantur res, quarum creditor venditionem proſequitur ; unde ſi quæ ſit injuſtitia in iis venditionibus, non eſt tribuenda Judici, qui creditori jus dicere cogitur ; ſed emptoribus, qui nolunt juſtum pretium offerre. Attamen poſſunt & illi excuſari ceſſante monopolio ; quemadmodum enim per præſcriptionem Princeps transfert dominium unius in alterum, idque propter bonum publicum, & in pœnam negligentiæ eorum, qui res ſuas non curant ; ſic & Judex in pœnam debitorum, qui ſunt in morâ, poteſt eos ſpoliare bonis propriis, & ea transferre in ementes, etiamſi vix dimidiam partem pretii offerant. Et hoc confirmari poteſt ; quia ſi bona ſub haſtâ vendenda non poſſent adjudicari antequam offerretur juſtum pretium, ſæpè contingeret creditorem rem ſibi debitam recipere non poſſe : tùm quia nullus eſſet ex emporibus, qui pretium juſtum offerret : tùm quia ipſemet debitor, fraudibus & artibus impediret ementes, quominùs ad juſtum pretium aſcenderent.

Q. 8°. *Quid ſi habens chirographum liquidum vel contractum conſtitutivum, ultro minueret de pretio ut alliceret emptorem ad emendum hujuſmodi chirographum aut contractum?*

R. Etiam injuſta eſſet illa emptio, cùm in eâ

non ſervaretur æqualitas. Nec cenſendus eſt venditor gratis remittere de pretio ; ſed emere ſuum commodum ; cùm autem commodum illud ad ipſum pertineat, injuſtè cogeretur illud emere ; quia nemo tenetur emere rem ſuam. *Si aliquis*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. in corpore, *multùm juvetur ex re alterius, quam accepit, ille verò qui vendit, non damnificatur carendo re illâ ; non debet eam ſupervendere ; quia utilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non eſt ſuum, licèt poſſit ei vendere damnum quod patitur.*

Q. 9°. *Poteſt-ne licitè res vendi ſuprà pretium legitimum, quando mercis valor ſecundùm communem æſtimationem excedit alias merces ?*

R. 1°. Pro qualicunque exceſſu non poſſe augeri pretium, aliàs inutilis eſſet taxatio ; facilè enim quilibet ſibi perſuaderet merces ſuas aliis meliores eſſe.

R. 2°. Si exceſſus ſit valdè notabilis, poteſt res licitè vendi ſuprà pretium legitimum ; quia ſi è contrario magnus eſſet defectus : v. g. ſi frumentum eſſet paleis & aliis ſeminibus inutilibus admixtum, venditor deberet remittere de pretio legitimo : Ergo ſi merx excedat notabiliter in bonitate, emptor debet addere ad pretium legitimum.

Q. 10°. *Quid ſi merces vendantur Lugduni, & deportandæ ſint Lutetiam, ubi pluris valent ?*

R. Vel venditor ſumit in ſe periculum tranſvehendi merces Lutetiam, vel non : ſi primum, poteſt ſumere pretium, quod datur Lutetiæ, quia tùnc licèt inchoetur contractus Lugduni, tamen quodammodò perficitur Lutetiæ, adeòque ſecundùm taxationem urbis Lutetiæ vendi poteſt. Si ſecundum, deent tantùm

vendi juxta taxationem urbis Lugduni ; quia contractus Lugduni perfectus eſt.

Q. 11°. *Licet-ne vendere fide alienâ, Gallicè*, vendre à credit, *ſuprà legitimum pretium aut latitudinem pretii naturalis?*

R. Licitum non eſt, niſi occurrat lucrum ceſſans ; quia res non tanti valet, quanti emitur ; nec tollitur illa inæqualitas per dilationem ſolutionis ; cùm hæc dilatio non ſit pretio æſtimabilis, aliàs excuſandi eſſent uſurarii, qui plus accipiunt à mutuatario, quàm mutuaverint, ex eo quòd tempus ei conceſſerint ad reddendum debitum. Poſſet tamen venditor abſque injuſtitiâ vendere pretio ſupremo non habenti pecuniam præſentem.

Dixi, *niſi occurrat lucrum ceſſans*, &c. quia ex S. Thomâ 2. 2. qu. 78. art. 2. ad primum, hoc non eſt vendere uſum pecuniæ, ſed damnum vitare.

Hinc ſequitur injuſtum eſſe & uſurarium, emere infrà pretium vulgare aut legitimum ob anticipatam ſolutionem ; quia hæc anticipata ſolutio habet rationem mutui. *Si quis emptor*, inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. 178. art. 2. ad ſeptimum, *velit rem emere viliùs, quàm ſit juſtum pretium, eo quòd pecuniam ante ſolvit, quàm poſſit ei res tradi, eſt peccatum uſuræ ; quia iſta anticipatio ſolutionis habet mutui rationem, cujus quoddam pretium eſt, quod diminuitur de juſto rei emptæ pretio.* Unde Concilium Mediolanenſe primum vetat, ne ob anticipatam ſolutionem res minoris ematur.

Q. 12°. *A quo tempore ſumendum eſt pretium rei quæ anticipata ſolutione emitur : v. g. tempore hyemis emuntur lanæ, quæ non tradentur niſi menſe Maio vel Junio, quo cariùs venduntur?*

R. Sumendum eſt à tempore, quo res tradi-

tur ; quia debet eſſe æqualitas inter pretium & rem venditam, quando abſolvitur venditio: porro in ipsâ traditione ſolùm abſolvitur venditio : Ergo.

Confirmatur ex cap. *Negotianti*, de uſuris, ubi ſic loquitur Gregorius IX. *Qui dat centum ſolidos, ut alio tempore totidem grani, vini, & olei menſura reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrùm plùs vel minùs ſolutionis tempore fuerint valituræ veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc uſurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excuſatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut ampliùs quàm tunc valeant in certo termino recipiat pro eiſdem, ſi tamen tempore contractûs non fuerat venditurus.*

In hoc textu tria ſunt notanda. 1. In dubio, utrùm merces tempore traditionis pluris vel minoris ſint valituræ, poteſt earum pretium ſumi à tempore ſolutionis anticipatæ; quia in hâc hypotheſi ſors vendentis & ementis eſt æqualis. 2. Si vendens ſtatuerit ſervare merces uſque ad tempus, quo pluris veriſimiliter vendentur, & ita declaraverit emptori, poteſt abſque injuſtitiâ propter lucrum ceſſans eo pretio merces vendere, quo vendentur tempore, ad quod illas ſervaturus eſſet : tenetur tamen deducere expenſas faciendas ad conſervationem mercium, & computare frumenti & olei munitionem. 3. Si certum ſit merces pluris valituras tempore traditionis, injuſtus & uſurarius cenſendus eſt ; qui anticipatâ ſolutione eas viliori pretio emit. Ita Gloſſa in citatum textum.

Objicit Leſſius : mercatores, qui anticipant ſolutionem, 1°. patiuntur jacturam lucri, ex eo quòd careant ſuâ pecuniâ, quam ſi haberent, mercaturæ exponerent. 2°. Incurrunt periculum fraudis ex parte vendentium, qui ſo-

lent non præſtare totum pondus, vel merces ſinceras. 3°. Modus vendendi ſolutione anticipatâ, facit pretium decreſcere; quia reddit merces ultronea, inducitque raritatem emptorum, & multitudinem vendentium. 4°. Iſta anticipatio ſolutionis eſt utilis bono publico; hâc enim viâ providetur neceſſitatibus pauperum.

Reſpondeo ad ſingulas.

Ad primum, fateor ratione lucri ceſſantis poſſe viliori pretio emere, qui anticipatè ſolvunt; ſed nego hujuſmodi mercatores frequenter facere jacturam lucri ob anticipatam ſolutionem, ut patebit infrà, ubi de uſurâ; dicetur enim ibi mercatorem, ut cenſeatur lucri jacturam pati, debere per mutuationem impediri à mercaturâ. Porro qui anticipant ſolutionem, de induſtriâ coacervant pecunias uſurariorum more, ut habeant, unde poſſint mutuare ruſticis indigentibus, expetuntque ut ad eos plures confluant, utpote qui noverint ſe ampliùs lucrari, per hujuſmodi anticipatas ſolutiones, quàm per alia commercia. Unde patet talem anticipationem eſſe ultroneam, & nullatenùs cauſam lucri ceſſantis.

Ad ſecundum, non omnes defraudant circà pondus aut qualitatem mercium. Quòd ſi qui ſint fraudulenti, ementes poſſunt & ſolent deceptionem præcavere.

Ad tertium, 1°. Facultas Pariſienſis annò 1665, damnavit ſequentem propoſitionem uti falſam, ſcandaloſam, inducentem ad uſuras committendas, variaſque artes aperientem eas velandi, juſtitiam ac charitatem violandi. *Poteſt aliquis emere rem viliùs ab eo, qui vendit neceſſitate compulſus; quia ex modo vendendi minuitur pretium rei, & merces efficiuntur ultroneæ.* 2°. Ut valeret

illa ratio, neceſſe eſſet, ut tempore hyemis offerrentur merces, putà lanæ, paucique eſſent qui illas tunc temporis vellent emere: at cùm nullas tunc temporis habeant ruſtici, debeantque illas ſolummodò tradere tempore tunſionis, æſtimandæ ſunt ſecundùm valorem, quem tunc habituræ ſunt, ut ſuprà dictum eſt.

Ad quartum, ſi hæc ratio valeret, excuſandæ eſſent uſuræ, per quas ſubvenitur multorum indigentiæ.

Q. 13°. *Proxeneta, ſeu is, qui alterius nomine emit aut vendit, ut ſartores, debet-ne totum pretium rei venditæ domino dare?*

R. Debet; quia nullum habet juſtum titulum aliquid ex pretio retinendi: non ratione rei, quæ ejus non eſt, non ratione induſtriæ aut laboris; quia vel pro eo accipit, vel gratis id ſe facturum teſtatus eſt.

Paragraphus III.

De Merce.

Q. 1°. *Tenetur-ne venditor vitium mercis manifeſtare?*

R. Tenetur, ſi defectus reddat rem notabiliter minùs utilem, quàm rationabiliter exoptet emptor. Ita S. Ambroſius, l. 3. *de Officiis*, c. 10. *In contractibus*, inquit, *vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur; ac niſi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris tranſierint doli actione evacuantur*, Ratio eſt, quia venditor tenetur cum emptore ſecundùm voluntatem ejus rationabilem contrahere; id enim poſtulat bona fides in contractibus ſervanda. Porro non ſufficit quòd declaratio fiat confusè, ut cùm vendens equum dicit ſe nolle teneri de ullo ejus defectu.

Dixi, 1°. *ſi defectus reddat rem notabiliter minùs utilem*; nam ſi parum ſit minùs utilis, non eſt obligatio defectus detegendi, modò juſto pretio res vendatur; aliàs facilè deterrerentur emptores ab emendo; in magnum venditorum detrimentum. Quare obligatio detegendi defectus, cum hâc benignâ interpretatione accipienda eſt, quantùm exigit commerciorum Reipublicæ conſervatio, quæ exerceri non poſſent ſi leviſſimi quique defectus eſſent detegendi.

Dixi, 2°. *quam rationabiliter exoptet emptor*: nam 1°. ſi emptor indifferenter velit emere, ſive hujus, ſive illius valoris merces, ei poterunt adhiberi defectuoſæ, modò non excedatur juſtum pretium. 2°. Si emptor habens neceſſitatem emendi, petat quidem rem non defectuoſam, ſed minùs pretium oblaturus prævideatur, licitè ei offerentur defectuoſæ merces. Hinc qui vinum minùs exquiſitum pro magis exquiſito vendunt, excuſari poſſunt, ſi notabile non ſit diſcrimen in ordine ad humanam utilitatem, aut vinum indifferenter petatur; ſecùs, ſi ſit notabile diſcrimen, & nonniſi exquiſitum vinum petatur.

Q. 2°. *Quid ſi vinum aquâ miſceatur?*

R. Peccatum eſt & obligatio reſtituendi, ſi mixtio noxia ſit, aut reddat vinum inutile, vel tanti veneat, ac ſi non eſſet mixtum, cùm tamen ſit minoris pretii.

R. 2°. Si vinum maneat utile, minuaturque pretium & indifferenter petatur à venditore, peccatum eſt, ſaltem contra juſtitiam legalem, ut declaravit Facultas Pariſienſis, quæ anno 1665. damnavit ſequentem propoſitionem, tanquàm falſam, bonæ fidei & publicæ juſtitiæ contrariam. *Licitum eſt tabernariis vinum aquâ miſcere, & agricolis triticum paleis, & communi*

N v

pretio vendere; dummodò deteriora non reddantur eis quibus communiter venduntur.

Ceterùm, ſi merx minùs bona non ſtatim ſit conſumenda, monendus eſt emptor de defectu, propter quem diu conſervari non poſſit.

Q. 4°. *Si defectus reddat uſum rei venditæ noxium & periculoſum, aut inutilem ad effectum propter quem emitur, ad quid tenetur venditor?*

R. 1°. Si non reſcindatur contractus, tenetur 1°. reſtituere exceſſum pretii, imò totum pretium, ſi res ſit emptori prorsùs inutilis; quia venditor eſt cauſa injuſta, cur emptor pecuniam expenderit.

R. 2°. Debet reparare damna ex iniquâ venditione conſecuta. Hæc patent ex dictis, ubi de errore aut dolo dante cauſam contractui.

Q. 4°. *Tenetur-ne emptor monere venditorem, ſi mercem offerat pretioſiorem, quàm putet?*

R. 1o. Tenetur monere de majori pretio, ſi venditor neſciat, ut ſi ruſticus gemmam vili pretio offerat; aliàs non ſervaretur æqualitas pretii cum merce.

R. 2°. Non tenetur, ſi juſto pretio mercem emat; quia emptoris jus eſt quàm optimas merces emere, præſumiturque venditor eas velle vendere, modò juſtum earum pretium recipiat.

Q. 5°. *Poteſt-ne vendi res aliena?*

R. 1°. Cùm venditor non ſit rei alienæ dominus, non poteſt ejus dominium transferre in emptorem. Hinc Dominus rei venditæ poteſt eam ſibi vindicare ubicunque repererit, niſi ab emptore bonæ fidei fuerit præſcripta. Item uſurarius vendens res alienas loco uſurarum acceptarum, non transfert earum dominium. Limita, niſi ita ſint commixtæ cum rebus emptoris, ut diſcerni non poſſint; quia ex dictis

emptor per commixtionem acquirit dominium rei commixtæ.

R. 2°. Aliquo ſenſu rei alienæ venditio valida eſt, ſi ſolus venditor ſciat mercem eſſe furtivam; à fortiori ſi uterque, nempe venditor & emptor ignoret. Ita habetur lege, *ſi in emptionem*, paragr. *item ſi*, de re furtiva. Dicitur autem valida talis emptio. 1°. Quia emptor transfert pretium in venditorem, adeòque venditor pecuniæ dominium acquirit; nummus enim qui redactus eſt ex re furtiva, furtivus non eſt ex lege, *Qui vas*, paragr. ultimo *de furtis*. Quare ſi ex pecunia illa fur emerit panem, non tenebitur illam reſtituere, qui panem vendidit. Item uſurarius acquirit dominium pretii, vendendo res alienas, loco uſurarum acceptas, quamvis emptor earum dominium non acquirat. 2°. Quia venditor manet obligatus, ut rem faciat emptoris, alioquin totum fœnus lucri ceſſantis, vel damni emergentis reſtituere tenetur.

Dices: videtur aliqua inæqualitas, quòd emptor rei alienæ dominium non acquirat, & tamen pretii dominium in venditorem tranſferat.

Reſpondeo non eſſe inæqualitatem; ſiquidem pro eo quòd rei alienæ venditor pretii dominium acquirit, ipſe viciſſim emptori de evictione obligatus manet.

R. 3°. Si emptor ſciat rem eſſe alienam, non eſt venditio, cùm utrinque non ſit obligatio, nec teneatur venditor rem facere emptoris, aut eidem reſtituere quantùm ejus intereſt rem non eſſe ſuam, hoc eſt lucra ceſſantia & damna emergentia; neque etiam acceptum pretium emptor repetere poteſt in foro externo, quamvis in conſcientia venditor illud refundere teneatur.

Q. 6°. *Poſſunt-ne vendi burſæ quæ in quibuſdam Collegiis fundatæ ſunt ad pauperum ſcholaſticorum ſuſtentationem?*

R. Quia fundatorum voluntas eſt, ut gratis dentur pauperibus, non magis excuſandi ſunt, qui eas olim à ſe emptas aliis vendunt, quam excuſaretur emptor rei alienæ, qui illam vero domino vellet divendere.

Q. 7°. *Si res pluribus ſit vendita, quis emptorum eſt præferendus?*

R. 1°. Ille eſt præferendus, cui res fuit tradita, etiamſi ſit poſterior; quia res eſt ejus, in quem dominium eſt tranſlatum: Atqui transfertur dominium per traditionem; nam ex lege, *Traditionibus*, cod. *de pactis. In traditionibus & uſucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur.*

Advertes tamen 1°. Eccleſiam, quæ prior emit, præferendam eſſe; etiamſi poſteriori res fuerit tradita; nam ex lege, *ut inter* cod. *de ſacro-ſanctis Eccleſiis: dominium abſque traditione transfertur quod venditur, aut donatur Eccleſiis.* Quod donatur, inquit, non verò quod promittitur.

Advertes 2°. Priorem emptorem poſſe rem evincere à poſteriore, ſi malâ fide emit, hoc eſt conſcius primæ venditionis. Imò poſterior teneretur ſponte rem priori tradere, ſi dominum rei impuliſſet ad iterùm vendendum; quia eſt cauſa injuſtæ venditionis, & damni inde ſecuti.

Advertes 3°. ſi poſteriori tradita ſit ſolo contractu lucrativo, v. g. titulo donationis, poſſe evinci tanquam in fraudem prioris emptoris alienatam; nec requiri in donatario ſcientiam fraudis, ſicut in contractibus oneroſis requiritur. Non tenetur tamen donatarius, qui bonâ fide accepit, reſtituere antequàm petatur à

creditoribus, niſi intra annum petatur, quia neque ratione rei acceptæ, neque ratione injuſtæ acceptionis obligatur.

R, 2°. Si res nulli tradita ſit, præferendus prior emptor; quia non potuit vendi poſteriori ſine injuriâ prioris.

Paragraphus IV.

De retractu gentilitio.

Q. 1°. Quid eſt redhibitio gentilitia, Gallicè Retrait lignager?

R. Eſt jus conceſſum proximo venditoris conſanguineo intra certum tempus reſcindendi, & ad ſe revocandi venditionem rei immobilis eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore conſanguineo empta fuerat.

Dicitur 1°. *jus*, ut oſtendatur peccare contra juſtitiam, qui fraudibus impedit conſanguineum, quominùs ad ſe revocet rem venditam.

Dicitur 2°. *intra certum tempus*; quia leges municipales terminum præfixerunt, extra quem conſanguinei jus non habent reſcindendi venditionem.

Dicitur 3°. *revocandi venditionem*; quia ſi per donationem, per mutationem, aut alium contractum res fuerit alienata, conſanguinei eam retrahere non poſſunt.

Dicitur 4°. *rei immobilis*; quia redhibitio gentilitia non extenditur ad res mobiles.

Dicitur 5°. *eodem oblato pretio*; non enim licet emptori exigere à conſanguineis, ſicut poſſet ab extraneis, plus quàm ſolvit venditori.

Q. 2°. *Quare conceſſum eſt jus illud conſanguineis?*

R. Quia ſatis lugubre eſt poſſeſſiones pater-

nas & avitas ad alienas manus devenire, ut habetur lege 22. paragr. *Nec verò*, Cod. *de adminiſtratione tutorum*.

3°. *Poteſt-ne jus illud extraneo vendi aut cedi?*

R. Minimè, colligiturque ex citatâ lege.

Sequitur ex dictis, peccare contra juſtitiam, 1°. Qui ſimulatâ permutatione, aut alio contractu occultat venditionem in fraudem conſanguineorum.

2°. Qui fingunt ſe majori pretio emiſſe, quàm reverà emerint, ad deterrendum conſanguineum à repetendâ poſſeſſione paternâ.

3°. Qui nomine conſanguinei precibus illecti, aut præmio conducti ab emptore vindicat rem emptam, & in hoc caſu tàm extraneus, quàm conſanguineus ad reſtitutionem tenentur, cùm uterque ſit cauſa injuſtitiæ.

Q. 4°. *Si res viliori pretio ſit vendita, poteſt-ne conſanguineus illam retrahere ſine animo eam retinendi?*

R. Minimè, tùm quia venditor, cùm ſit rei dominus, jus habet, illam vendendi, quo voluerit pretio; nec in hoc læduntur conſanguinei, ſicut nec læderentur, ſi eam gratis donaret; tùm quia conſanguineus cenſetur extraneo vendere jus ſuum, quod tamen alienare non poteſt.

Dices: Per legem conceditur proximo bona paterna ab extraneo repetere in utilitatem ſuam: Atqui evidens eſſet ejus utilitas in hypotheſi quòd majori pretio eſſet venditurus, vel ab emptore præmium conſecuturus. Ergo.

Diſtinguo majorem, in utilitatem ſuam, quatenus bonis paternis uteretur, & fructus ex eis perciperet, Concedo: quatenus aliquo præmio illa in manus alienas transferret, Nego majorem. Hoc enim eſt manifeſtè contra intentionem legis, nec reſcinderetur venditio, ſi

coram Judice declararet ſe repetere rem venditam., ut eam majori pretio iterùm venderet.

Paragraphus V.

De negotiatione ſeu mercaturâ, & monopolio.

Q. 1°. QUid eſt negotiatio ſeu mercatura? R. Eſt emptio rei cum intentione eam integram & immutatam vendendi lucri gratiâ.

Dicitur 1°. *cum intentione vendendi;* quia ſi quis emeret pannum v. g. aut equum, ſive frumentum in proprios uſus, licèt fortè datâ occaſione alteri venderet, non eſſet negotiator aut mercator, quia non emiſſet iſta cum intentione vendendi.

Dicitur 2°. *eam integram & immutatam;* qui enim emit ferrum vel frumentum, ad clavos vel panes conficiendos, non mercaturam exercet; ſed artificium; à quo denominatur artifex.

Q. 2°. *Negotiatio eſt-ne licita?*

1°. Per ſe eſt licita, ut habetur diſt. 88. cap. *fornicari. Fornicari hominibus ſemper non licet. Negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet.* Et ratio eſt, quia lucrum intendere ad honeſtum finem, v. g. ad ſuſtentandam familiam, per ſe eſt honeſtum.

Dices: cit. diſt. 88. cap. *Ejiciens*, habetur: *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, ſignificavit, quia mercator nunquam poteſt Deo placere; & ideò nullus Chriſtianus debet eſſe mercator; aut ſi voluerit eſſe, projiciatur ex Eccleſiâ.*

Diſtinguo: nunquam poteſt placere Deo, moraliter loquendo, id eſt, difficilè; quia

ut habetur cit cap. vix mendacia & perjuria vitat, Concedo: non poteſt abſolutè, Nego; quia ex cit. cap. *Fornicari*, negotiari aliquando licet.

R. 2°. Quibuſdam, nempe Clericis, & Monachis, negotiari prohibitum eſt, ut habetur cap. *Secundùm inſtituta ne Clerici, vel Monachi. Sub interminatione anathematis prohibemus*, inquit Alexander VIII. *ne Monachi vel Clerici causâ lucri negocientur;* quod arguit hujuſmodi peccare mortaliter; quia major excommunicatio nonniſi ob peccatum lethale incurritur. Hoc autem intelligendum eſt ſolùm de Clerico in Sacris conſtituto, aut de Beneficiario.

Q. 3°. *Quid eſt monopolium?*

R. Eſt conventio unius pluriumvè mercatorum, ut ipſi ſoli vendant, emantve quo voluerint pretio.

Q. 4°. *Monopolium èſt ne licitum?*

R. 1°. Si auctoritate publicâ conſtituatur, licitum eſt; quia aliquando Reipublicæ eſt expediens, ut vel rerum venalium pretium taxetur, vel privilegium mercatori aut artifici detur; alioquin negotiationem, aut artificium in Reipublicæ detrimentum deſerere cogeretur, nec in eo fit cuiquam injuria, modò curent Magiſtratus, ne mercatores aut artifices, prætextu privilegii, pretium immoderatum exigant.

R. 2°. Monopolium privatâ auctoritate conſtitutum, injuſtum eſt, & ad reſtituendum obligat; quia cùm ex dictis pretium naturale rerum venalium quamdam latitudinem habeat, ſinguli jus habent contrahendi intra illam latitudinem: Ergo fit injuria, quando per monopolium coguntur emere nonniſi rigoroſo pretio, aut vendere nonniſi infimo. A fortiori in-

juſti eſſent qui monopolium exercent, ſi ſupra rigoroſum pretium venderent, aut infra infimum emerent.

Q. 5°. *Quomodo debet fieri reſtitutio propter monopolium?*

R. Communiter relinquitur judicio viri prudentis. Æqualitas tamen videretur reponi reducendo contractum ad pretium mediocre ſeu medium.

Ad monopolium refertur,

1°. Quando mercatores ſupprimunt merces ſuas, ut inde earum pretium creſcat: injuſtus tamen non eſſet, qui ſuas merces ſervaret in illud tempus, quo ceteræ rariores eſſent, modò ex illâ ſuppreſſione non oriretur caritas; ſi inde oriretur, contra juſtitiam peccaret, cùm eſſet cauſa injuſti pretii rerum venalium.

2°. Quando aliquis congerendo omnes fere merces, inducit raritatem & caritatem: ſecùs, ſi non induceret.

3°. Si quis vi vel fraude impediat, ne merces aliunde advehantur, unde oritur caritas.

4°. Si mercatores diſſeminent rumorem ſubmerſas eſſe naves, unde rerum pretium augeatur.

5°. Si opponatur fictus licitator, ut alter pretium augeat.

6°. Si multi conveniant, ut opus ab uno inchoatum, alter non perficiat; quod expreſſè prohibetur lege *Jubemus*, Cod. *de monopolis.*

7°. Si artifices conveniant non docere artem ſuam, niſi filios & nepotes, aut niſi certo pretio injuſto.

Q. 6°. *Liceret-ne mercatori monopolii non participi vendere pretio per monopolium conſtituto?*

R. Si ex monopolio aliorum, raræ factæ ſint merces, licet; ſecùs ſi rariores non ſint, quia pretium à monopolis impoſitum eſt injuſtum.

CAPUT XIII.

De Mutuo.

Q. 1 Q*Uid eſt mutuum ?*

R. Eſt contractus quo in alterum transfertur dominium rei, in numero, pondere & menſurâ conſiſtentis, cum obligatione reddendi aliam ejuſdem ſpeciei & bonitatis, poſt lapſum temporis. Singulæ partes hujus definitionis ſunt notandæ, & diligentiùs explicandæ, ad refellendas plures pactiones injuſtas & uſurarias. Itaque,

Dicitur 1o. *quo in alterum transfertur dominium*, in quo mutuum convenit cum venditione, differtque à multis contractibus, præſertim à commodato, quod ſecundum linguam Gallicam confunditur cum mutuo ; mutuum enim & commodatum Gallicè dicuntur *prêts*, quamvis eſſentialiter inter ſe differant, commodatum enim eſt de rebus, quæ uſu ſaltem unico non conſumuntur, ut equus, liber, veſtis, &c. Mutuum verò eſt eorum, quorum uſus eſt conſumptio, ut frumentum, panis, vinum, pecunia. Res prioris generis non mutuo, ſed commodato dantur in uſum tantùm, non in proprietatem. Unde ſequitur quòd ſi liber aut equus, ſine culpâ commodatarii pereat, perit commodanti, ut pote ejus domino : res vero poſterioris generis, mutuo dantur, non commodato ; neque enim dicimur commodare pecuniam, aut panem; ſed mutuare : mutuando autem eorum transferimus dominium, non ſecus ac ſi ea venderemus.

Unde ſequitur damnum aut fructum rei mu-

tuatæ non pertinere ad mutuantem, ſed ad mutuatarium; quia juxta regulam juris, *Res perit aut fructificat domino ſuo.* Sicut ergo domus per venditionem tradita, ſi ſtatim tempeſtate corruat, corruit in damnum ſolius emptoris; ita ſi pecuniam mutuo recèns acceptam latrones auferant, non mutuans, ſed ſolus mutuatarius damnum illud pati debet. Si verò ex eâ mutuatarius utiliter negotietur & diteſcat, nihil inde mutuans repetere poteſt; atque hâc ratione refellendi ſunt qui eo prætextu uſuras exigunt, quod mutuatarius ex pecuniâ ab ipſis mutuo acceptâ lucretur.

Dicitur 2°. *rei in numero*, &c. quia mutuum verſatur circa res uſu conſumptibiles, quæ vel dantur in numero, ut pecunia; vel in pondere, ut panis; vel in menſurâ, ut vinum, oleum, &c. Res autem, quarum uſus non eſt earum conſumptio, licèt ad eam ſenſim diſponat, ut veſtes, regulariter ad commodatum aut locationem pertinent. Dico, regulariter, quia fieri poteſt, ut ovis, v. g. mutuo detur, nempe ſi detur conſumenda, ut pro eâ alia ſimilis reſtituatur. Sicut è contra dari poſſet pecunia ſolùm commodato, putâ ſi daretur ad oſtentationem tantùm, eadem in individuo reſtituenda.

Dicitur 3°. *cum obligatione reddendi aliam ejuſdem ſpeciei.* Hæc eſt enim æqualitas & juſtitia, quam recta ratio exigit, ac proinde ab omnibus ſervanda, etiam à tutoribus & curatoribus, ut nec plus nec minùs, ſed tantùm reddatur, quantùm acceptum eſt.

Dicitur 4°. *poſt lapſum temporis;* ut diſtinguatur à cambio, Gallicè, *change*, ubi pro nummo aureo dato ſtatim redduntur nummi argentei. Tempus autem vel eſt determinatum in contractu, vel non: ſi primum, mutuans pecuniam

non poteſt repetere ante elapſum tempus: ſi ſecundum, poteſt abſque injuſtitiâ repetere quo voluerit tempore, modò non repetat ſtatim atque mutuavit.

Dixi, *abſque injuſtitiâ;* peccaret enim & quidem graviter contra charitatem, ſi tum repeteret, cùm mutuatarius nonniſi cum magno detrimento reddere poſſet, nec damnum ipſe mutuans ex dilatione pateretur.

Hinc ſequitur intrinſecum eſſe contractui mutui, quod mutuans per aliquod tempus pecuniâ ſuâ careat, periculoque ſe exponat eam amittendi; mutuatarius enim qui videtur dives aut habere fidejuſſorem divitem reverà pauper eſſe poteſt vel evadere, ſicut & ejus fidejuſſor. Quare ratione carentiæ pecuniæ, aut periculi mutuans non poteſt quidquam exigere ultra, quam concedunt leges mutui, ſecundum quas mutuatarius tenetur ſolùm æquale reddere.

Confirmatur: ſi liceret aliquid exigere propter carentiam & periculum pecuniæ mutuo datæ, mutuum quod eſt in gratiam pauperum, verteretur in eorum perniciem; cùm enim majus ſubeat periculum qui pauperibus, quam qui divitibus dat mutuum, plus à pauperibus ultra ſortem recipere, quàm ab aliis licitum foret.

Nec dicas par non eſſe, ut mutuans ſubeat periculum ſine fructu; vel enim tenetur ex charitate dare mutuum, vel non tenetur: ſi tenetur, debet ſequi conditionem mutui, quæ eſt ut tantundem ſolùm reſtituatur, quantum eſt acceptum: ſi non tenetur, poteſt non dare mutuo. Ceterùm ſi faciendæ ſint expenſæ ad recipiendam rem mutuo datam, mutuatarius vi contractûs mutui cogetur ad illas ſolvendas.

Patet ex dictis jure meritò damnatas eſſe ſe-

quentes propoſitiones ab Alexandro VII. Innocentio XI. Clero Gallicano & Academiâ Pariſienſi anno 1665.

1°. *Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numerandâ, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſurâ excuſari.*

2a. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.*

3a. *Quamvis uſura ſit, ſi quis recipit aliquid ſuprà ſortem ratione mutui; non eſt uſura, ſi recipiat ratione periculi tantùm, ut pretium periculi.*

4a. *Nullus poteſt ita eſſe ſecurus, quin poſſit aliquod intervenire periculum, vel ſaltem aliqua difficultas vel labor in re habendâ.*

Q. 2°. *Quomodo æquanda eſt bonitas rei reddendæ cum bonitate rei mutuo acceptæ: mutuo dati ſunt v. g. decem nummi aurei, vel totidem modii tritici, quorum valor, ſive pretium poſtea creſcit aut decreſcit.*

R. Reddendum eſt juxta valorem, aut pretium rei acceptæ, niſi aliter contrahentes juſto pacto convenerint; ita ut ſi valor cujuſlibet nummi erat decem libellarum, reddendæ ſint centum libellæ, nec plus nec minùs.

Dixi, *niſi aliter contrahentes convenerint*; in hypotheſi enim quòd mutuans prævideret valorem nummi, aut pretium tritici eſſe augendum, velletque propterea iſta ſervare, non peccaret contra legem contractûs aut juſtitiæ, ſi exigeret à mutuatario, ut tot nummos in ſpecie aut modios redderet, deductis tamen expenſis ad triticum ſervandum neceſſariis; quia mutuans per hujuſmodi pactum nihil lucratur ex mutuo; ſed ſolùm ſe indemnem reddit, cùm

non plus recipiat à mutuatario, quam habuiſſet, ſi non mutuaſſet. Idem dicendum juxta cap. *Navigandi*, tit. *de uſuris*, ſi dubitetur an futurum ſit ut valor nummi aut pretium tritici creſcat aut decreſcat; quamvis enim mutuans nummos, aut triticum non ſit ſervaturus poteſt in illo dubio paciſci tot nummos aut modios in ſpecie eſſe reddendos, quia æqualis eſt ſpes lucrandi in mutuante & mutuatario, æquale quoque periculum damnum incurrendi.

At ſi, manente eâdem hypotheſi, nempe quòd mutuans non ſit ſervaturus nummos aut triticum, prævideat valorem nummi aut pretium tritici eſſe augendum; non poteſt totidem nummos aut modios à mutuatario exigere; quia plus reciperet quàm dediſſet, quod lucrum eſt injuſtum, & uſura dicitur.

CAPUT XIV.

De Uſurâ.

Q. 1°. *Quomodo definitur uſura?*

R. Definitur, lucrum ex mutuo immediatê proveniens.

Dicitur 1°. lucrum indefinitivè ſive immodicum, ſive modicum, ſive ſit nummus, ſive onus à mutuante impoſitum mutuatario; v. g. veniendi ad moletrinam ejus, aut ad furnum, denique quidquid eſt pretio æſtimabile. Colligitur 1°. ex ſcripturâ, Levit. 25. *Ne accipias uſuras . . . . nec ampliùs, quàm dediſti.* Ezech. 18. *Ad uſuram non commodaverit, & ampliùs non acceperit,* Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* 2°. Ex Jure Canonico, causâ 14. quæſt. 3. cap. 1. *Si fœneraberis, id eſt, ſi mutuo dederis*

pecuniam tuam, à quo pluſquam dediſti expectes, non pecuniam ſolam, ſed aliquid pluſquam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive quodlibet aliud, ſi pluſquam dediſti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.

In eundem ſenſum ſanctus Ludovicus accipit nomen uſuræ in ſuâ Pragmaticâ Sanctione contra uſuras: *Uſuram intelligimus*, inquit, *quidquid eſt ultrà ſortem.* Ex his patet uſurarium non eſſe. 1°. Qui pro mutuo exigit benevolentiam & amorem ejus, qui mutuum dedit; quia hæc pecuniâ non menſuratur, ait S. Thomas, 2. 2. qu. 78. a. 2. 2°. Qui non vult dare mutuum, niſi hâc conditione, quòd mutuatarius hîc & nunc det aliud mutuo; quia tantundem reperit, quantùm dat, ſcilicet officium amicitiæ pro officio amicitiæ. At ſine uſurâ mutuans obligare non poteſt mutuatarium ad remutuandum in poſterum. Ita S. Thomas cit. art. ad 4. *Licet*, inquit, *ſimul mutuanti unum aliquid aliud recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in poſterum faciendum; hæc enim obligatio non includitur in contractu mutui, eſtque pretio æſtimabilis, & poteſt vergere in magnum gravamen mutuatarii, quòd paratus eſſe debeat ad remutuandum.*

Dicitur 2°. *ex mutuo proveniens*; quia 1°. ſi quis ſuprà pretium rigoroſum venderet, quamvis lucrum illud eſſet injuſtum, uſuram tamen non committeret, & pœnas uſurariorum incurreret; lucrum enim illud non proveniret ex mutuo, ſed ex venditione. 2°. Quia contractus mutui totus eſt in gratiam mutuatarii, adeò ut ſi mutuans intendat ex mutuo ſibi lucrum provenire, uſuram mentalem committat.

Dicitur 3°. *immediate*, quia debet provenire directè ex vi mutui; nam ſi ſecundariò & mediante ſolum liberalitate, aut gratitudine mu-

tuatarii proveniret, non eſſet uſura. Hinc Gloſſa in cap. *Conſului* tit. *de uſuris: Peccant*, inquit, *ſperantes causâ mutui in ſpe lucri principaliter poſitâ; ſecundariò tamen aliquid ſperare non puto malum.* Eandem doctrinam tradit Sanctus Thomas, cit. qu. 78. art. 2. *Si accipiat*, inquit, *aliquid hujuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliquâ obligatione tacitâ, vel expreſſâ, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat; quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licitè poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc quòd mutuavit.*

Intentio autem ſecundaria dicitur, inquit ſanctus Antoninus 2. p. tit. c. paragr. 1. *cùm, etſi ſperat mutuans aliquid ſibi dari ab eo, qui mutuavit ex ſuâ libertate; tamen non illud eum movet; ſed magis benevolentia, ita ut etiamſi non crederet ſibi aliquid dari ultra ſortem; adhuc tamen mutuaret.* Unde patet jure meritò damnatam fuiſſe ab Innocentio XI. anno 1679. & à Clero Gallicano ann. 1700. hanc propoſitionem, *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentiâ & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex juſtitiâ debitum.* Cavillatoriam & uſurarum palliativam propoſitionem vocat Clerus Gallicanus.

Q. 2°. *Quo jure uſura eſt prohibita?*

R. 1°. Prohibita eſt jure naturali; quia rectæ rationi repugnat, quòd quis plus exigat, quàm dedit, ut dictum eſt explicando definitionem mutui.

Dices: lege civili uſuræ approbantur ut licitæ: Ergo non ſunt contra legem naturalem.

Reſpondeo 1°. circa antecedens diverſas eſſe Theologorum ſententias: alii enim contendunt per leges Imperatorum, præſertim Chriſtianorum, uſuras tolerari quidem, ſicut tolerantur meretrices

meretrices ad vitanda maiora mala. Sed negant approbari, niſi ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis; quemadmodùm etiam apud nos Judices eo titulo condemnant mutuatarium ad ſolvendas uſuras. Alii contrà communiter docent jure civili uſuras modicas approbari, & ſolas immodicas prohiberi. Sed quidquid ſit de antecedente,

Reſpondeo 2°. diſtinguendo conſeq. Uſuræ non ſunt contra legem naturalem in principiis & primis concluſionibus conſideratam, Concedo: in remotioribus concluſionibus conſideratam, Nego conſeq. Porro licet principia, & primæ concluſiones legis naturæ, v. g. Deum eſſe colendum, parentes honorandos, non ignorentur; tamen remotiores concluſiones ignorari poſſunt: ut patet de polygamiâ, matrimoniorum diſſolubilitate, quæ Gentilibus videbantur licitæ, quamvis contra rationem pugnent.

Inſtabis: Deus ipſe, Deuter. 23. & 28. Judæis permiſit uſuras accipere ab extraneis: Ergo reverà uſuræ non ſunt contra legem naturalem.

Nego conſeq. Etenim quemadmodùm Deus utpotè ſupremus rerum omnium dominus, Judæis conceſſit vaſa Ægyptiorum; adeò ut abſque furto aut rapinâ ea ſecùm aſportare potuerint: ſic in eorum dominium tranſtulit ea, quæ Chananæorum erant: imò poterant abſque injuſtitiâ ipſoſmet occidere. Ita ſanctus Ambroſius lib. de Tobiâ c. 15. refertùrque cauſa 14. quæſt. 4. *Ab illo*, inquit, *uſuram exige, quem non ſit crimen occidere: ſine ferro dimicat, qui uſuras flagitat: ſine gladio ſe ab hoſte ulciſcitur, qui fuerit uſurarius exactor inimici. Ergò ubi eſt jus belli, ibi etiam jus uſuræ conceditur.* Hinc ſub-

actis Chananæis uſuræ Judæis univerſim prohibentur, ut patet ex citato capite 18. Ezech. in quem locum ſic ſcribit ſanctus Hieronymus, *Vide profectum*, inquit, *in principio legis à fratribus tantum ſcelus tollitur, in Prophetâ ab omnibus uſura prohibetur.*

Putant tamen ſanctus Thomas quæſt. 12. *de malo*, art. 4. ad primum; & ſanctus Antoninus 2. part. tit. 1 cap. 7. paragr. 2. *uſuram apud Judæos in principio legis fuiſſe ſolùm toleratam, non verò licitam.*

Addo capite 18. in objectione citato per fœnus non intelligendum eſſe uſuram; ſed mutuum ſimpliciter, Deumque eo loci promittere Judæis abundantiam divitiarum, quâ fiet, ut mutuo non ſint accepturi, ſed daturi.

R. 2°. Uſura prohibita eſt jure divino, ut patet ex citato capite Ezechielis 18. ubi Deus de dante uſuram & ampliùs quàm dedit accipiente, quærit num victurus ſit, reſpondetque, *non vivet, cùm univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur.* Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes;* ubi ſummi Pontifices, Patres & Concilia, agnoſcunt prohiberi uſuram. Eundem locum notat Alexander III. cap. *Super eo*, eundem tit. *reſpondemus*, inquit, *quòd cùm uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc aliquam diſpenſationem fieri poſſe non videmus; quia cùm Scriptura ſacra prohibeat pro alterius vitâ mentiri, multò magis prohibendus eſt quis, ne etiam redimendâ vitâ captivi* (adde pro augendis proventibus pupilli aut minoris) *uſurarum crimine involvatur.* Urbanus III. cap. *Conſuluit*, tit. *de uſuris*, ex Luc. cap. 6. concludit, eum qui mutuam pecuniam credit, ut plus ſorte recipiat, licèt omni conventione

ceſſante, judicandum eſſe malè agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendum. Eodem modo Leo X. eundem locum interpretatus eſt in Concilio Lateranenſi V. his verbis: *Cùm Dominus noſter, Lucâ Evangeliſtâ teſtante, aperte nos præcepto obſtrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam ſperare debeamus.* Vide ergo quàm abſurda dicant, qui affirmant uſuras eſſe alicubi licitas ex diſpenſatione ſummi Pontificis. Eodem ſenſu citatum textum accipit ſanctus Ambroſius lib. de Tobiâ cap. 14 & 17. *Cum Dominus*, inquit, *nihil ab eis, quibus mutuum dederimus, ſperandum eſſe præcipiat.* Patres etiam Concilii Nicæni primi hunc Pſalmi XIV. locum, *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, de præcepto explicant can. 17. Item ſanctus Auguſtinus concione tertiâ in pſalmum 36. ſubjicitque: *Quàm odioſum, quàmque deteſtabile ſit, quàm execrandum peccatum uſuræ, puto, quòd & ipſi fœneratores noverunt.* Poſt has ergo Eccleſiæ explicationes nemini licet dubitare de vero ſenſu citatorum textuum; unde jure merito in Concilio Viennenſi; Clementinâ *Ex gravi*, paragr. finali, *de uſuris*, ſtatuitur eum qui in hunc errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, velut hæreticum eſſe puniendum.

Ex his ſequitur tutores & curatores ob ullam rationem ſive neceſſitatem non poſſe excuſati ab uſurâ, dum ex pecuniâ pupillorum ſive minorum mutuo datâ aliquid ultrà ſortem recipiunt, *Regula generalis apud omnes Doctores hæc firma eſſe debet*, inquit S. Thomas opuſculo 73. cap. 6. *quòd nulla conditio ſive circunſtantia poteſt excuſare aliquem actum vitioſum, niſi ſecundùm quod poteſt tollere rationem vitioſitatis ab eo,*

& quia in mutuis vitium uſuræ annexum eſt ex eo quòd fiant ſpe lucri, quod eſt contra naturam mutui; non excuſatur, niſi tollatur ſpes lucri. Unde ſicut non licet furari ad augendum matrimonium pupillorum, ſic nec uſuras accipere; quod enim per uſuram accipitur, non minus eſt alienum, quàm quod per furtum.

Confirmatur ex Conciliis Mediolanenſi primo, Mechlinienſi, Burdigalenſi, quæ expreſsè prohibent, ne pecuniæ pupillorum aut minorum dentur ad uſuram. Item ex Conventu Melodunenſi an. 1579. ubi habetur: *tametſi pecuniæ ſint viduarum aut pupillorum; omnes tenentur audire illud Chriſti: Mutuum date, nihil inde ſperantes.*

R. 30. Uſura prohibita eſt jure Canonico; patet ex citato titulo *de uſuris*, & cit. causâ 14. qu. 3. & 4. ubi plura referuntur Concilia, à quibus uſuræ prohibitæ ſunt.

Nec dicas in foro externo civili hujuſmodi leges non obſervari; nam præterquamquòd id falſiſſimum eſſe mox oſtendetur (niſi fortè in quibuſdam tribunalibus inferioribus, ubi Judices tùm ex propriâ inſcitiâ, tùm ex negligentiâ Paſtorum, condemnant mutuatarios ad ſolvendas uſuras, præſertim in gratiam pupillorum aut minorum) habemus Chriſti effatum, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Quis enim niſi hæreticus negaverit in materiis fidei, & ubi agitur de genuino ſenſu Scripturarum, Eccleſiam eſſe judicem controverſiarum? An non illi Judices ſunt in numero ovium, quæ vocem Paſtorum audire debent, & ab ipſis paſci verbo & doctrinâ? An legem divinam & ejus interpretationem Fideles requirunt à Laïcis, ſpretis Sacerdotibus Domini contra ejus præceptum?

Malach. 2. Abſit autem à Rege Chriſtianiſſimo quidquam ſtatuere contra jus divinum, & Eccleſiæ definitionem. Itaque

R. 4°. uſura prohibita eſt legibus Regni; vetantur enim in Concilio Aquiſgranenſi in palatio Ludovici Pii eo jubente, præſente, & promulgante celebrato anno 816. can. 63. cujus verba referuntur cauſâ 14. q. 3. cap. 7. In capitularibus lib. 1. cap. 125. refferturque ibidem cap. 4. Quas prædeceſſorum leges religioſiſſimè amplexus S. Ludovicus eaſdem uſuras prohibuit an. 1254. his gravibus verbis: *Prohibemus diſtrictè quòd nullas uſuras faciant Barones, Seneſcalli noſtri, vel aliæ quæcunque perſonæ. Uſuram intelligimus quidquid eſt ultra ſortem.* Eadem ſanxit Philippus IV. anno 1311. Cùmque Edictum illud videretur prohibuiſſe tantùm nimias uſuras; an. ſequenti nempe 1312. altero Edicto primum interpretatus eſt his verbis. *Confirmant notre Ordonnances; Défendons toutes ſortes d'uſures, de quelque façon qu'elles ſoient, comme défendues de Dieu, & des Saints Peres.* Idem etiam ſpecialiter prohibuit uſuras uſurarum. Similem legem tulit Ludovicus XII. anno 1510. art. 4. *Pour éviter qu'aucune uſure ne ſe commette dans notre Royaume, Enjoignons à tous nos Juſticiers & Officiers, que ſans diſſimulation & à toute diligence, ſur peine de ſuſpenſion de leurs Offices & d'amendes arbitraires, chacun dans ſon détroit, & Juriſdiction, ils faſſent leur devoir de s'enquerir de ceux qui commettent des uſures manifeſtes par Contracts feints & ſimulez; de proceder contre le coupables, ſelon la diſpoſition du droit & l'exigence des cas.* Et art. 65. contra Tabelliones: *Défendons à tous Notaires de recevoir aucun Contract uſuraire, ſur peine d'être privez de leur état, & d'amende arbitraire.* Eadem ſanxit Carolus IX. an-

no 1567. *Comme pour le bien & utilité publique de notre Royaume & ſoulagement de nos Sujets, à ce qu'ils puiſſent vivre & negocier ſans être opreſſez des uſures, qu'aucuns de notre Royaume, pouſſez du malin eſprit & ſans aucune crainte de Dieu, commettent & pratiquent journellement.* Unde colliges, uſuras in mente etiam Regum non juvare commercium, ſed deſtruere. Denique Henricus III. in comitiis generalibus Bleſis habitis, ſic ſtatuit. *Défendons à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient* (hîc tutores comprehenduntur) *d'exercer uſure par eux, ou par gens interpoſez.* Unde Bochel in ſuâ Bibliothecâ ſic habet: *Cette propoſition d'uſure portée par la Loy de France eſt generale: & ne reçoit limitation pour la faveur des pupilles ou autres perſonnes. Ainſi fut-il jugé par Arreſt ſur plaidoyer le* 12[e] *jour de Juin, la Cour ſéante aux Auguſtins.* Quomodo autem tutores debeant utiliter res pupillorum adminiſtrare, præcipit Carolus IX. in comitiis generalibus Aureliæ habitis anno 1560. cujus hæc ſunt verba, art. 102. *Les Tuteurs & Curateurs des mineurs ſeront tenus, ſitôt qu'ils auront fait inventaire des biens appartenans à leurs pupilles, faire vendre par autorité de Juſtice les meubles periſſables, & employer en rentes ou heritages, par avis de leurs parens & amis, les deniers qui en proviendront avec ceux qu'ils auront trouvez comptans, à peine de payer en leur propre nom le profit des deniers.* Peccant ergo tutores, non ſolùm contra legem divinam & eccleſiaſticam, ſed etiam contra legem civilem, & conſtitutionem regiam, ſi pupillorum pecunias dent mutuo, ut inde lucrum captent; & ad reſtitutionem tenentur.

At, inquies, idem Carolus IX. in citatis comitiis Aurelianenſibus ita ſanxit, art. 60. *Contre*

des condamnez à payer certaine ſomme de deniers duë par cedules ou obligation ; ſeront adjugez les domages & intereſts, requis pour le retardement du payement, à compter du jour de l'ajournement qui leur aura été fait, & ce à raiſon, à ſçavoir entre Marchands du denier douze, & entre toutes autres perſonnes du denier quinze ; excepté toutesfois les Laboureurs, Vignerons & mercenaires, envers leſquels les debiteurs ſeront condamnez au double de la omme en laquelle ils ſe trouveront redevables, ſans que nos Juges la puiſſent moderer. Articulus autem ille religioſè ſervatur in toto regno. Antequam reſpondeam.

Nota 1°. diſcrimen eſſe inter illa duo vocabula Gallica, *intereſt*, & *profit*. Primum enim reddi debet Latinè, compenſatio ſeu reparatio damni accepti. Secundum verò propriè dicitur lucrum.

Nota 2°. ex dictis uſuram eſſe lucrum immediatè ex mutuo proveniens. Unde compenſatio ſeu reparatio damni non poteſt dici uſura ; quia ille, cui fit talis reparatio, nullum lucrum percipit ex mutuo ; ſed ſolùm ſervatur indemnis. His præſuppoſitis,

Reſpondeo, citatum ſtatutum nullo modo favere uſurariis ; quia nullum lucrum concedit mutuanti propter dilationem ſolutionis ; ſed ſolùm decernit certam ſummam propter damna, quæ præſumitur incurriſſe ob moram mutuatarii. Et hoc probatur 1°. ex ipſiſmet verbis Statuti : *Seront adjugez les dommages & intereſts requis.* Ergo ſi nullum ſit damnum aut intereſſe lucri ceſſantis, nihil conceditur mutuanti ſuprà ſortem principalem. 2°. Quia quò majora præſumuntur damna, ut contingit frequentiùs in mercatoribus, qui ob carentiam pecuniæ negotiari non poſſunt, major ſumma vi illius

ſtatuti ipſis decernitur 3°. Quia ſecundùm illud idem ſtatutum, nihil præter ſortem accipere debet mutuans pro toto illo tempore, quod præceſſit petitionem juridicam: v. g. debitor per tres annos moras protraxit, & creditor nonniſi à menſe repetiit debitum; Judex nihil retribuere poteſt pro carentiâ trium annorum; quia præſumitur creditor nullum paſſus damnum. Ergo ex citato ſtatuto nihil pro uſurariis poteſt colligi. Nonnulla autem circa illud obſervanda ſunt.

Primum: non eodem modo obſervatur ubique in Galliâ; nam in Curiâ Burdigalenſi mutuatarius condemnatur ad ſolvendum impendium, *l'intereſt*, ab eo die, quo mutuans juridicè petiit debitum, etiamſi in ſuâ petitione nullam fecerit mentionem illius impendii. In Tholoſanâ verò mutuatarius, qui non ſolvit ſtatuto tempore, poteſt cogi ad ſolvendum impendium in hypotheſi, quòd ita pepigerit cum mutuante, dùm iniretur contractus mutui; etiamſi mutuans poſtea non petierit juridicè idem impendium. In Curiâ autem Pariſienſi, præter petitionem juridicam, requiritur ſententia Judicis contra mutuatarium, ut notat Bochel in ſuâ Bibliothecâ, verbo, *Uſura*.

Secundum: juxta ſtatutum citatum & uſum Curiæ Pariſienſis, ſi mutuans abſque ſententiâ Judicis aliquid acciperet à mutuatario ſuprà ſortem propter damnum emergens, aut lucrum ceſſans, peccaret contra juſtitiam legalem: non teneretur tamen ad reſtitutionem; quia non violaret juſtitiam particularem, utpote qui alienum non detineret.

Tertium: Uſurarius eſt ille, qui mutuat ex intentione, ut lucretur ex mutuo mediante auctoritate Judicis, cujus ſententiam mavult

obtinere contra mutuatarium, quàm rem mutuatam.

Quartum, Controverſia eſt inter Theologos, num ſententiâ, quâ vi ſtatuti condemnatur mutuatarius ad ſolvendum aliquid ſuprà ſortem, ſit merè pœnalis, feraturque ſolùm ad puniendum debitorem, eo quòd fuerit in morâ: alii enim affirmant; quia eo tempore quo mutuatarius non fuit in culpâ, nihil poteſt Judex concedere mutuanti, præter ſortem principalem. Alii verò Theologi negant propter rationes in noſtrâ reſponſione allatas. Juxtà priorem ſententiam creditor poteſt vi ſententiæ accipere ſuprà ſortem, etiamſi ex mutuo nullum damnum pertulerit; quia hâc pœnâ punitur debitor propter moram. Debet autem illa mora eſſe culpabilis. Siquidem omnis pœna ſupponit culpam. Unde ſi certus eſſet creditor de debitoris impotentia, peccaret contrà juſtitiam, ſi vi ſententiæ aliquid ſuprà ſortem acciperet; quia illa ſententia niteretur falsâ præſumptione. Juxta poſteriorem verò ſententiam, ſi creditor nullum ſuſtinuit damnum ex morâ debitoris, non poteſt uti ſententiâ, quâ ipſi adjudicatur aliquid ſuprà ſortem.

Utraque opinio à nonnullis judicatur probabilis & in praxi tuta, propter obſcuritatem ſtatuti. Videtur tamen illud ſtatutum favere poſteriori ſententiæ, atque ideo præferendæ. Etenim patet ex contextu verborum, ibi haberi rationem lucri ceſſantis, & damni emergentis; quia pro majori damno præſumpto major decernitur ſumma creditori. Deinde idem ſuadet occaſio quâ ſtatutum illud ſancitum eſt. Cùm enim difficillimum eſſet examen damnorum, quæ contendebant mercatores & alii mutuantes ſe ſuſtinuiſſe ex morâ mutuatariorum,

& propterea multa & nimia repeterent à debitoribus: Viſum eſt in comitiis generalibus prædictis, neceſſe eſſe determinare quantùm quilibet repetere poſſet pro damno, quod ex morâ debitorum incurriſſet. Unde ſatis apertè deducitur illud ſtatutum reſpicere ſolùm ad damnum, quod patiuntur creditores, atque id omne, quod ſuprà ſortem ipſis adſcribitur, eſſe potiùs compenſationem propter damnum, quàm pœnam propter moram debitoris.

Q. 3°. *Quæ conditiones requiruntur, ut mutuans poſſit accipere à mutuatario propter lucrum ceſſans?*

R. Sex vulgò numerantur.

Prima, ut lucrum quod ſperabatur, ſit certum aut probabile; quia ſi dubium foret, utrùm v. g. mercator in negotiatione jacturam facturus fuiſſet, an lucrum; aut ſi pecunia non erat collocanda in negotiatione; ſuprà ſortem nihil poteſt accipi. Non refert tamen an lucrum ſperatum ſit ex illâ negotiatione in ſpecie, an ex aliquâ in genere, modò, ut jam dixi, certum aut probabile lucrum ceſſet vi mutui.

Secunda, ut lucrum ceſſet ob mutuum, ſi v. g. mercator ſubtraheret negotiationi eam pecuniam, quam in eâ poſiturus erat; nam ſi nullum ceſſet lucrum, nihil reddendum eſt ultrà ſortem, ut ſi pro eâ pecuniâ, ex quâ negotiaturus erat, aliam præſto habeat, ex quâ eandem negotiationem ſuſcepturus ſit. Quòd ſi mutuans aliam pecuniam repoſitam habeat, ſed ad quendam alium finem v. g. ad dotandas filias, & ex eâ poſtea non negotiaretur; poſſet ex mutuo pecuniæ, quam ad negotiandum paraverat, accipere ratione lucri ceſſantis; quia ex hâc pecuniâ mutuo datâ lucrum ceſſaſſet: ita Nav. c. 17. num. 212.

Sed quid ſi mercator ultrò ſubtrahat negotiationi

ſuam pecuniam, ut eam det mutuam, poteſt-ne ultra ſortem accipere?

R. Non poteſt. Ratio eſt; quia ponit pecuniam ſuam in eo ſtatu, in quo pluris non valet, quàm per ſe æſtimatur: Ergo ſi poſtea eam det mutuam, non poteſt ultrà ſortem accipere. Et hoc eſt diſcrimen inter ſubtractam negotiationi pecuniam, & eam, quæ in negotiatione collocanda eſt; hæc enim, quia eſt ſemen lucri diſtincti ab eo quod ex mutuo præcisè naſcitur, pluris æſtimatur, quàm in ſe valeat: illa verò, quia non eſt ſemen alterius lucri, quàm quod ex mutuo præcisè capitur; non æſtimatur pluris, quàm in ſe valeat.

Sed ſi mercator ita ſe habeat, velle negotiari, niſi multi mutuum peterent?

R. Non poteſt accipere ultrà ſortem; quia tali homini reverà lucrum non ceſſat, cùm, ut ſupponimus, non velit negotiari. Nec refert quòd vellet negotiari; nam id nihil eſt aliud, quàm talem mercatorem primâ intentione velle mutuum dare, ac ſuprà ſortem accipere, & ſecundariâ velle negotiari in hypotheſi quòd mutuum non daret; ſed id non efficit ut reipsâ ei lucrum ceſſet.

Tertia conditio; ut non exigatur tantum lucrum, quantum ſperatur, ſed ſpectandum eſt illud axioma: *id quod eſt in ſpe, non æquipollet ei quod eſt in re*; & reducendæ ſunt expenſæ, necnon etiam pro labore aliquid deducendum, niſi tamen mutuans maluiſſet non lucrari, quàm omninò non laborare.

Quarta, ut qui dat mutuum moneat mutuatarium de lucro ceſſante; quia poſſet mutuatarius nolle obligari, ſi ſciret ſe cum hoc onere mutuari.

Quinta, ut lucrum ceſſans non exigatur ſta-

tim dato mutuo; quia qui v. g. dat 100. mutuò, & accipit 10. pro lucro ceſſante, perinde ſe habet, ac ſi daret tantùm mutuo 90. & tamen accipit lucrum ceſſans pro 100. quod eſt iniquum.

Póſtrema, ut mercator malit negotiari; nam ſi mallet mutuare, mutuum daret ſpe lucri, contra illud Chriſti Domini: *Mutuum date, nihil inde ſperantes!* Uſurarium vocamus, ait S. Thomas opuſc. 73. cap. 4. *eum qui non mutuat gratis, ſed pro ſpe alicujus incrementi.*

Q. 4°. *Quot conditiones requiruntur, ut mutuans accipiat ſupra ſortem ob damnum emergens?*

R. Duæ.

Prima, ſi pactum ſit initum de ſatisfaciendo pro damno emergente.

Secunda, ſi mutuatarius ſit in morâ contra voluntatem tacitam vel expreſſam mutuantis: tùm quia tacitum eſt pactum, ut qui eſt in morâ, teneatur ad impendia: tùm quia talis omiſſio, cùm ſit contra juſtitiam, & ex ea ſequatur damnum, pro eâ ſatisfacere debet. Quòd ſi ab initio non ſit initum pactum de ſatisfaciendo, nec mutuatarius ſit in morâ, nihil tenetur ultrà ſortem ſolvere; quia non vult mutuatarius ſeſe obligare ad ſolvendum, niſi vel pactus ſit, vel ſit in morâ.

Dices 1°. Habetur cap. *Conqueſtus*, tit. *de Uſuris*, dominum accipientem in pignus feudum à ſuo vaſſallo, non teneri fructus deducere in ſortem. Similia leguntur cap. *Salubriter*, eodem titulo, in gratiam generi recipientis poſſeſſionem in pignus à ſocero pro dote: Ergò mutuans poteſt in proprium commodum convertere fructus pignori à mutuatario accepti pro aſſecuratione rei mutuo datæ.

Nego conſeq. Eſt enim natura feudi, ut ſi

loco pignoris ad directum dominum redierit, fructus interim percepti ad ipſum pertineant, modò feudatarius liber ſit ab obligatione ſervitii domino exhibendi. Idipſum etiam extendit Panormitanus ad emphyteutam. Ideo autem gener licitè percipit fructus ex pignore; quibus alit ſoceri filiam, aliaque matrimonii onera ſuſtinet, cùm ſupponatur nondum accepiſſe dotem.

Dices 2°. Montes pietatis, ubi in Italiâ pecuniæ aſſervantur ad mutuandum pauperibus ſunt liciti ex Leone X. in Concilio Lateranenſi: Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. & Julio II. Atqui ibi pro hujuſmodi mutuis datur aliquid ultra ſortem: Ergo.

Diſtinguo minorem: Datur ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, Concedo: ratione mutui præcisè, Nego min. itaque ad conſervationem & adminiſtrationem hujuſmodi montium conducuntur Miniſtri, digni aliquâ mercede, quæ ſumitur ex iis, quæ ultra ſortem ſolvuntur.

Q. 5°. *Fidejuſſor poteſt-ne pretium recipere pro obligatione, quâ ſe aſtringit ad ſolvendum alienum debitum.*

R. Variæ ſunt Theologorum opiniones circa fidejuſſorem. Alii negant fidejuſſorem poſſe quidquam accipere pro fidejuſſione, dicuntque eandem eſſe rationem fidejubentis & mutuantis; qui enim fidejubet pro mutuatario apud mutuantem, videtur potiùs mutuare, quàm ille, qui numerat pecuniam; quia eſt cauſa cur numeretur, & ejus periculum in ſe ſuſcipit. Ita ſanctus Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 7. parag. 45. *Paria videntur mutuare, & ultrà ſortem certum quid accipere, & penes creditorem ſatis dare, & aliquid à debitore accipere.* Et hanc ſententiam

ſatis confirmat uſus communis, ſecundùm quem fidejuſſor nihil exigit à mutuatario. Alii diſtinguunt, ut non videantur totaliter recedere à regulâ, ſecundùm quam fidejuſſor excuſatur ab uſurâ; dicuntque fidejuſſorem, nihil cuiquam poſſe recipere à mutuatario propter rationes allatas; ſed poſſe a mutuante, ſi periculum in ſe recipiat debiti, quando ſupponitur periclitari; quia chirographa poſſunt minoris emi, quando ſunt dubia. Alii ſimpliciter admittunt antecedens, fatenturque fidejuſſorem poſſe à mutuatario recipere pro fidejuſſione, non quidem propter periculum, quod ſubit; ſed quia ſe obligat ad ſolvendum in futurum, quæ obligatio eſt pretio æſtimabilis, ut ſupra dictum eſt ubi probavimus uſurarium eſſe, qui obligat mutuatarium ad remutuandum, ſi contingat ipſum indigere mutuo. Alii docent, fidejuſſorem poſſe accipere pretium pro periculo, cui ſe exponit, quemadmodum omnes ultro fatentur aſſecuratori debitam eſſe mercedem, propter periculum, quod ſubit ſalvas perducendi merces in locum deſtinatum; fidejuſſio enim eſt ſpecies aſſecurationis & contractûs, qui poteſt æqualiter cedere in utilitatem utriuſque contrahentis, ſicut & locatio. Et ob hanc rationem veteres Theologi communiter & plures ex recentioribus, ut Fagnanus in cap. *naviganti*, l. 5. tit. *de uſuris*, & Sylvius in 2. 2. q. 77. a 1. qu. 4. cenſent fidejuſſorem poſſe aliquid moderatum exigere pro fidejuſſione.

Ergo, inquies, poſſet mutuans dicere mutuatario: *Da mihi quod fidejuſſori dares, & ego ſubibo periculum.*

Reſpondeo 1°. Si mutuare nollet; niſi eâ conditione, quod periculum ſortis in ſe ſuſciperet, procul dubio eſſet uſurarius, ut pote qui

ex mutuo lucrum intenderet; ita enim declaravit Gregorius IX. c. *Naviganti*, tit. *uſuris*: *Naviganti*, inquit, *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod ſuſcipit in ſe periculum ſi recepturus aliquid ultrà ſortem uſurarius eſt cenſendus*. 2°. Etiamſi non intenderet lucrari; ſed ſolùmmodò indemnem ſe ſervare, eo quòd mutuatarius eadem non offerret; in foro externo cenſeretur uſurarius, præſumeretque Eccleſia præcipuum ejus motivum fuiſſe lucrum ex mutuo, ut habetur cit. cap. *Naviganti*, *uſurarius eſt cenſendus*. Utrùm autem in foro interiori ab uſurâ eſſet excuſandus, negat Dominicus Soto quæſtione 4. art. 1. Affirmant tamen Fagnanus, Sylvius locis citatis, & nonnulli alii, qui pro hâc ſuâ ſententiâ laudant declarationem Cardinalium de propagandâ fide; modò periculum non ſit commune, &,ut diximus, mutuo intrinſecum, ſed extrinſecum, quale eſt periculum pecuniæ mutuo datæ naviganti, propter quod jure civili permittebatur uſura nautica. C. *de nautico fœnore*.

Q. 6°. *Licet-ne pecuniam accipere mutuo ſub uſurâ?*

R. Ex S. Thomâ 2. 2. quæſt. 78. art. 4. nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, mutuum accipere ſub uſuris propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius. Probatque ſuam ſententiam ſanctus Doctor ex epiſtolâ ſancti Auguſtini 47. aliàs 154. ad Publicolam, ubi docet eum peccare, qui inducit ad jurandum per falſos Deos, minimè verò qui utitur, non ad malum, ſed ad bonum juramento infidelis, qui per falſos Deos jurat.

Q. 7°. *Quotuplex eſt uſura?*

R. Alia dicitur aperta, alia palliata; alia realis, alia mentalis; alia pactionalis, alia actionalis; alia dicitur uſura ſortis, alia uſura uſurarum; alia notoria, alia occulta.

Q. 8°. *Quid eſt uſura aperta?*

R. Eſt ea quæ percipitur ex contractu mutui cum pacto expreſſo lucri.

Q. 9°. *Quid eſt uſura palliata?*

R. Eſt ea, quæ reverà provenit ex mutuo, ſed velato aliquo honeſto prætextu, putà donationis, cambii, ſocietatis, venditionis, & emptionis, ut ſi quis vendat ſupra pretium rigoroſum, ob dilatam ſolutionem, aut emat infra pretium infimum ob anticipatam ſolutionem.

Q. 10°. *Quid eſt uſura realis?*

R. Eſt ea, quæ in mutuo deducitur in pactum, ſi mutuans expreſſis verbis dicat: *Mutuo eâ lege, ut des quinque ſupra centum*, vel ſaltem inſinuet mutuatario, ſe tale lucrum ab eo expectare.

Q. 11°. *Quid eſt uſura mentalis?*

R. Eſt ea, quæ per mutuum intenditur, ſed in pactum non deducitur. Unde patet uſuram mentalem alio ſenſu appellari, quàm alia peccata mentalia; hæc enim ita vocantur, quando in actum exteriorem non prorumperunt: uſura verò, etiamſi recepta ſit in mutuante, nihilominus mentalis dicitur, quando nullum pactum ſive expreſſum, ſive tacitum de ſolvendo lucro præceſſit.

Q. 12°. *Quid eſt uſura pactionalis?*

R. Eſt pactio uſuraria, nondum recepto lucro.

Q. 13°. *Quid eſt uſura actionalis?*

R. Eſt ipſa acceptio lucri uſurarii.

Q. 14°. *Quid eſt uſura ſortis?*

Eſt uſura immediatè proveniens ex pecuniâ mutuo datâ.

Q. 15°. *Quid eſt uſura uſuræ?*

R. Eſt uſura quæ percipitur ex lucro uſurario: v. g. mutuatarius ex pacto inito cum mutuante debet ſolvere ſingulis annis quinque pro centum; non ſolvit autem per quatuor annos, & ita debet viginti, ex quibus mutuans repetit uſuras.

16°. *Quotuplex eſt uſura notoria?*

R. Duplex; alia notorietate facti, alia notorietate juris.

Q. 17°. *Quandonam eſt notorietas facti?*

R. Eſt quando mutuans dat palàm ad uſuram, ita ut nullâ tergiverſatione celari poſſit.

18°. *Quandonam eſt notorietas juris?*

R. Eſt quando mutuans de hoc crimine in judicio eſt convictus vel propriâ confeſſione, vel idoneis teſtibus.

Q. 19°. *Eſt-ne obligatio reſtituendi pro quâcumque uſurâ etiam mentali?*

R. 1°. Certum eſt reſtituendum eſſe pro uſurâ reali; quia talis uſura tollit æqualitatem, quæ non poteſt reponi, niſi reſtituendo. Hinc qui pignus fructiferum accepit, tenetur fructûs inde perceptos in ſortem computare. Ita habetur capite, *Quoniam*, tit. *de uſuris*, quod etiam verum eſt, tametſi ager pignoratitius fuiſſet ſterilis mutuatario, utpote qui ab eo non coleretur.

R. 2°. Etiam reſtituendum eſt pro uſurâ mentali, ita habetur c. *Conſuluit*; quia cum mutuatarius non dederit ex purâ liberalitate, aut gratitudine, ſed vi mutui; cenſetur dediſſe invitus, etiamſi nullum pactum de dando lucro ſupra ſortem præceſſerit.

Ex quo ſequitur eum etiam debere reſtituere, qui ſine uſurariâ intentione accepit aliquid ſupra ſortem, ſi poſtea deprehendat, mutuatarium invitum, ſeu ex neceſſitate mutui accipiendi dediſſe.

Q. 20°. *Qui neſciebat illicitam eſſe uſuram, tenetur-ne ad reſtitutionem?*

R. Tenetur ſaltem ratione rei acceptæ, quam reſtituere debet integram, ſi extet eadem in ſpecie; quia remanet ſub dominio mutuatarii. Quòd ſi conſumpta ſit, tenetur reſtituere id, quo factus eſt ditior. Quæ omnia conſtant ex dictis, ubi de poſſeſſore bonæ fidei.

Q. 21°. *In hypotheſi, quòd tutor pecuniam pupilli ad uſuram dederit, quis reſtituere debet, an pupillus, qui inde commodum ſolus percepit, an tutor?*

R. Cùm pupillus jus habeat recipiendi à tutore fructus omnium bonorum, quæ ipſius nomine adminiſtravit, ſolus tutor reſtituere debet mutuatario; quia ſolus fuit cauſa injuſtitiæ, propter quam pupillus mulctandus non eſt. Si tamen res uſuraria extaret in ſpecie apud pupillum, tenetur eam reſtituere vero domino, nempe mutuatario, ſine tamen proprio damno, ſed damno tutoris.

Q. 22°. *Hæredes uſurarii tenentur-ne reſtituere?*

R. Tenentur ex cap. *Tua nos*, tit. *de uſuris.* Et ratio eſt, quia hæres repræſentat perſonam defuncti: Ergo in defectu ejus tenetur reſtituere.

Q. 23°. *Tenentur-ne hæredes in ſolum?*

R. Certum eſt, ſi res accepta eſſet apud unum hæredem, eum teneri eam reſtituere, ita tamen ut actionem haberet de evictione contra cæteros, adeoque deberent refundere pro ratâ. Difficultas ſolùm eſt quando res accepta non extat.

Canoniſtæ communiter affirmant hæredes teneri in ſolidum; quia ex cit. cap. *Tua nos*, cogendi ſunt hæredes ad reſtituendas uſuras eâ diſtrictione, quâ parentes eorum, ſi viverent: Atqui ipſi uſurarii reſtituere cogerentur uſuras omnes ex reſiduis bonis: Ergo ſimiliter & hæredes.

Azor, Leſſius, Bonacina, & plures Theologi negant teneri; quia in ſucceſſione hæreditatis ſicut bona defuncti dividuntur inter hæredes, ita etiam ejus obligationes perſonales & debita: *Æquum enim eſt*, inquiunt, *ut qui tantummodo commodum ex parte percipit, onus quoque duntaxat ſentiat proportione ſervatâ.* Ad caput autem *Tua nos* reſpondent, ibi tantùm ſignificari totam obligationem reſtituendi tranſire ad hæredes ſimul junctos, ita tamen ut ſinguli non teneantur niſi ex parte; cui poſteriori ſententiæ omninò eſt adhærendum.

Q. 24°. *Cooperatores uſurarii tenentur-ne in defectu illius reſtituere?*

R. Tenentur, ut patet ex dictis, ubi de cooperatoribus ad damnum; ſunt enim illius cauſa. Inter cooperatores autem numerantur

1°. Conſulentes & ſuadentes uſuras.

2°. Dantes pecunias eo animo, ut ex his exerceantur uſuræ.

3°. Judices obligantes ad ſolvendas uſuras, aut datas prohibentes repeti, adverſùs quos fertur excommunicatio, Clementinâ unicâ, *de uſuris*.

4°. Tutores, & curatores dantes ad uſuram pro pupillis & minoribus.

5°. Miniſtri principales uſurarii, ut proxenetæ, negotiorum geſtores, factores, correſpondentes, notarii conficientes inſtrumenta requirente uſurario, vi quorum ſolvendæ ſunt uſuræ

Ita habetur in Concilio I. Mediolanenſi, in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Melodun habitis anno 1579. *Contrahentes, & contractus recipientes, proxenetæ uſurarum, aut earum lucri participes ſciant ſe graviſſimâ dignos ultione.* Ita & in Concilio Remenſi an. 1583. Burdigalenſi eodem anno, Toloſano an. 1590. & in Comitiis generalibus habitis in urbe Bleſenſi: *Faiſons inhibitions & défenſes à toutes perſonnes, de quelque état, ſexe & condition, qu'elles ſoient, d'exercer aucunes uſures, ou prêter deniers à profit & interêt, & ce ſur peine, pour la premiere fois, d'amende honorable, de banniſſement, & de groſſes amendes; & pour la deuxiéme, de confiſcation de corps & de biens. Ce que ſemblablement voulons être exercé contre les proxenetes, médiateurs & entre metteurs de tels trafics & contrats illicites & réprouvés.* De Tabellionibus in particulari hæc expreſſè ſanxit Ludovicus XII. *Défendons à tous Notaires de recevoir aucun contrat uſuraire, ſur peine d'être privez de leur état & d'amende arbitraire.*

Dixi 1°. *Miniſtri principales:* nonnulli enim ita remotè concurrunt, ut cenſeri non poſſint cauſa damni illati mutuatario. Tales ſunt famuli qui recipiunt pignora, eaque aſſervant; qui numerant pecuniam; qui referunt omnia in libris rationum: qui autem cogunt ad ſolutionem uſurarum, inter principales numerandi ſunt; quia reverà mutuatario injuriam inferunt.

Dixi 2°. *Notarii conficientes inſtrumenta, requirente uſurario:* ſi enim poſtulante mutuatario conficiant, peccant quidem & perjuri ſunt; ſed minimè injuſti, quia volenti & roganti non injuriam, ſed ſolatium creavêre. Ita S. Antoninus parte 2. Sylvius, & plures ex recentioribus.

Q. 25°. *Quibus pœnis afficiuntur uſurarii?*

R. 1°. Uſurarii notorii infames ſunt, cap. *Infames*, cauſâ 3. q 7. & lege *improbum fœnus*. Cod. *Quibus ex cauſis infamia irrogatur.*

2°. Ad communionem altaris non ſunt admittendi, nec Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradendi, nec eorum oblationes accipiendæ: cap. *In omnibus*, tit. *de uſuris*.

3°. Non admittuntur ad Confeſſionem antequam ſatisfecerint, vel cautionem dederint, ſi poſſint; aliàs ſi periculum non patiatur moram, admittendi ſunt ſub juramento ſe non poſſe ſatisfacere, nec dare cautionem: cap. *Quanquam*, de uſuris in ſexto.

CAPUT XV.

De Contractu ſocietatis.

Q. 1°. QUid eſt contractus ſocietatis?

R. Eſt conventio duorum vel plurium ad commune lucrum & damnum, ſecundum proportionem rerum contributarum.

Dicitur 1°. *ad commune lucrum & damnum*, quo diſtinguitur contractus ſocietatis, 1°. à contractu locationis; qui enim locat ſuam operam, non venit in partem lucri vel damni putà gregis, quem paſcit; ſed tantùm accipit ſtipendium debitum ſuo labori: 2°. à contractu mutui; etenim mutuans cùm transferat in mutuatarium rei mutuatæ dominium, ex eâ non percipit lucrum, ſicut nec venditor ex re venditâ. At qui ſocietatem ineunt, retinent dominium rerum, quas conferunt, & idcò res illæ ſingulis ſociis vel fructificant vel pereunt.

Dicitur 2°. *ſecundùm proportionem rerum contri-*

butarum; in hoc enim ſervatur æqualitas & juſtitia, ſi iis, qui plus ad ſocietatem confert, ſicut majus damnum pateretur, ſi quod confert, periret; ita etiam majus lucrum ex ejus fructibus percipiat.

Q. 2°. *Quotuplex eſt contractus ſocietatis?*

R. Duplex; purus, & non purus.

Q. 3°. *Quid eſt contractus purus?*

R. Eſt contractus, qui non eſt admixtus aliis contractibus; quod poteſt fieri multipliciter: vel enim unus confert tantùm pecuniam, aut animalia; alter verò induſtriam & operas: vel ambo conferunt pecuniam, animalia, induſtriam & laborem.

Q. 4°. *Quid eſt contractus ſocietatis non purus?*

R. Eſt ille, cui admixti ſunt alii contractus.

Q. 5°. *Quotuplici modo contractus ſolent admiſceri contractui ſocietatis?*

R. Duplici.

1°. Nonnunquam additur contractus pignoris pro ſecuritate capitalis, ſi fortè alterius ſocii culpâ pereat.

2°. Frequentiùs annectuntur contractui ſocietatis duo alii contractus & hi tres contractus Gallicè dicuntur *les trois contrats.* Horum primus eſt contractus ſocietatis: ſecundus eſt contractus aſſecurationis, quo ſcilicet conferens operas, aſſecurat ſortem capitalem, ita ut ipſe ſolus ejus periculum etiam fortuitum ſubeat, eâ tamen conditione, quod alter, cujus pecuniam aſſecurat, certam partem lucri remiſſurus ſit. Tertius contractus eſt emptionis, quo ſcilicet aſſecurans emit in certum lucrum: ſpes eſt v. g. lucrandi ex ſocietate centum nummos; aſſecurans emit ab altero ſocio illam ſpem decem nummis quos ſolvet, etiamſi illa ſpes concidat, & ſocietas nihil pariat.

Advertes ſocietatem ita iniri, ut omiſſo contractu aſſecurationis addatur ſolùm contractus emptionis lucri incerti majoris pro minore certo. Dantur v. g. vaccæ aut apes in ſocietatem, ita ut ſi pereant ſine culpâ conferentis operas, pereant danti; ſed hâc conditione, quod quandiu vivent illa animalia, is qui eorum curam gerit, ſingulis annis ſolveret pro vaccâ aut alveolo, certum quid.

Q. 1º. *Eſt ne licitus contractus ſocietatis?*

R. 1º. Contractus purus eſt licitus; quia honeſtum eſt convenire ad captandum lucrum ex pecuniâ & induſtria, modò ſervetur æqualitas, quæ requiritur in definitione contractûs.

Dices. Pecunia eſt ſterilis: Ergo illicitum eſt ex illâ intendere lucrum.

Diſtinguo antecedens: Eſt ſterilis per ſe, Concedo: eſt ſterilis, ut ſubeſt induſtriæ tanquam inſtrumentum negotiationis, Nego antecedens.

R. 2º. Licitus eſt contractus ſocietatis cum contractu pignoris; quia cùm ſocius poſſit pecuniam alterius in compotationes conſumere, aut in proprium commodum convertere, æquitas poſtulat, ut det alteri pignus quo poſſit indemnis reddi.

R. 3º. Licitus eſt etiam contractus ſocietatis, ſi ipſi addatur contractus emptionis lucri incerti eo modo, quo mox fuit expoſitum; quia ſpes lucri eſt pretio æſtimabilis: Ergo licitè poteſt emi. Cùm autem quæ ſunt in ſpe minoris æſtimentur, quàm quæ ſunt in re, v. g. ſpes capiendi decem piſces ex uno jactu retis, non tanti valet quanti ipſi decem piſces; ut ſervetur æqualitas in contractu emptionis, ita iniri debet, ut quo majus eſt periculum non lucrandi, minùs pro ſpe lucri ſolvatur.

R. 4°. Certum eſt illicitum eſſe contractum ſocietatis, ſi eo tempore, quo celebratur alter è ſociis aſſecuret capitale, & lucrum incertum emat certo lucro minori; quia illi duo contractus deſtruunt omnino ſocietatis contractum, cui intrinſecum eſt & eſſentiale exponere rem ſuam periculo, ut patet ex ejus definitione. Unde qui non vult inire ſocietatem, niſi certus ſit de lucro, propriè intendit mutuare, & ex mutuo lucrari ſub ſpecioſo nomine ſocietatis. Ita Sixtus V. in ſuâ Bullâ *Deteſtabilis* editâ anno 1586.

Nec dicas Sixtum tanquam Dominum temporalem hanc Conſtitutionem edidiſſe pro terris ipſi temporaliter ſubjectis; nec alibi fuiſſe receptam. Nam ibi ſummus Pontifex explicat jus divinum omnem prohibens uſuram; docetque ſub ſpecioſo & honeſto ſocietatis nomine Pactiones uſurarias exerceri; mandatque non ſolùm Officialibus Sedi Apoſtolicæ ſubjectis, ſed & univerſis & ſingulis locorum Ordinariis per quaſcunque provincias & regna Chriſtiani orbis conſtitutis, ut ſuam Conſtitutionem promulgari curent; verba illius ſunt, *Et inviolatè obſervari curant, & contra perſonas, quæ in futurum, præter & contra prohibitionem hanc paſciſci, aut exigere auſæ fuerint, tanquam publicos uſurarios procedant.* Quòd autem nullus Paſtorum huic Conſtitutioni reſtiterit, imo quòd omnes, maximè in Galliâ, hanc fuerint amplexi, patet tùm ex Clero Gallicano Meloduni congregato anno 1578. & ex Patribus Concilii Burdigalenſis anno 1583. qui Sixto V. præiverant, & ejuſmodi ſocietatem damnaverant: quibus conſentaneæ ſunt leges municipales, Bituricenſis tit. 17. art. 4. Nivernenſis cap. 21. art. 3 & 15. & Borbonienſis, quæ ſocietatem illam, in quâ omne

omne periculum animalium eſt accipientis, tanquam leoninam declarant. His adde Concilium Mediolanenſe primum, & Facultatem Pariſienſem, quæ anno 1665. damnavit ſequentem propoſitionem tanquam falſam & ſcandaloſam : *Si contractui ſocietatis ſuperaddantur contractus aſſecurationis capitalis & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horum licitum eſt exigere lucrum certum ſalva ſorte.*

Dixi, *ſi alter è ſociis aſſecuret*; nam omnes Theologi conſentiunt licitè poſſe aſſecurari ſortem capitalem per alium tertium, qui non ſit de ſocietate, v. g. vector navis poteſt in proprium periculum, oblato pretio, ſuſcipere merces deferendas Smyrnam, ubi qui ſocietatem contraxerunt, negotiaturi ſunt.

Dixi 2°. *ſi eo tempore, quo celebratur ſocietatis contractus*; nam controverſia eſt inter Theologos, utrùm conſtitutâ jam ſocietate poſſint ſocii inter ſe de ſecuritate ſortis & lucri paciſci. Alii enim id aſſerunt, modò pactum illud fiat diverſo tempore: alii verò negant; quia, inquiunt, pactum illud, quovis tempore fiat, deſtruit ſocietatis contractum, & in mutuum convertit. Haud dubiè uſurarius eſſet, qui nollet ſocietatem inire, niſi certus eſſet ſocium vel per ſe, vel per perſonam interpoſitam capitale aſſecuraturum.

Q. 7°. *Quomodo dividenda ſocietas?*

R. 1°. Æſtimandus eſt valor ſortis. 2°. Ratio eſt habenda periculi, cui exponitur vel ſors ipſa, vel qui præſtat operas. 3°. Æſtimanda ſunt induſtria, labor, & impenſæ ejus, qui confert operas. Quare ſi ſuſcepit animalia paſcenda, ſpectandum eſt utrùm paſcua ſint ſpatioſa, pinguia & commoda: multò enim minùs deberet lucrari, quàm ſi paſcua eſſent anguſta,

ſterilia, & difficilia. In poſteriori hypotheſi medietas fructuum fortè non reſponderet labori paſcentis: in priori verò ſuperaret, nec paſcens gravaretur ex pacto eâ conditione inito cum animalium domino, quòd v. g. ex centum agnis, qui eſſent fructus gregis; certus numerus, putà quatuor vel ſex ſubſtituerentur in locum ovium mortuarum, etiam ſine culpâ paſcentis. Ut ergo diviſio ſit æqua & juſta, totum referendum eſt ad judicium viri prudentis in qualibet regione.

CAPUT XVI.

De Cambio.

Q. 1°. Quid eſt cambium? R. Eſt permutatio pecuniæ pro pecuniâ cum legitimo lucro.

Dicitur 1°. *permutatio:* cambire enim idem eſt ac permutare; Campſor eſt Nummularius, Gallicè, *Banquier;* Campſarius verò, qui ab ipſo pecuniam accipit.

Dicitur 2°. *pecuniæ pro pecuniâ*, quæ vel ſtatim reddenda eſt, ut in cambio manuali, quo permutatur moneta aurea pro argenteâ, & vice verſâ: ſive major pro minoribus, unde dicitur cambium minutum: vel aliò transferenda, ut ſi detur Lugduni, ut recipiatur Lutetiæ; diciturque cambium locale. His autem vocabulis diſtinguitur cambium, tùm ab aliis permutationibus, ubi non pecunia, ſed res aliæ permutantur: tùm à mutuo, quod perficitur rei mutuatæ traditione, nec reddenda eſt alia ſimilis, niſi poſt lapſum temporis. At in cambio pecunia aliquando ſtatim redditur, nec perficitur

contractus, niſi pecunia ſit ex utrâque parte data & accepta.

Dicitur 3°. *cum legitimo lucro*, quo etiam differt à mutuo, in quo reddendum eſt nec plus nec minus, quàm acceptum ſit.

Difficultas autem hîc occurrit ſolvenda, utrùm ſcilicet cambium ſic explicatum ſit licitum; etenim inæqualitas ac proinde injuſtitia videtur, quòd campſarius reddat plus, quàm accepit. Si enim mutuans non poteſt ſine injuſtitiâ vi mutui lucrum percipere, quo jure campſor per cambium percipiet?

Nihilominùs per ſe licitum eſt cambium, & de illo ratiocinandum videtur ſicut ſuprà de montibus pietatis; nam per cambium multorum indigentiæ ſubvenitur, quia ſæpe indigent monetâ minutâ, vel pecuniis in aliâ regione currentibus. Frequenter etiam ſuas pecunias deportare non audent eum in locum, ubi ipſis neceſſariæ ſunt, quibus omnibus per cambium ſubvenitur. Ad hujuſmodi autem officium non minùs Campſor, quàm Cuſtodes montium pietatis, multa ſuſtinet onera, paratam debet habere pecuniam, & coacervare pecunias diverſarum ſpecierum; quas alioquin negotiationi exponeret. Præterea ſuſcipit onus monetas in eum locum proprio periculo transferendi, ubi Campſarius his indiget. Quòd ſi aliquando non transferat, ſed per correſpondentes ſolvat, id tribuendum eſt ejus induſtriæ, quæ in mercatore eſt pretio æſtimabilis. Adde illud non carere omni periculo. Ex his

Sequitur 1°. lucrum, niſi ſit lege aut conſuetudine taxatum, augendum aut minuendum eſſe ſecundùm judicium viri prudentis, habita ratione expenſarum, lucri ceſſantis, & damni emergentis; aliàs foret injuſtum.

2°. Qui officium Campſoris non exercet, nec ad cambium pecunias negotiationi ſubtrahit, videri ſine juſto titulo accipere lucrum, ſi datâ occaſione cambiat ſine damno aut lucro ceſſante, nec ſuâ interſit habere majorem vel minorem monetam, ſive Lugduni, ubi manet, ſive Lutetiæ, quò identidem negotiorum causâ tranſmittenda eſt pecunia, adeo ut occaſio cambii ſit ipſi ſatis commoda.

Q. 2°. *Quomodò dividitur cambium?*

R. Dividitur in reale, & ſiccum.

Q. 3°. *Quid eſt cambium reale?*

R. Eſt cambium, quod in allatâ definitione explicatum eſt, ſubdividiturque in locale & manuale, ut ibi dictum.

Q. 4°. *Quid eſt cambium ſiccum?*

R. Eſt cambium fictum, & verum mutuum ſpecioſo nomine cambii velatum; per illud enim nec permutantur pecuniæ præſentes pro præſentibus, nec pro abſentibus alibi reddendis. Titius v. g. lucri cupidus, negat Lugduni mutuum indigenti pecuniâ; ſed offert cambium eâ conditione, quòd reddetur Lutetiæ, quamvis ſciat reddendam Lugduni poſt temporis lapſum, quod eſt verum mutuum, & fictum cambium, ideò ſiccum; quia caret humore ſeu vero titulo ad lucrum pariendum. Quare lucrum inde proveniens eſt injuſtum, & uſura palliata.

CAPUT XVII.

De Cenſibus.

Q. 1°. Unde nomen cenſûs?

R. A verbo cenſere; quia ab Imperatoribus Romanis cenſebantur ſeu æſtimaban-

tur bona privatorum, ut in tributis imponendis juſtitia diſtributiva ſervaretur. Hæc æſtimatio *cenſus* dicebatur, ſicut & ipſum tributum, ut patet ex cap. 22. Matth. *Licet cenſum dare Cæſari, an non?*

Q. 2°. *Quotuplici modo cenſus ſumitur?*

R. Triplici.

1°. Pro tributo, quod debetur Principi.

2°. Pro penſione, quam quis ſibi reſervat ſuper re, cujus dominium alteri cedit ſub hâc conditione, diciturque cenſus reſervativus; & jus talem penſionem percipiendi, Gallicè vocatur *droit Seigneurial ou Domanial.* Unde meritò & abſque injuriâ prior dominus rem illam ſibi poteſt vindicare, ſi cenſus reſervativus non ſolvatur.

3°. Pro penſione annuâ, quam quis per emptionem acquirit ſuper re alienâ, diciturque cenſus conſignativus. Contractus autem, per quem acquiritur jus percipiendæ hujus penſionis, appellatur apud nos, *Contrat de Conſtitution;* de quo contractu hîc agitur.

Q. 3°. *Quomodo definitur contractus conſignativus?*

R. Definitur, venditio & emptio juris, quoad ſolos reditus ſingulis annis, certiſque temporibus ex alienâ re vel perſonâ ſolvendos.

Dicitur 1°. *venditio & emptio*, quo diſtinguitur à contractu donationis & mutui, explicaturque exemplis ſequentibus. Si Petrus numeret Paulo trecentas libellas liberalitatis causâ, eſt contractus donationis; ſi verò eaſdem numeret, eâ conditione, quòd Paulus totidem reddet poſt temporis lapſum, eſt contractus mutui. Sed ſi numeret, ut acquirat penſionem quindecim libellarum ſuper bonis Pauli, eſt contractus conſignativus; quia Petrus emit jus

percipiendi tales fructus ex rebus Pauli. Unde contractus ille eſt emptio in eo, qui pecuniam ſolvit, & venditio in illo, qui accipit; accipit enim quia vendit dominium utile, ſeu fructum rerum, quarum proprietatem habet. Et hoc diligenter notandum eſt, ut intelligatur diſcrimen inter contractum conſignativum, & contractum mutui, nimirùm cur ex priori licitè percipiatur lucrum, non verò ex poſteriori. Non enim eo ſolo præcisè differunt, quòd pecunia per contractum conſignativum irrevocabiliter in alterum transferatur, & per contractum mutui ſit exigibilis; cùm per contractum donationis pecunia etiam irrevocabiliter transferatur. Differunt ergo, quod in contractu conſignativo per pecuniam aliquid ab alio ematur, non verò in contractu mutui.

Dicitur 2°. *ex alienâ re;* ſicut enim poteſt quis per locationem, ita & per venditionem in alium transferre fructus fundi, retentâ ejus proprietate.

Dicitur 3°. *vel perſonâ;* ſi enim mercenarius poteſt alteri operas ſuas locare, quidni & vendere? pretium tamen moderatum eſſe debet, ut ſervetur æqualitas, quam lex & ſtatuta Regni requirunt.

Verum quidem eſt, Pium V. in ſuâ Bullâ, *Cùm onus*, edita anno 1568. excludere omnes cenſus perſonales. Sed cùm in illâ Bullâ non explicetur jus naturale aut divinum, ſed jus humanum ſanciatur, non obligat niſi in locis temporaliter Sedi Apoſtolicæ ſubjectis. Multa alia præſcribit ſummus Pontifex in eâdem Bullâ, quæ ſtando juri naturali prorsùs libera ſunt. 1°. Rem, in quâ creatur cenſus, debere eſſe immobilem, determinatam, & certis finibus deſignatam. 2°. Pereunte re illâ

cenſum etiam perire emptori. 3°. In ipſo contractu numerandam eſſe pecuniam, ita ut pro pretio non poſſit emptor cedere venditori debita, quibus erga ipſum aſtringebatur. Hæc autem in uſu non ſunt in regionibus iſtis, ubi cenſus conſtituuntur ſuper omnibus bonis venditoris; adeo ut pereunte re ſpecialiter in contractu conſignativo deſignatâ, cetera bona venditoris obligata emptori maneant. Nec tenetur emptor numerare pecuniam, quando venditor aliundè illi debet, ſed cenſetur ſolvere abdicando jus exigendi debitum, nec in his quidquam repugnet legi naturali aut divinæ, modò æqualitas ſervetur.

Ex his patet contractum conſignativum per ſe eſſe licitum. Confirmatur auctoritate juris canonici, Clementinâ primâ, *de rebus Eccleſiæ non alienandis*. Extravag. 1. & 2. *de emptione & venditione*.

Dixi per ſe, quia ſi pactiones aliquæ injuſtæ apponerentur contractui conſignativo, redderetur illicitus. Verùm cùm Regiis conſtitutionibus & Senatûs decretis penè omnes hujuſmodi pactiones injuſtæ prohibitæ ſint, in his Patronorum peritorum & proborum judicio ſtandum erit.

Q. 4°. *Quomodò dividitur cenſus?*

R. Dividitur 1°. in realem, qui conſtituitur ſuper re aliquâ: perſonalem, qui ſuper perſonâ; & mixtum, qui ſuper re ſimul & perſonâ.

Dividitur 2°. in cenſum irredimibilem, & redimibilem.

Q. 5°. *Cenſus redimibilis eſt-ne licitus?*

R. 1°. Redimibilis ad nutum venditoris eſt licitus; quia ex dictis venditio fieri poteſt pacto redhibendi addito.

R. 2°. Cenſus ad nutum emptoris redimibilis eſt illicitus & uſurarius; quia talis contractus habet rationem veri mutui; qui enim dat pecuniam cum pacto eam recipiendi cum lucro, propriè non vendit, ſed mutuat ad uſuram.

CAPUT XVIII.

De Promiſſione & Donatione.

Q. 1°. QUid eſt *Promiſſio?*

R. Eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio, facta alteri de re bonâ & poſſibili.

Dicitur 1°. *deliberata;* quia cùm promiſſio ſit quidam contractus, habens vim obligandi, poſtulat ſufficientem conſenſum, ad quem perfectâ & matura requiritur deliberatio.

Dicitur 2°. *ſpontanea*, quo excluduntur fraus, vis, metuſque etiam reverentialis, preces importunæ, & quidquid cauſat involuntarium etiam ſecundùm quid; quia promiſſio eſt liberalis, merèque gratuita pollicitatio.

Dicitur 3°. *fidei obligatio*; quo differt promiſſio à propoſito; propoſitum enim quantùmcunque firmum & efficax, nullam in ſuo conceptu formali includit obligationem, cùm aliquando qui ſic firmiter proponit, expreſsè profiteatur ſe nolle obligari: *Faciam*, inquit, *ita decrevi, ſed nolo proptereà ullâ me apud te obligatione aſtringi.* Sic intelligendi ſunt pœnitentes, quando promittunt ſe ampliùs non peccaturos; nec enim ſignificant ſe novam obligationem contrahere, aliàs recidendo dupliciter peccarent. Promiſſio ergo addit ſuprà propoſitam intentionem ſe obligandi. Ut autem actu & de

facto obliget, debet priùs acceptari. Eſt enim ſpecies contractûs, qui ex dictis eſt duorum vel plurium conventio. Porro ſilentium promiſſarii pro acceptatione habetur, quando ex circunſtantiis & ſignis probabiliter colligitur ipſum acceptare.

Dicitur 4°. *de re bonâ;* quia ad peccatum committendum nemo ſe obligare poteſt. Eſt autem diſcrimen inter promiſſionem homini factam, & votum; nam votum non obligat, niſi fuerit de meliori bono, quia minus bonum, quatenùs melius impedit, Deo gratum eſſe nequit: at minus bonum interdum homini magis placere poteſt, quàm majus bonum.

Dicitur 5°. *de re poſſibili;* ad impoſſibile enim nemo tenetur. Unde ſi id, quod tempore promiſſionis erat poſſibile, fiat poſtea impoſſibile, tollitur obligatio; imò quamvis non fiat omninò impoſſibile, ſufficit ad tollendam obligationem aliqua mutatio ſuperveniens, quam ſi promiſſor prævidiſſet, non fuiſſet promiſſurus: ita S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. ad quintum.

Q. 2°. *Quid eſt donatio?*

R. Eſt datio liberalitatis causâ.

Dicitur 1°. *datio*, id eſt, realis traditio, quo differt à promiſſione; in promiſſione enim res ipſa non traditur.

Dicitur 2°. *liberalitatis causâ;* quia ad donationem donator non movetur ex debito juſtitiæ: imò non erit donatio ſimpliciter, ſi à donatore proficiſcatur ex debito gratitudinis, ſed dicenda eſt donatio remuneratoria.

Q. 3°. *Quotuplex eſt donatio?*

R. Duplex, nimirùm donatio inter vivos, & donatio causâ mortis.

Q. 4°. *Quid eſt donatio inter vivos?*

R. Eſt donatio, quâ donator vivus tranſ-

fert dominium rei in donatarium, & hæc communiter eſt irrevocabilis.

Q. 5°. *Quid eſt donatio causâ mortis?*

R. Eſt donatio, qua donator intendit transferre poſt mortem ſuam dominium rei ſuæ in donatarium, & hæc donatio ante mortem ſemper eſt revocabilis.

Q. 6°. *Quotuplex eſt donatio causâ mortis?*

R. Quadruplex; ſcilicet teſtamentum, codicillus, legatum, & fideicommiſſum.

Q. 7°. *Unde dicitur teſtamentum?*

R. A teſtando, quaſi ſit teſtificatio mentis, ſeu inſtrumentum, quo quis teſtatur ſuam ultimam voluntatem.

Q. 8°. *Quomodo definitur teſtamentum?*

R. Definitur ſecundùm jus Cæſareum, ultimæ voluntatis diſpoſitio, directaque heredis inſtitutio.

Dixi, *ſecundùm jus Cæſareum*: quia in regionibus, quæ reguntur legibus municipalibus, ut in Galliâ paſſim, ad teſtamentum non requiritur heredis inſtitutio, imò irritum à Judicibus declararetur teſtamentum cum heredis inſtitutione conditum; lex enim conſuetudinaria permittit duntaxat inſtitutionem legatarii univerſalis.

Q. 9°. *Quid eſt codicillus?*

R. Eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, ſine heredis inſtitutione. Itaque teſtamentum & codicillus in eo differunt ſolùm, quòd in teſtamento inſtituatur heres; in codicillo verò minimè.

Q. 10°. *Quid eſt heredis inſtitutio?*

R. Eſt nominatio ſucceſſoris in univerſum jus teſtatoris. Heres autem dicitur, quia in bonorum ſucceſſione defuncto ita hæret, ut perſonam illius repræſentet; in eoque differt à

legatario, quòd legatarius ſuccedat ſolùm in aliquâ parte bonorum legantis.

Q. 11°. *Quid eſt legatum?*

R. Eſt teſtatoris particulare donum ab hereditate ſelectum, directis verbis alicui relictum.

Q. 12°. *Quid eſt fideicommiſſum?*

R. Eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, quâ teſtator fidei heredis ſui committit aliquid alteri tradendum, ut ſi teſtator dicat: *Volo heredem meum ſolvere Titio centum nummos.* Unde fideicommiſſum & legatum in eo ſolo differunt, quòd in fideicommiſſo teſtatoris verba dirigantur ad heredem; in legato vero ad legatarium, v. g. *Lego centum nummos Titio.* En legatum.

Advertes, fideicommiſſum aliquando non dirigi ad heredem, ſed ad perſonam extraneam, habereque ſpeciem cujuſdam legati; quia videtur teſtator ſimpliciter dare illi perſonæ extraneæ, quamvis ſignificaverit velle ſe, ut legatum remittat alteri, putà filio ſpurio, vel marito, cui per leges dare non licet. Cùm autem tale fideicommiſſum fit in fraudem legis, peccant contra juſtitiam, & teſtator & fideicommiſſarius acceptans fideicommiſſum, reſque ſic fideicommiſſa debet in foro conſcientiæ reſtitui legitimis heredibus: quod Paſtores & Confeſſarii diligenter notare debent.

Q. 3°. *Quid ſi legans voluntatem ſuam legatario non declaraverit, ſed legatarius eam ex circunſtantiis ita intelligat, ut moraliter ſit certus rem eâ intentione ſibi fuiſſe legatam, ut uxori vel filio defuncti reſtituat?*

R. Plures exiſtimant legatarium non poſſe legatum acceptare, utpote conceſſum in fraudem legis; ſed teneri illud tradere legitimis heredibus. Quam opinionem aliquando amplexi ſumus, ducti gravium Theologorum exem-

plo & auctoritate. Sed re maturiùs cum aliis expenſâ, qui ut omnem dubitationem tollerent, à primariis Senatûs Pariſienſis Magiſtratibus percontati ſunt, quid in ejuſmodi circunſtantiis ſibi perſpectis judicarent, eorum reſponſo adhærendum cenſemus cum iiſdem Theologis, nempè legatario licitum eſſe accipere legatum, & de illo diſponere, ſive in ſui commodum, ſive in gratiam illius, cui defunctus legaſſet, niſi lex prohiberet. Et ratio eſt, quia in ejuſmodi teſtatore duo ſunt diſtinguenda: primum, voluntas abſoluta & efficax, quâ legatario voluit tradere; & de facto tradidit dominium rei legatæ: alterum eſt ſpes & fiducia, quòd legatarius de re legatâ dehinc ſtatuat in gratiam certæ perſonæ, quamvis nullum pactum etiam tacitum præceſſerit: Atqui donatio abſoluta eſt valida, etiamſi donatarius benefactoris expectationem fallat; hoc enim eſt diſcrimen inter conditionem appoſitam contractui, v. g. donationis, & ſpem, quæ movit ad liberaliter donandum, quòd conditio ſuſpendat voluntatem & conſenſum; adeo ut, ſi non impleatur, nulla ſit donatio nulluſve contractus, teneaturque donatarius reſtituere rem ſub hâc conditione acceptam. Contrà verò, etiamſi ſpes voto donatoris & cujuſvis contrahentis non reſpondeat, valet nihilhominùs donatio & contractus; aliàs vix ullus contractus foret validus, cùm ferè ſemper multa eveniant, quæ ſi prævidiſſet qui liberaliter donat, aut quovis modo contrahit, nunquam donaſſet, nec contraxiſſet; ingratus teneretur reſtituere beneficium acceptum; irritum eſſet matrimonium cum muliere jurgiosâ & difficilis indolis: quia nec beneficus contuliſſet beneficium ingrato, nec juvenis

matrimonium contraxiſſet, niſi ſperaſſet mulierem fore facillimi convictûs: Ergo in caſu propoſito valet legatum, etiamſi legatarius contra ſpem teſtatoris illud ſibi retineat. Quòd ſi de illo ſtatuat ad votum teſtatoris, rem propriam largitur illi, cui lex ipſum dari non prohibet.

Dices: Ejuſmodi legatum eſt in fraudem legis: Ergo eſt hæredibus reſtituendum.

Nego antecedens; nulla enim lex vetat, quominus uxor v. g abſolutè & abſque conditione leget extraneo, & extraneus legati dominus de eo diſponat prout voluerit, ſive in proprium commodum, ſive in gratiam perſonæ, cui teſtator legare prohibebatur.

Inſtabis: Etſi legatarius, de quo eſt ſermo, non agat contra verba legis, ſaltem recedit à mente legiſlatoris, qui juſtis de cauſis noluit ut res familiaris mariti v. g. augeatur ex bonis defunctæ conjugis in damnum legitimorum hæredum: Ergo.

Diſtinguo antecedens: recedit aliquando, nempe ſi legatum ſit inofficioſum, Concedo: ſemper, Nego antecedens. Itaque legiſlator ideo prohibuit quaſdam donationes, putà mariti in gratiam uxoris, & viciſſim, non quòd per ſe malæ ſint & inhoneſtæ; non enim deſunt graves rationes, propter quas uxor honeſtè expetat gratificari marito, & maritus uxori; fortè maritus non habet unde commodè ſuſtentetur, fortè etiam multa impendit propter uxorem diuturniori morbo laborantem, &c. Sed ideo prohibuit ne mutuo amore conjuges ſe ſpolient, inquit lex, quia plerumque hujuſmodi donationes procedunt ex inſano amore, aut alio inordinato affectu, in grave familiarum detrimentum; atque legiſ-

lator, ut obviaret hiſce incommodis, quæ poſſent frequentiùs accidere, omnes ejuſmodi donationes, ſive officioſas, ſive inofficioſas, irritas declaravit. Unde legatarius, de quo hîc agitur, neque contra verba legis, neque contra mentem legiſlatoris, legatum remittet ad votum teſtatoris, ſi aliqua honeſta ratio vel æquitas remittendum ſuadeat: ſecùs, ſi legatum eſſet inofficioſum; tunc enim non ad votum teſtatoris illud reddere deberet.

Q. 14°. *Eſt-ne ſolemnitas aliqua in teſtamentis obſervanda?*

R. In olographis, id eſt, quæ propriâ manu teſtatoris ſcribuntur, alia ſolemnitas non requiritur, quam teſtatoris ſcriptio & ſubſcriptio: quæ duo ita ſunt neceſſaria, ut ſi alterutrum deſit, teſtamentum ſit nullum. Teſtamentum militis ſolâ ejus voluntate perficitur. Nuncupatorium jure Cæſareo firmum non eſt, niſi ſub ſeptem teſtibus maſculis. Jure canonico duo aut tres ſufficiunt, can. *Cùm eſſes*, tit. *de teſtamentis*, ubi expreſſè derogatur Juri civili; his verbis: *Quia verò à divinâ lege, & à ſanctorum Patrum, & à generali Eccleſiæ conſuetudine id eſſe noſcitur alienum*, (nempe ſeptem teſtes eſſe adhibendos) *cùm ſcriptum ſit in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum; præſcriptam conſuetudinem improbamus. Et teſtamenta quæ parochiani coram Præſbytero ſuo; & tribus vel duabus perſonis idoneis in extremâ fecerint voluntate, firma decernimus permanere, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujuſmodi audeat reſcindere teſtamenta.* Denique leges municipales pro diverſitate locorum varias præſcribunt ſolemnitates ad amuſſim obſervandas. Quare Parochis ignorare non licet, quid in hâc parte ferat conſuetudo regionis, in quâ degunt. Cùm enim in-

firmorum ultimas voluntates ex proprio officio exſcribere ſoleant, & in foro exteriori irrita declarentur teſtamenta, quæ debitâ ſolemnitate carent, eorum inſcitia pluribus damnis Parochianos exponeret.

Q. 150. *Teſtamentum ſine præſcriptâ ſolemnitate confectum, eſt-ne irritum etiam in foro interiori, adeo ut hæredes, quamvis ſit eis perſpecta teſtatoris voluntas, non teneantur in conſcientiâ legata ſolvere?*

R. 1°. Si agatur de teſtamento condito in iis locis, quæ jure Cæſareo reguntur, una eſt Theologorum ſententia, legata ad pias cauſas ab hæredibus eſſe præſtanda, etſi teſtamentum præſcriptis eo jure ſolemnitatibus deſtituatur; modò tribus aut duobus legitimis teſtibus nitatur. Hoc expreſſè declaratur ab Alexandro III. tit. de teſtamentis cap. 11. *Relatum: mandamus*, inquit, *quatenus cùm aliqua cauſa talis* (de relictis Eccleſiæ loquitur) *ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundum leges; ſed ſecundùm Decretorum ſtatuta tractetis, tribus aut duobus legitimis teſtibus requiſitis; quoniam ſcriptum eſt: In ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum.* Quæ quidem Pontificis reſponſio, licèt Judicibus Velletrenſibus Romano Pontifici ſubditis directa; tamen etiam ubi viget jus Cæſareum, obtinuit auctoritatem in legatis piis in foro tam externo, quàm interno, partim tacito Principum conſenſu pietatis intuitu annuentium; partim Juriſconſultorum & Theologorum frequenti calculo; partim ipſo uſu Eccleſiaſticorum Judicum, qui olim de teſtamentis pronuntiabant. Rationes hujus ſententiæ ſunt: prima ex ipſius juris Cæſarei & ambiguitate & difficultate reperitur: Ambiguitate quidem, quia jam à multis ſæculis doctiſſi-

mi viri dubitant, num ſolemnitates eo jure præſcriptæ ad teſtamenti validitatem ſpectent, an ſolummodo ad probationem in foro externo perficiendam, tùm quia leges ipſæ Cæſareæ jubent aliquando præſtari legatum, ubi eæ ſolemnitates deſunt, ſi hæres de teſtatoris voluntate conveniat, l. 2. Inſtit. tit. 23. parag. ult. & lege *Quæſtionem*, cod. *de teſtamentis*: tùm quia eas ſæpè prætermitti ſinunt; ut in teſtamento inter liberos, eodem tit. lege, *hâc conſultiſſimâ*, in fine; & in teſtamento militis, cod. *de teſtamento militis*. Unde ſequi videtur peritiſſimis viris leges Cæſareas in hâc parte ſolâ niti præſumptione fraudis, proindeque non habere locum, ubi de voluntate teſtatoris aliter conſtat. Difficultatem verò eas omnes juris ſubtilitates & addiſcendi, & in uſum revocandi nemo prudens non ſentit, teſtamenti verò maximè in legatis piis, notitiam & uſum perfacilem eſſe oportere ratio docet. Secunda ratio ſumitur ex ipsâ piorum legatorum naturâ, quæ non debent cenſeri gratuitæ donationes, ſed remedia quædam vulgò ad teſtatoris ſalutem neceſſaria: ſæp eſunt reſtitutiones ex juſtitiâ debitæ, & à Confeſſario præſcriptæ. Unde nihil mirum, ſi Judices legum interpretes pias ejuſmodi diſpoſitiones venerati, præter legum civilium verba, Legiſlatorum menti adhærentes ſuâ auctoritate munierint.

R. 2°. Si verò agatur de teſtamento confecto in iis locis, quæ jure conſuetudinario utuntur, ut in pleriſque Galliæ provinciis, controvertitur an ulla oriatur obligatio, etiam in foro interiori, pia legata exequendi, ubi aliqua ex his conditionibus ſeu formulis omiſſa eſt, quas vel ad profana legata conſuetudo præſcribit ſub pœnâ nullitatis, v. g. ut duo aut

tres teſtes adſint, quod citatum caput 1. *Relatum*, requirit; ut Notarius publicus, vel Parochus, legata ſuâ ſubſcriptione muniat, ut teſtamenti à teſtatore dictati, eidemque relecti expreſſa mentio fiat: quæ ferè omnia municipales Galliæ leges requirunt; aut ſaltem totum teſtamentum teſtatoris manu ſcriptum & ſubſcriptum ſit.

Valere quidem ſine iis formulis legata pia affirmant plerique noſtri Theologi: alii ſine ullo ſcripto, & teſtium præſentiâ, ſi hæredi conſtet teſtatorem legaſſe. Dico, *legaſſe*, non verò voluiſſe legare; aliud enim eſt, voluiſſe dare, aliud actu & de facto dediſſe; quia per propoſitum dandi non transfertur dominium, nec jus ullum, quo liceat cuiquam ſibi vendicare de bonis defuncti, quamvis olim benevoli: alii ſcriptum requirunt & teſtes, ſed formulas cæteras minimè neceſſarias putant. Certè præter rationem ſecundo loco allatam in confirmationem præcedentis noſtræ reſponſionis, illud eorum opinioni favet maximè, quòd ſupremi Senatûs ſæpeſæpiùs reſciſſis teſtamentis ob neglectas conſuetudinis leges, pia tamen legata, ſi non ſemper integra, ſaltem ex æquitate temperata ſolvi jubent, modò de teſtatoris, tùm voluntate, tùm poteſtate conſtet.

Negant verò alii valere uſquam teſtamentum etiam quoad pia legata has ob cauſas: prima, quia conſuetudines noſtræ nihil diſcriminis ponunt, quoad ſolemnitates, inter pia & profana legata. Porrò in profanis legatis eas requirunt omnes; quas conſuetudo præſcribit: Ergo, inquiunt, & in piis requiruntur. Secunda, formulæ conſuetudinum noſtrarum ferè omnes & faciles ſunt, & jure canonico præſcriptæ, cap. *Cùm eſſes, de teſtamentis*. Et quo-

dammodo jure naturali aut certè gentium neceſſariæ, ut innuit laudatum caput 1. *Relatum*. Tertia, jus canonicum apud nos nec in legatis piis quidquam roboris habet; quia regii juris cenſentur, non Pontificii; Unde jam à duobus ſæculis legatorum piorum cognitio Eccleſiæ foro ſublata Regiis Judicibus reſtituta eſt. Quòd Fevretus de abuſul. 4. c. 7. fuſiùs probat. Quapropter graviſſimi quinque inter Gallos juriſconſulti conſtantiſſimè docent, teſtamenta ex moribus noſtris & Regiorum Judicum arbitrio tota pendere.

Quæ cùm ita ſint, nihil in praxi tutius eſt in tantâ opinionum varietate, quàm leges municipales etiam quoad legata pia ad amuſſim obſervare, & ſi quid in eas peccatum ſit, Magiſtratûs conſilium expetere; cùm ſuper eâ re nulla hucuſque certior regula generatim conſtitui poſſe videatur.

R. 3°. Teſtamentum in foro exteriori irritum defectu ſolemnitatis, cenſeri quoque debet irritum in foro conſcientiæ.

Probatur ex dictis de contractibus in genere, quos oſtendimus eſſe nullos, ſi deſit aliqua ex ſolemnitatibus præſcriptis. Sic venditio aut donatio rerum immobilium irrita eſt in pupillo & minori, defectu ætatis à lege requiſitæ; in majori verò, niſi fiat ſcripto & coram actuario ſeu Notario publico: ſic matrimonium, ſi celebretur in abſentia parochi, vel in gradibus conſanguinitatis & affinitatis lege humanâ prohibitis, ſi cum perſonâ voto ſolemni aſtrictâ, aut metu injuſto coactâ, eſt prorſus irritum. Ergo à fortiori teſtamentum debitis ſolemnitatibus deſtitutum.

Dico, *à fortiori;* cùm enim teſtamentum firmum non ſit, niſi per mortem teſtatoris, tùmque rerum legatarum transferatur dominium, cùm ipſe legans eſſe deſierit: ſequitur teſtatorem propriè non dare, ſed Principem aut Rempublicam ad votum

& conſolationem teſtatoris. Ergo in teſtamento magis attendenda eſt voluntas & diſpoſitio Principis, quàm teſtatoris.

Ex his ſequitur donationes mortis causâ, ſive legata ad alios quàm ad pios uſus, non valere in foro conſcientiæ, niſi adſint ſolemnitates ad teſtamentum requiſitæ: Mævius v. g. tenetur reſtituere hæredibus Titii centum nummos apud ſe depoſitos, licèt idem Titius ipſi ſignificaſſet adhuc vivens ſuæ voluntatis eſſe, ut proprii illi forent, ſi morte præoccuparetur. Idem ſentiendum de eo qui à moriente aliquam partem ſupellectilis, vel quid ſimile dono accepit; quia ejuſmodi donationes in foro externo irritantur.

Q. 16°. *Si Eccleſia rem cum onere ſibi legatam nolit acceptare, poſſunt-ne hæredes illam retinere?*

R. Poſſunt, ſi teſtator illud expreſſerit his aut ſimilibus verbis: *alioquin legatum redibit ad meos hæredes.* Non poſſunt autem, ſi in teſtamento nihil ſimile fuerit expreſſum; ſed legatum transferendum eſt ad alteram Eccleſiam, ſi illud acceptare velit, vel minuenda ſunt ejus onera, & quidem ad mentem teſtatoris, qui præſumitur voluiſſe gratificari Eccleſiæ, & ex errore duntaxat aut inadvertentiâ ulmium onus ipſi impoſuiſſe.

CAPUT XIX.

De Ludo.

Ludus ſpectari poteſt vel generatim, vel ſpeciatim.

Priori modo pertinet ad temperantiæ objectum; ludus enim eſt quædam exercitatio non ſeria ad delectationem ordinata: temperantiæ autem eſt regere animi delectationes, & corporis motus, qui eas vel provocant, vel conſequuntur. Ita ſanctus Thomas 2. 2. qu. 168. art. 2. & 3.

Ludus ſpecificè ſumptus ſub objecto juſtitiæ continetur; eſt quippe ſpecies quædam contractûs in quo ludentes exponunt pecuniam victori decernendam juxta leges juſtitiæ. Huic itaque ludo duas præeſſe virtutes neceſſe eſt, temperantiam ſcilicet, ne inordinata ſit delectatio, cujus cauſâ omnis ludus aſſumitur; & juſtitiam, ne violetur æqualitas, quàm in hâc ſpecie ludi ſervare oportet.

Ex hâc obſervatione ſequitur, ludum qui ad lucrum inſtitutus eſt, ex duplici capite poſſe eſſe vitioſum. 1°. Ex ratione genericâ ludi; nempe ſi ludentes delectationi inordinatæ indulgeant. 2°. Ex ſuâ ratione ſpecificâ, ſi juſtitiæ leges non obſervent. Quapropter extra metas noſtri tractatûs pauliſper excurramus neceſſe eſt, mox ad inſtitutum noſtrum redituri, expendamuſque primo loco quæ ludum in genere ſpectant; deinde quæ propria ſunt ludi, in quo pecunia exponitur.

PARAGRAPHUS I.

De Ludo generatim ſpectato.

Q. 1°. *Quid eſt ludus genericè ſpectatus?*
R. Definitur, exercitatio non ſeria, ad animi defatigati quietem ordinata.

Dicitur 1°. *exercitatio;* quæ ſi in verbis conſiſtat, vocatur jocus, ſi in factis; propriè eſt ludus.

Dicitur 2°. *non ſeria*, quæ enim feriò fiunt, cùm aliquam animi contentionem requirant, ad laborem pertinent, qui naturaliter defatigationem parit: ludus verò eſt contentionis relaxatio.

Dicitur 3°. *animi defatigati;* quia ludus eſt quoddam remedium, non propter ſe appetibilè, ſed propter aliud, nempe propter animi defatigationem tollendam, quæ eſt quoddam malum, quatenùs impedit ſerias & neceſſarias actiones. Aſſumendus eſt ergo ludus ad levandum animum, quemadmodum cibus aut ſomnus ad reficiendum corpus. Ergo ſuperfluitas in his eſt vitioſa, & peccatum.

Dicitur 4°. *ordinata ad quietem*, id eſt, delectationem. Aliter quippe animus quieſcit, aliter corpus. Corporis quies eſt ceſſatio ab opere: animus verò ſine operatione eſſe nequit, niſi fortè per ſomnum: imò quieſcente corpore animus ſolet maximè intendi & defatigari. *Quando anima*, inquit S. Thomas hîc art. 2. *ſupra ſenſibilia elevatur operibus rationis intenta, naſcitur exinde quædam fatigatio animalis... Magis tamen, ſi operationibus contemplationis intendat; quia per hoc magis à ſenſibilibus elevatur.* Quies ergo animi eſt delectatio. Dupliciter autem dele-

ctatio captari poteſt. 1°. Mutando opera ſeria, & tranſeundo à difficilioribus ad faciliora, & magis delectabilia; ut videre eſt in iis, qui pietatem impenſiùs colunt cum firmâ ſatis corporis valetudine: hi quippe ab omnibus ludis abſtinentes, animum reſidere ſolent quibuſdam duntaxat jocoſis confabulationibus, in quibus aliquod boni ingenii lumen reluceat, ut ait Cicero lib. 1. *de Officiis*. 2°. Indulgendo ludicris exercitationibus quandoque neceſſariis iis, qui præ nimiâ infirmitate operibus ſeriis vix intendere queunt.

Ex hâc ludi definitione, patet 1°. ludere aliquando non minùs honeſtum eſſe, quam comedere, quia utrumque eſt vitæ neceſſarium. 2°. Sicut virtus ſobrietatis & temperantiæ neceſſaria eſt, ut quis licitè & honeſtè utatur cibo & potû: ſic ad tenendum modum in ludo requiri aliquam virtutem, quam S. Thomas & omnes Philoſophi communiter eutrapeliam vocant.

Dices, ex S. Chryſoſt. hom. 6. in Matth. *Non dat Deus ludere, ſed diabolus*; & ſancto Ambroſ. lib. 1. *De Officiis*, c. 23. *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis, ait Dominus. Non ſolum ergo profuſos, ſed etiam omnes jocos declinandos arbitror.* Unde S. Ephrem, ſerm. *de abrenunt. Abrenuntio alearum otio & tabularum uſui; ſicut etiam ſancti Apoſtoli hiſce operam dantes atque vocantes excommunicatos ordinarunt .... Væ alearum luſoribus.* Ergo omnis ludus Chriſtianis interdicitur.

Diſtinguo conſeq. cum S. Thomâ art. 2. omnis ludus inordinatus, ſuperfluus, vel propter ſe expetitus, Concedo: omnis ludus neceſſarius, & ad debitum finem ordinatus, Nego conſeq. Itaque laudati Patres & alii, vel loquuntur de ludis flagitioſis, obſcœnis, qua-

les ſuâ ætate videbat frequentari à Paganis; vel de ludis, qui pluribus ſunt proximæ peccandi occaſiones, ut choreæ, aleæ. Vel ſi quandoque videntur ablegare omne ludum à moribus Chriſtianorum, verba illorum accipienda ſunt, quomodo illud Chriſti Domini, Matth. 5. *Ego autem dico vobis non jurare omninò*; nempe ſicut juramentum non eſt per ſe appetibile, ſed ex ſolâ neceſſitate uſurpandum, ut dicetur Tractatu ſequenti; ubi *de juramento*: Sic & ludus, & delectatio quæ illum conſequitur, non eſt bonum, quod ſecundùm rectam rationem propter ſe appetere liceat, quemadmodum ipſe Cicero etiam in tenebris infidelitatis agnoſcit: ait enim libro primo *de Officiis*: *Non ita generati à naturâ ſumus, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potiùs, & ad quædam ſtudia graviora atque majora.* Attamen quia in iis vires tùm animi tùm corporis debilitantur, quibuſdam liberalibus ludicris utendum; ſed ſicut cibo & ſomno, hoc eſt propter neceſſitatem, non verò propter voluptatem, ut ibidem docet citatus Orator.

Inſtabis; ex conceſſis, delectationem tanquam finem ſuæ actionis intendere non licet: Atqui finis, qui à ludentibus intenditur, eſt ſola delectatio. Ergo.

Nego minorem; namque in ludo, quem admittit Chriſtiana Religio & vera Philoſophia, delectatio per virtutem temperantiæ ſeu eutrapeliæ dirigitur ad relaxationem & refectionem animi, tanquam ad finem proximum, ſicut cibus & potus ad corporis refocillationem; ad Deum verò ut ad finem ultimum: quatenus his neceſſariis vegetior & alacrior redditur homo ad ea, quæ Dei ſunt, exequenda. Ergo eutrapelia eſt vera virtus, cùm faciat habentem ſim-

plicitèr bonum ; utpote ad Deum, & ad ceterarum virtutum exercitia rectè diſpoſitum.

Ergo quâcunque arte aut dexteritate polleat ludens, ſine hâc virtute erit ſimpliciter malus, & ſecundùm quid bonus, Gallicè, *un bon Joueur ;* juxta vetus ilud adagium : *Aleator quantò in arte melior, tantò eſt nequior.*

Q. 20. *Quæ obſervanda ſunt, ut ludus inſtituatur ad normam virtutis ?*

R. Tria. Primum, an liceat; ſecundum, an deceat : tertium, an expediat, ſcilicet ad ſalutem, & ad ſeria opera peragenda.

Primo itaque loco attendendum, an liceat ſic ludere. Enimverò rationem ex animo expuiſſe videtur, cui malè agere ludus ſit & voluptas. Delectatio quippe ex operatione naturæ conſentaneâ, ſicut dolor & triſtitia ex diſſentaneâ concipitur, ut docent Philoſophi : & uſu quotidiano experimur : Atqui operatio inhoneſta & turpis naturæ rationali repugnat, & ſoli pecorinæ congruit juxta illud S. Auguſtini effatum : *Vitium eſt hominis, quod natura eſt pecoris.* Ergo nemo exultat in rebus peſſimis, niſi peſſimus, qui ex inoletâ malè agendi conſuetudine alteram naturam quodammodò induit. Unde Salomon Proverbiorum 10. ait. : *Stultus per riſum operatur ſcelus.* Verè ſtultus ille & ſanæ mentis impos ; quia ſi quid in eo ſensûs humani ſupereſſet, nedum obſcœna, & illicita ipſi ludus eſſent & oblectatio quin potiùs in pœnam & tormentum verterentur. Namque, ut ſcribit Tertulianus in Apologetico : *Omne malum natura* (utique rationalis, non pecorina) *timore & pudore perfudit ;* atque ideo illud refugit, ut quid ſibi infeſtum & noxium : & ſi quando vi tentationis ſuccumbat, pudore ſuffunditur, & conſcientiæ ſtimulis compungitur. Quamobrem circa ludum,

dum imprimis inquirere an liceat.

Non licet autem, 1°. ſi ludi materies ſit vel obſcœna & turpis juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Fornicatio autem & omnis immunditia... nec nominetur in vobis... aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas.* Vel ſi ludenti ſit nociva, ut in ludicris Equeſtribus certaminibus, *les Tournois*, haſtiludiis; taurorum agitatione, ubi ludentium vita periculo exponitur. Vel ſi in proximum injuſta & contumelioſa, ut ſunt ſcommata, & ſannæ, quæ eò acriùs pungunt, quò ſubtiliùs & acutiùs feruntur: eſt enim inhumanum indè delectari, undè proximus triſtatur. 2°. Quamvis ludi materia ſit per ſe indifferens, ſi tamen per legem humanam prohibetur, utpotè quæ ſoleat eſſe occaſio plurium criminum, putà luxuriæ, rixæ, blaſphemiæ, ſine peccato in ludum aſſumi nequit. Quid eſt enim peccatum, niſi dictum vel factum contra legem?

Nec dicas legem minùs prohibere ludum, quam peccata, quæ in eo ſolent admiſceri, ac proindè tranſgreſſorem legis non eſſe, qui peccata, propter quæ talis ludus interdicitur, ſollicitè cavet. Namque legis prohibitio directè cadit in ipſam peccandi occaſionem, quam legiſlator vult abſolutè removere. Sic Patres Tridentini attendentes quanta mala ex clandeſtinis conjugiis oriri ſolent, illa abſolutè irritarunt. Sic Epiſcopi communiter ſub gravibus pœnis prohibent, ne Clerici quovis prætextu in popinis comedant, niſi in caſu peregrinationis; nec auditur excuſatio dicentium ſe in popinâ ſobriè & modeſtè fuiſſe converſatos. Sic Eccleſia artem hiſtrionicam, ſeu comicam abſolutè damnat, ejuſque profeſſores (reclament licèt ſuos theatrales ludos ab omnibus obſcœ-

nis expurgatos) excludit tùm à perceptione Sacramentorum, quandiù in illa profeſſione vixerint: tùm à ſepulturâ eccleſiaſticâ, ſi in eâ uſque ad mortem obſtinati permanſerint. Quænam enim in illis ſpectaculis audiuntur, niſi amatoria? Quid cernitur niſi pompa ſatanica; nimirùm viri & mulieres ad ſeducenda aſtantium corda compoſiti, qui libidinis ignes injiciunt, dùm ſe produnt: qui impudicorum paſſiones excitant, dùm deſcribunt & exaggerant.

Duplici ergo ex capite peccant, qui ad illa ſpectacula conveniunt. Primò, quia peccandi periculo ultrò ſe exponunt. Secundò, quia participes ſunt ludi exitialis, & ab Eccleſiâ prohibiti. Hâc duplici ratione Tertullianus, libro de ſpectaculis, inſectatur eos, qui illa frequentant. *Non ergo fugies*, inquit cap. 27. *ſedilia hoſtium Chriſti, illam cathedram peſtilentiariam, ipſumque aërem ſceleſtis vocibus conſtupratum? Sint dulcia licèt, & grata, & ſimplicia, etiam honeſta quædam. Nemo venenum temperat felle, & elleboro, ſed conditis pulmentis, & benè ſaporatis....proindè habet, ac ſi ſtillicidia mellis de libacunculo venenato.* Et cap. 17. *Quòd ſi nobis omnis impudicitia execranda eſt, cur liceat audire, quæ loqui non licet; cùm etiam omnem ſcurrilitatem, & omne verbum vanum judicatum à Deo ſciamus? Cur æquè liceat videre, quæ facere flagitium eſt? Cur quæ ore prolata coïnquinant hominem, ea per oculos & aures admiſſa non videantur hominem coïnquinare, cùm ſpiritui appareant aures & oculi, nec poſſit mundus præſtari, cujus apparitores inquinantur?* Tùm refellit illos, qui aſſerunt ſe minimè affici iis, quæ ibi dicuntur & fiunt, reoſque pronuntiat, vèl ex eo quòd ſaltem communicant cum perditis hominibus. *Nam etſi* (inquit cap. 15.) *qui modeſtè & probè ſpectaculis fruitur, non tamen*

immobilis animi & ſine tacita ſpiritûs paſſione .... Nobis ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus, niſi & talia facientibus non conferamus. Si furem, inquit, videbas, currebas cum eo. Et cap. 24. *Nemo in caſtra hoſtium tranſit, niſi projectis armis ſuis, niſi deſtitutis ſignis & ſacramentis Principis ſui, niſi pactus ſimul perire.*

Inter exitioſa ſpectacula ſancti Patres & Theologi choreas numerant, & quidem meritò. Unde enim impotens ille ſaltandi pruritus, niſi ex mutuâ maſculi & fœminæ ad invicem concupiſcentiâ? Saltatio quippe nullatenùs per ſe delectat, frigetque, niſi in eâ ſocientur viri & mulieres; imò inſanire viderentur, qui ſeorſim à mulieribus ſaltarent. *Nemo ſaltat ſobrius*, inquit Tullius. Ergo ſoli ſaltant ebrii. Ebrii, inquam, non à calore vini, ſed ab æſtu libidinis, quæ in hujuſmodi ludis effrænis dominatur, juxta illud Proverb. 6. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ne non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.* In quem locum ſanctus Cyprianus, aut quivis auctor, de ſingularitate Clericorum, ſic ſcribit: *Lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat. Incerta victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare, & impoſſibilis liberatio flammis circundari, nec ardere. Ipſi ergò nos fallimus, quòd inordinatè credimus ut inter maſculos & fœminas ſperemus paſſim caſtitatem immobilem cuſtodiri. Caſuale eſt omne quod fœminæ eſt, & copulatio ejus ſemper infeſta. De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant; & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam, quam Salomon ſic comparat; De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri,*

Eccli. c. 42. Enimverò ſi occurrens ex improviſo momentaneus fœminæ aſpectus velut ſagittas alienis oculis conjicit ; & concupiſcentia, quamvis honeſtatis jugo compreſſa, inde tamen commovetur & ſubſilit : quomodò tùm quieſcet, cùm illi laxantur habenæ, cùm ex profeſſo delectatio captatur ex conſortio cum mulieribus præparatis ad capiendas animas, ut dicitur Proverb. 7. Annon animarum laqueos dixeris ſplendentem corporis ornatum, capitis & pectoris denudationem, compoſitos pedum greſſus, ſuavem vocis modulationem, manuum contrectationem ? ad ludi enim leges pertinet, quod alibi turpe cenſeretur, nempe mulieres manus præbere viris, nonnunquam & oſcula. Quare celeberrimus Academiæ Pariſienſis Cancellarius, ſerm. in Dom. 3. Adventûs, meritò concludit, *choreas, ob fragilitatem hominum, difficilè ſine diverſis peccatis haberi, & omnia peccata choreiſare in choreis.*

At plures affirmant ſe ex choreis recedere ſine conſcientiâ ullius peccati. Fortaſſis verè id dicunt ; ſed non in hoc juſtificati ſunt. Vel enim ignorant quam minimam delectationem veneream plenè voluntariam eſſe peccatum, & quidem lethale : vel circà exteriora effuſi non advertunt quid in cordis ſecreto agatur ; caditque in illos quod Oſee c. 7. ſcripſit de Ephraïm : *Comederunt alieni robur ejus, & ipſe neſcivit.* Atque hæc de ludis illicitis. Utrum autem alea in illis ſit reponenda, expendemus paragrapho ſequenti.

Secundò ; ſatis non eſt quòd ludus ſit licitus ? ſed expendendum inſuper an deceat. Non enim quæcunque agere per legem licet, ea exequi continuò decet. Virtutis actum imperat lex : At modeſtia & honeſtatis ratio virtutis præſcribit

modum, eique ſola venuſtatem confert. Hæc ratio decori ita virtuti conjungitur, ut ſi abſit, nec virtus appellanda ſit. Aberrat interdùm ab inſtituto natura, ejuſque opera aliquando prodeunt rudia & impolita: at virtutis opera non item. Iſta, niſi honeſtatis, ſeu decori ratione exornentur, virtuti tribui nequeunt: aliàs diceretur invenuſta & indecora venuſtas; virtus quippe venuſtas animi eſt.

Ex quo intelligitur ludum non forè temperantiæ & eutrapeliæ legibus conſentaneum, niſi hâc modeſtiæ & honeſtatis ratione temperetur. Quamobrem ſatis non eſt obſervaſſe an ludus liceat, niſi & diligenter, atque etiam pluſquam in ſeriis caveatur, an deceat. Cùm enim ludus ſit animi relaxatio & quies, inferior hominis pars, appetitus ſcilicet, ſenſuſque corporis, laxatis quodammodò frænis, longiùs evagantur, ſenſimque imperium ſumunt, eò confidentiùs quod verſari in materiâ licitâ, nec ulli legi adversâ, videantur.

Hæc autem honeſtatis ratio, ſeu decorum, non tàm ex ſubjectâ ludi materiâ pendet quàm ex adjunctis perſonarum, locorum, ac temporum opportunitate & convenientiâ. Sunt quippe quædam ludorum genera, quibus vacare per legem omninò licet, quæ nonnullas tamen perſonas minimè decent. Conceditur viris ad ludendum materies, quâ nonniſi indecorè mulieres uterentur, & contra. Quædam ſunt, quæ in Laïcis nihil habent offenſionis, habent verò plurimùm in Clericis. Quædam permittuntur privatim & clam, quæ in publico & coram aliis vitio verterentur, aut certè minimè probarentur. Idem de temporis opportuni-

tate dicendum. Ludi quidam ſunt, qui certis quibuſdam diebus nullâ ratione adverſantur, qui tamen omninò abhorrent ab aliis diebus pœnitentiâ, aut pietate publicâ conſecratis. Quàm indecorè v. g. homines ad colludendum unum in locum congregarentur feriâ ſextâ majoris hebdomadæ, aut die ſancto Paſchæ, aut aliquo feſto ſolemni? Quis neſciat Parochos in animis populorum auctoritatem omnem deperdere atque opinionem, ſi quando intelligant populi coïre inter ſe, ac congregari Paſtores ad oblectationem & ludum? Quòd ſi horum legem, aut rationem expoſtules, impudens & inverecundus videberis; hæc enim non ſtudio vel præceptis diſcuntur, ſed nativo ſentiuntur pudore, quo quiſquis caret, ad virtutem informari non poteſt, ſicut is, cui communem intelligendi vim non conceſſit natura, nunquam ad ſcientiam, aut liberales artes inſtituetur. Pudor & verecundia rationem prævenit, & virtutibus hoſpitium parat, (ut advertit ſanctus Bernardus ſerm. 86. in Cant.) eſt naturæ humanæ laus, vitæ noſtræ decus, virtutum primitiæ & cuſtos, origo & radix modeſtiæ & inſigne totius honeſti. omnem ætatem ornat, adoleſcentibus lubricos motus coërcet, comprimit inſolentes. In ſexu fragili ſcutum inexpugnabile tela ignea inimici expellens, & innatam puritatem propugnando. In provectioribus ætate morum auriga. In ſenibus ſingulare ornamentum, & pulchritudo omnibus placens. Tolle pudorem & modeſtiam ex hominum vitâ, tanquam ſi corpus ſuâ pelle nudatum oculis objicias, fœdum ſcilicet & injucundum ſimulachrum. Quæ ſi vera ſunt de rebus gravibus, ac per ſe bonis, quantò magis de ludicris quæ inter res bonas, ac virtutis actus

haberi non aliter queunt, quàm ex fine ad quem diriguntur, & ex regulâ ac modo, quem quiſque ad ludum adhibet.

Tertiò, liceat ludus, deceatque, honeſtus tamen non erit, ſed in peccatum vertetur, niſi & expediat ad æternam ſalutem, & ad debita virtutis officia proſequenda.

Probatur ex præſtructo principio ab omnibus tùm Theologis, tùm Philoſophis etiam Gentilibus recepto, ſi unum Epicurum excipias, nempe delectationem, quæ ludum conſequitur non eſſe bonum propter ſe expetibile, nec habere rationem finis, quo frui liceat: ſed eâ utendum, quomodo alimentis, hoc eſt quantùm neceſſe eſt ad reparandas animi vires ſeriis occupationibus imminutas; & ad reſtauranda ſolita virtutis officia, ad quæ à naturâ inſtituti ſumus.

Hanc doctrinam tradiderunt Tullius ſuprà laudatus, Ariſtoteles *in Moralibus*, & Seneca I. *de beatâ vitâ cap.* 88. Ubi Epicurum inſectatur his graviſſimis verbis: *Tu voluptatem ſequeris; ego compeſco: tu voluptate frueris, ego utor. Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atque abigit; alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit nec unquam ad eas propter ſe venit.* Ad quæ reſpiciens S. Auguſtinus Julianum concupiſcentiæ patronum ſic urget, *Obſecro te, non ſit honeſtior Philoſophia gentilium; quàm noſtra Chriſtiana, quæ una vera eſt Philoſophia.* Et lib. 10. Confeſſionum, cap. 13. Deum ſic alloquitur: *hoc me docuiſti; ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dùm ad quietem ſocietatis ex indigentiæ moleſtiâ tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ .... & cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi; adjungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quòd*

ſalutis causâ me facere vel dico, vel volo, nec idem modus utriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt.... his tentationibus quotidiè conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam... quia conſilium mihi hâc de re nondum ſtat... Ebrietas longè eſt à me, miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſubrepit ſervo tuo, miſereberis, ut longè ſit à me.

Nec movere debet quorundam Theologorum ſententia, hâc propoſitione expreſſa: *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui:* vix enim in lucem prodiit peregrina illa doctrina, cùm exploſa eſt. Innocentius XI. anno 1679. uti ſcandaloſam eam proſcripſit. Clerus Gallicanus anno 1700. temerariam, erroneam, & ad Epicuri ſcholam ablegandam cenſuit. Conſtat igitur apud omnes delectationes non eſſe propter ſe expetendas, ſed iis utendum ſive in ſeriis, ſive in ludicris, quantùm expedit tùm ad corporis valetudinem, tùm ad animi ſublevamen & ſalutem. Sicut ergo temperantia tria cavet in uſu alimentorum: primum, ne obſint valetudini: ſecundum, ne meta neceſſitatis excedatur: tertium, ne in neceſſariis voluptas dominetur: Sic in ludicrorum uſu eutrapelia.

Primò illos abigit ludos, in quibus ea mentis contentio exigitur, ut animum, nedum relaxent, quin potiùs illum defatigent. Sic enim ludere labor eſt, non ſolùm inutilis, ſed & noxius, cùm ludentem minùs aptum reddat ad ſeria virtutis opera ad quæ ludus ex inſtituto ordinatur, tanquam medium ad finem.

Secundò reſecat ludos ſuperfluos, nec admittit niſi neceſſarios. Illud enim diſcrimen eſt

inter virtutes, quæ verſantur circa finem, ut fides, ſpes, charitas, & virtutes quæ occupantur circa media delectabilia, quales ſunt temperantia, eutrapelia; quòd priores hominem diſponant, propenſioremque reddant ad magis & magis appetendum bonum, quod habet rationem finis, & ad ſuaviùs firmiùſque quieſcendum in ejus poſſeſſione: poſteriores contra totæ ferè ſint ad refrænandam concupiſcentiam, quæ pro fine habet delectationem, & ad eam inclinat ſine modo & menſurâ. Nam ex ſancto Thomâ 1. 2. quæſt. 30. art. 4. *Semper concupiſcentia finis eſt infinita; finis enim propter ſe concupiſcitur, unde major ſanitas magis concupiſcitur; & ſic in infinitum, concupiſcentia verò ejus quod eſt ad finem non eſt infinita; ſi ſecundum illam menſuram appetitur, quæ convenit fini. Unde qui finem ponunt in divitiis, habent concupiſcentiam divitiarum in infinitum; qui autem divitias appetunt propter neceſſitatem vitæ, concupiſcunt divitias finitas, ſufficientes ad neceſſitatem vitæ, ut Philoſophus dicit* 1. polit. cap. 6. *& eadem eſt ratio de concupiſcentiâ quarumcunque aliarum rerum*, putà alimentorum & ludicrorum.

De alimentis ſuprà dixit S. Auguſtinus, *quod ſaluti ſatis eſt, voluptati parum eſt.* De ludicris etiam idem Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 148. art. 4. ait, *Parum de delectatione ſufficit ad vitam, quaſi pro condimento, ſicut parum de ſale ſufficit in cibo.* Hinc virtutes quæ ſunt circà uſum mediorum delelectabilium, vocantur temperantia, caſtitas, abſtinentia; quia præcipuum earum officium eſt cavere exceſſum, temperare & quaſi caſtigare concupiſcentiæ ardorem, reſecareque quod in hujuſmodi ſuperfluum eſt; adeout quiſquis vitam ſuam inſtituit ſecundùm temperantiæ, & eutrapeliæ leges, is fit in cibo & ludo parciſſimus ac frugaliſſimus.

Q v

Porro, cùm ex ludi uſu cupiditas, nedum minuatur, quàm ſæpiſſimè potiùs augeatur, impotenſque naſcatur ludendi neceſſitas, quæ priùs non inerat; quis in hujuſmodi hominibus intemperantiæ vitium non æquè agnoſcat, ac in illis qui veſcendi conſuetudine guſtûs illecebris magis detinentur.

Tertiò, eutrapelia cavet, ne in ludo etiam neceſſario delectatio propter ſe appetatur; ſed ordinat eam ad ſeria opera, ut docet S. Thomas citato articulo 4°. ubi ſic habet, *Delectatio & quies non propter ſe appetuntur in humanâ vitâ ſed propter operationem.* Et ſanctus Auguſtinus lib. 10. de Trinit. cap. 10. *Non eſt*, inquit, *alia vita hominis vitioſa atque culpabilis, quàm malè utens, & malè fruens.* Quid ſit autem uti & frui explicat lib. 1. de Doct. Chriſtianâ cap. 3. & 4. his verbis: *frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſe ipſam; uti autem, quod in uſum venerit, ad id quod amas obtinendum referre. Illa quibus fruendum eſt, nos beatos faciunt; illis quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad illa, quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque in his inhærere poſſimus . . . Si eis quibus utendum eſt, frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando deflectitur, ut ab iis rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur inferiorum amore præpediti.*

Ideo autem delectatio, quæ uſum mediorum comitatur, curſum noſtrum ad beatitudinem retardat, ſi imperium ſibi aſſumat, tum quia rationis judicium impedit corrumpitque æſtimationem prudentiæ, ut loquitur S. Thomas 1. 2. quæſt. 4. art. 5. tum quia mentis attentionem ad ea quæ finis ſunt, diſtrahit, revocatque ad objectum delectabile: tùm quia, cùm ſit quies in bono adepto, voluntatem ſic figit, ut

cetera, quamvis meliora & magis delectabilia, contemnat, ut videre eſt in parvulo nondum ablactato, qui lactis ſuavitate illectus cibos delicatiores rejicit. Tales exiſtima ludicrorum delectationibus præoccupatos; ii quippe, utpotè expertes delectationis, quæ opera virtutum præſertimque orationem & contemplationem comitatur, ea negligunt, averſanturque.

Q. 5°. *Quale eſſe poteſt peccatum in ludo?*

R. Primò, certum eſt eſſe mortale, ſi ludus fit in materiâ notabiliter malâ, vel ſi ita ludentem dedeceat, ut inde grave naſcatur ſcandalum.

Secundò, affici pluſquam expedit ad ludum per ſe licitum, eſt peccatum ex genere ſuo duntaxat veniale. Poteſt tamen eſſe tantus exceſſus ut ad mortale pertingat.

Prima pars probatur ex receptâ apud omnes Theologos ſancti Thomæ doctrinâ, ex eo peccatum eſſe mortale, quòd opponatur charitati, in quâ vita animæ ſpiritalis conſiſtit: Atqui nimius ille affectus per ſe non opponitur charitati nec avocat ab ultimo fine; ſed eſt quædam inordinatio circà media, quâ retardatur curſus noſter, ut ſuprà docebat Sanctus Auguſtinus. Ergo non eſt peccatum mortale; ſed veniale duntaxat.

Secunda pars probatur auctoritate ejuſdem Doctoris Angelici 2. 2. quæſt. 148. ubi ſic docet: *exceſſus in ludo quandoque poteſt eſſe mortalis, propter vehementiam affectûs ad ludum, cujus delectationem præponit dilectioni Dei.* Hoc autem vitio detinentur, qui manè non ſurgunt niſi ad ludicras exercitationes; quaſi exiſtiment luſum eſſe vitam noſtram, ut dicitur Sapient. 15. Nec obſtat quòd quotidiè ex iis nonnulli interſint ſacro; verè enim in illos cadit quod ſcriptum

Q vj

eſt Marci 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*, nimirùm in ludo ſuperfluo, quem Deus reprobat. Unde ſequitur, *in vanum autem me colunt*. Item Matth 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei.* Enimverò ad beatitudinem conſequendam duo abſolutè requiruntur, ſcilicet rectitudo voluntatis, & ſancta operatio, ſeu meritum. De rectitudine voluntatis ſic ſcribit S. Thomas 1. 2. quæſt. 5. art. 4. *Rectitudo voluntatis eſt per debitum ordinem ad finem ultimum: finis autem comparatur ad id quod ordinatur ad finem, ſicut forma ad materiam. Unde ſicut materia non poteſt conſequi formam, niſi ſit debito modo diſpoſita ad ipſam; ita nihil conſequitur finem niſi ſit debito modo ordinatum ad ipſum; & ideo nullus poteſt ad beatitudinem pervenire, niſi habeat rectitudinem voluntatis.* De ſanctâ verò operatione & merito ſic docet quæſt. 5. art. 7. *Cùm beatitudo excedat omnem naturam creatam, nulla pura creatura convenienter beatitudinem conſequitur abſque motu operationis, per quam tenditur in ipſam: ſed Angelus, qui eſt ſuperior ordine naturæ, quàm homo, conſecutus eſt eam ex ordine divinæ ſapientiæ uno motu operationis meritoriæ: homines autem conſequuntur ipſam multis motibus operationum, quæ merita dicuntur.* Unde etiam ſecundùm Philoſophum, *beatitudo eſt præmium virtuoſarum operationum.*

Sed habemus firmiorem Evangelicum ſermonem, in quo vita æterna adultis non proponitur, niſi ut merces & corona: merces autem æterna non redditur otioſis & luſoribus; ſed ſtrenuè laborantibus: nec corona cœleſtis decernitur propter ludicras pugnas & victorias; ſed propter ſerias contra carnis concupiſcentias & vana mundi oblectamenta. Denique Matt. 25. ſervus, cui ſatis fuit talentum ſibi commiſ-

ſum, ſollicitè cuſtodire, & nulla cura fuit lucrum ex eo faciendi hoc judicium à Domino excepit, *ſervum inutilem ejicite in tenebras exteriores.* Ergo, *carere meritis ſatis ad judicium eſt*, inquit ſanctus Bernardus ſerm. 68. in Cantic. Ergo ſacrorum Miniſtri inutiles luſores non abſolvant, quos Dominus tam ſeverè condemnat, nec ad ejus oſculum admittant, quos ipſe indignabundus rejicit.

Quandam hîc difficultatem Confeſſariis faceſſunt nonnulli divites, qui cùm ſint ſine litteris, nec ullum officium in Republicâ gerant, nec familiæ regendæ præſint, totos dies vacuos ducent, niſi vacent ludicris. Sed abſit charitatem otioſam eſſe in corde juſti, ſi exteriores deſint occupationes. Juſta quidem negotia tum ſuſcipit, cùm imponuntur; ſed ubi liberum eſt, illa deponit veluti onera, & ſalutis impedimenta. Mulier innupta, judicio Apoſtoli 1. Corinth. 7. felicior eſt muliere nuptâ; quia illa cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta ſpiritu & corpore; hæc verò cogitat quæ mundi ſunt, & diviſa eſt. Quòd ſi divites illi ad hanc perfectionem tendere non audent, vel Deo ſerviant in adminiſtratione rerum temporalium: vel ſi id ipſis conſultum non ſit, legem Dei aſſiduè meditentur, mores ad illam componant ope & conſilio viri pii & prudentis, miſeris opitulentur, infirmos & captivos viſitent, pupillis ſint patres & adjutores. Denique Apoſtoli vox eſt 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe ... bene agere divites fieri in operibus bonis ... ut apprehendam vitam æternam. Pernicioſa quippe paupertas, penuria meritorum*, inquit S. Bernardus ſerm. 68. in Cant.

Paragraphus II.

De ludo in quo pecunia exponitur.

Quæ ſuperiori paragrapho dicta ſunt de ludo in genere, ad hanc ludi ſpeciem omninò pertinent. Namque ex communi Philoſophorum effato, quæ conveniunt generi, eadem & ſpeciei convenire neceſſe eſt: ac proinde niſi ludus, de quo hîc tractandum ſuſcipimus, regatur ſecundùm temperantiæ & eutrapeliæ leges ſupra expoſitas, vitioſus eſt & illicitus. Sed quædam illi ſunt propria nunc expendenda ſequentibus quæſtionibus. Itaque

Q. 1°. *Quotuplex hîc diſtinguendus eſt ludus?*

R. Duplex, alius potiſſimùm regitur induſtriâ, ut pilæ ludus: alius caſu & fortunâ, ut ludus taxillorum & chartarum, diciturque alea.

Q. 2. *Quotuplex alea?*

R. Duplex diſtingui ſolet: alia quæ tota ferè à caſu pendet, ut ludus taxillorum: alia quæ partim fortunâ, partim induſtriâ nititur, ut nonnulli chartarum ludi. Sed de utrâque aleâ leges indiſcriminatim loquuntur.

Q. 2°. *Quotuplici modo pecunia in ludo exponi poteſt?*

R. Duplici: 1°. ad meram animi relaxationem & delectationem; languet enim nonnunquam ludicra exercitatio, niſi vincenti quidpiam proponaturin præmium. 2°. Ad lucrum faciendum: ſed cùm hæc lucrandi intentio ex cupiditate proficiſcatur, nonnulli religioſores viri decernunt lucri loco quaſdam preces in commodum victoris recitandas. Sed ſancta ſanctè tractanda

ſunt ; nec videntur ſatis religioſè miſceri ſacra cum ludicris.

Q. 4°. *Eſt-ne licitum exponere pecuniam in ludo ?*

R. 1°. Conſtat apud omnes id per ſe eſſe licitum, ſi fiat gratiâ animi reficiendi ; quia ſi rem ſuam alteri gratis & abſolutè donare licet, quidni & ſub conditione honeſtâ, nempe ſi ludus honeſtus ipſi feliciter ſuccedat?

Dixi, *per ſe ;* nam ex multis circunſtantiis poteſt vitioſus eſſe ille ludus. 1°. Si per legem ſit prohibitus, ut de aleâ nonnulla eſt quæſtio ſtatim examinanda. 2°. Si nimia pecuniæ quantitas exponatur. 3°. Si fraus, aut quævis injuſtitia interveniat. 4°. Si temperantiæ & eutrapeliæ leges, de quibus paragrapho ſuperiori, violentur. In hoc quippe ludo duæ virtutes ex dictis concurrere debent, ſcilicet temperantia, ſeu eutrapelia, & juſtitia. Unde ludus ex utroque capite, vel ex alterutro vitioſus exiſtere poteſt ; adeo ut peccatum ſit vel contra temperantiam ſimul & juſtitiam, vel contra temperantiam duntaxat.

R. 2°. Ludus, in quo lucrum principaliter intenditur, eſt vitioſus ex duplici capite. 1°. Quia lucrum, cùm ſit bonum duntaxat utile, ad finem honeſtum referri debet, alioquin appetitus ejus eſt inordinatus, & turpis avaritia. 2°. Quia ille lucrandi modus eſt planè otioſus, nedum Reipublicæ, aut ipſi ludenti utilis, quin potiùs valde noxius, utpote qui inertiam foveat, à ſeriis operibus avertat, nec ad ultimum finem referri poſſit, ſicut mercatura, & artes ſive liberales, ſive mechanicæ, quibus promovetur bonum publicum. Quamobrem pecunia in ludo honeſtè non exponitur, niſi ad neceſſariam animi defatigati relaxationem. Ita Toſtatus in caput 6. Matthæi, ubi ſic ſcri-

bit : *Cùm ſit animo lucrandi, ut lucrans ſolus habeat pecuniam, ludus non eſt licitus, eo quòd finis eſt inhoneſtus.* Et infra ; *non eſt modus conveniens transferendi dominium, ſcilicet per iſtos ludos ; cùm iſti non proſint Reipublicæ, ſed potiùs noceant .... & quicunque utitur iſtis ludis ; & hâc ſolâ lucrandi intentione ludit, peccat mortaliter.*

Q. 5°. *Eſt ne licitum exponere pecuniam in aleâ ?*

R. Alia indeterminatè, ſive fortunâ duntaxat, ſive partim fortunâ, partim induſtriâ nitatur, prohibita eſt tum lege civili, tum lege Eccleſiaſticâ, præſertim Clericis

Prima pars quæ eſt de lege civili, probatur. Lege *ſolent*, tit. *de alcatoribus*, lib. 11. Digeſt. ſic habetur. *Senatuſconſultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam ſi quis certet haſtâ, vel pilâ jaciendâ, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causâ fiat.* Et lege *quibus*, ſponſionem facere non licet, niſi in rebus, ubi pro virtute certamen fit, hoc eſt, ubi ludus innititur dexteritate & induſtria. Et codice *de religioſis & ſumptibus funerum*, tit. 43. lege finali ſic ſtatuitur : *Generali lege decernimus ut nulli liceat in publicis vel privatis locis ludere, neque inſpicere : & ſi contractum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur.* Adeo ipſi Gentiles aleam deteſtabantur, ut aleatores componant cum latronibus, ut Ariſtoteles 4. Et hic. vel cum adulteris, ut Juvenalis ſatyrâ 14. vel cum ipſis dæmonibus, ut Plato. Carolus Magnus lib. 6. cap. 2. ſtatuit, quòd Epiſcopus, Preſbyter, Diaconus aleator eſſe non debeat ; ſimiliter Clerici & Laïci ſi in aleâ permanſerint, communione priventur. S. Ludovicus ſic decernit : *Inhibemus diſtrictè, ut nullus omninò ad taxillos ludat, ſive ad aleas, & ſcachos, & ſcholas etiam deciorum prohibemus, & prohibere volumus omninò, & tenentes eâ diſtrictiùs puniantur.* Fa-

brica etiam deciorum prohibeatur. Ludovicus XIII. aleam prohibuit anno 1621. Sed referenda ſunt verba Edicti ab ipſo lati anno 1629. *Nous défendons & interdiſons à tous nos Sujets de recevoir en leurs maiſons les Aſſemblées pour le jeu qu'on appelle Academies, ou Berlans. Déclarons dès à preſent tous ceux qui y contreviendront, ou qui ſe proſtitueront à un ſi pernicieux exercice, infames, inteſtables, & incapables de tenir jamais Offices royaux. Déclarons toutes dettes contractées pour le jeu, & toutes obligations & promeſſes faites pour le jeu, quelque déguiſées qu'elles ſoient, nulles & de nul effet, & déchargées de toutes obligations civiles & naturelles.*

Secunda pars, quæ eſt de lege Eccleſiaſticâ, probatur ex can. 42. & 43. Apoſtolorum. *Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deſſerviens, aut deſinat, aut certè communione privetur. Subdiaconus, aut Lector ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur: ſimiliter Laïcus.* Ex Concilio Eliber. cap. 79. *Si quis fidelis aleâ; id eſt tabulâ, luſerit, poſt annum poterit communione reconciliari.* Ex Concilio Quiniſexto, can. 5°. *Nullum omninò, ſive Clericum, ſive Laïcum, ab hoc deinceps tempore, aleâ ludere: qui ſecùs fecerit, excommunicetur.* Mitto plura Concilia Provincialia.

Tertia pars, quæ eſt de Clericis probatur tùm ex mox laudatis canonibus, tùm ex cap. *Clerici*, extra *de vitâ & honeſtate Clericorum*, ubi ſic habetur: *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint*; tùm præſertim ex Concilio Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. *de reform.* ubi innovat & confirmat antiquos canones aleam prohibentes.

Nec dicas contrariam conſuetudinem contra hujuſmodi leges præſcripſiſſe. Namque 1°. ſapientiores, & qui ceteris in exemplum ad-

duci poſſunt: ab aleis prorſus abſtinent. Porro conſuetudo contraria non præſcribit contra legem, quandiu ſanior pars multitudinis ei repugnat. Quis v. g. diceret, legem Jejunii quadrageſimalis hodie non vigere, quia quam plurimi eam non obſervant? 2°. Quia conſuetudo tùm contra legem præſcribere nequit, cum Legiſlator reclamat & contradicit: Atqui ab initio naſcentis Eccleſiæ uſque ad noſtram ætatem, nova ſemper contra aleatores edicta prodierunt, præſertim contra Clericos. Concilium Trid. cit. cap. mandat Epiſcopis, ut ſi qui canones adversùs Clericos aleatores in diſſuetudinem abierint, quam primùm in uſum revocent, invigilentque ut ab omnibus accuratè cuſtodiantur ſub iiſdem pœnis, vel majoribus. Huic Decreto hactenùs paruiſſe Epiſcopos Galliæ teſtantur Concilia Provincialia, libri Rituales ſingularum diœceſeum, & ſtatuta ſynodalia: ergo conſuetudo in hâc parte nedum tollit, aut minuit peccatum, quin potiùs illud augere aſſerit Innocentius III. cap. *Inter dilectos, de exceſſ. Prælat.* ubi ſic reſcribit ad Epiſcopum Turonenſem: *Unde licèt ad palliandum tantæ præſumptionis exceſſum, propoſuerit quòd hoc fecerat juxta conſuetudinem Clericorum Gallicorum: nos, qui ex noſtri officii debito peſtes hujuſmodi extirpare proponimus, excuſationem prædictam, quæ per pravam conſuetudinem; quæ corruptela dicenda eſt, palliatur, frivolam reputantes: cùm in illis magis plectibilis ſit offenſa, per quæ ad excuſandas excuſationes in culpis delinquendi auctoritas uſurpatur.*

Confirmatur reſponſio. Nulla eſt conſuetudinis auctoritas, quando contraria eſt bono publico, morum diſciplinam ſolvit, & innumera mala in ſocietatem invehit; atqui alea adeò evidenter eſt periculoſa & contraria bono publico,

ut jure gentium videatur interdicta, omnes enim homines cujuſcumque nationis & ſectæ illam proſcripſerunt tanquam omnium malorum conciliatricem. Unde Panormitanus in caput citatum *Clerici*, ſic ait: *Ergo etiam plus credo, quòd etiam conſuetudo non valeat; quoniam conſuetudo inducens peccatum. ſeu reddens faciliores homines ad peccatum non valet. Sed certum eſt hoc contingere in iſto ludo, ut experientia docet.* Quin & ipſi Calviniſtæ cap. 14. *De diſciplinâ, de aleâ*, ſic cenſent: *Tous jeux défendus par les Edits du Roi, comme cartes, dez, & autres jeux de hazard; & ceux où il y aura avarice, perte notoire de temps, ou ſcandale, ſeront réprimez, & les perſonnes repriſes & admoneſtées dans le conſiſtoire.*

Q. 6°. *Quale eſt peccatum aleâ ludere?*

R. 1°. Aleæ deſervire, hoc eſt aleæ impensè eſſe deditum in his circumſtantiis, quæ ſpectantur à legibus, eſt peccatum mortale; & niſi reſipiſcant, tùm aleatores, tùm qui pro iis ſpondent, tum qui domos ſuas ad aleam præbent, à Sacramentorum perceptione ſunt repellendi. Hæc prima reſponſio prout jacet videtur certa, & ab omnibus admittenda.

Probatur 1°. ex legibus mox laudatis, quæ decernunt graves pœnas in aleatores; ſive ſint Clerici, ſive ſint laïci. Namque gravis pœna neceſſariò ſupponit gravem culpam, alioquin eſſet injuſta: Atqui leges gravem pœnam decernunt contra eos, qui aleæ deſerviunt, vel qui eis domos ſuas præbent: Ergo.

Probatur 2°. auctoritate ſanctorum Patrum, & omnium Theologorum.

S. Cyprianus, vel quivis auctor operis *de aleatoribus*, vocat aleam *diaboli venabulum, delicti vulnus inſanabile; crimen mortale, mali alveum, ubi dementia ſine conſideratione.*

S. Ephrem ſerm. de abren. *Væ alearum luſoribus, quandoquidem ſe Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienos reddunt, ſicut Spiritus-ſanctus admonuit per ſanctos Apoſtolos;* ſcilicet in canonibus laudatis, qui Apoſtolis adſcribuntur.

S. Baſilius homil. 8. in hexameron, *Juramenta*, inquit, *ſunt illic contentioneſque pergraves, ac avaritiæ partus. Spiritus malignus aſſiſtit, furorem punctis & oſſibus illis ludentium, inſaniamque accendens.*

S. Chryſoſtomus hom. 15. ad populum ſic ait: *Aleas tractare, non videtur multis eſſe peccatum; ſed infinita vitæ mala ſolet inferre.*

S. Bonaventura in Speculo: *Cùm autem ludus ſatis videatur ex radice habere rationem peccati mortalis; quia ſcilicet ex avaritiâ videtur procedere, & quia ludo multa communicantur peccata, ſcilicet fraus, mendacium, perjurium, blaſphemia, ſcandalum, amiſſio temporis, & ira frequenter; ideo hæc cauſa prohibitionis ludi eſſe videtur.*

Thomas Cantipratanus, primus Alberti Magni auditor, tùm Epiſcopus Cameracenſis, lib. 2. apum, cap. 49. ſic ſcribit. *Eſt & aliud genus ludorum plenum vanitate ſub Sole; ſunt enim luſores teſſerarum; qui adeo nocivi ſunt mundo, ut vix illis aliquid iniquius reputetur ... aſſueti talibus facilè non deſciſcunt. Ardor tantus ineſt luſoribus, ut omnem verecundiam perdant.*

S. Raymundus de Pennafort in ſum. lib. 2. tit. 2. *Ex canone Apoſtolorum colligitur quòd peccatum eorum, qui aleæ deſerviunt, ſit mortale & grave; cùm tales pœnæ non ſint imponendæ cum levi crimine.*

Sanctus Bernadinus ſerm. 33. in Dominic. 5. Quadr. *Superſtantes ad videndum ludere ſemper peccant mortaliter, & ſunt participes peccatorum, & partiales.*

S. Antoninus 2. part. tit. 1. *Ludus aleæ eſt peccatum mortale ſecundum Raymundum, quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, ſcilicet principaliter motus non ob recreationem, ſed ad acquirendum quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt: vel ob recreationem & moderatè, non videtur eſſe mortale.*

Clictoveus lib. *de ver. nobil.* c. 16. enumerat plura & gravia, quæ ex aleâ naſcuntur incommoda. *Primum*, inquit, *& maximum eſt, quòd talium illecebris animus juvenilis facilè rapitur, trahiturque blandâ quâdam voluptate eoſdem ſemper iterandi, hinc citiſſimè impellitur ad conſuetudinem, & aſſiduitatem ludendi, quâ nihil juventuti pernicioſius .... Gravis eſt & nimium deploranda temporis jactura, quod id genus ludis impenditur. Ardor enim lucri non ſinit quempiam à ludo deſiſtere. Hinc nullius rei alterius quantumvis arduæ & neceſſariæ cura ſollicitat animum, ſed totum tempus diurnum, & nocturnum conteritur in hâc ludi veſaniâ.*

Cajetanus in ſum. *Etſi nullo jure poſitivo hujuſmodi ludus interdictus foret, adhuc tamen lex naturalis manet prohibens: ne quis abſque rationabili causâ quidpiam aſſumat, cui ſit annexum probabile peccati periculum, cujuſmodi eſt ludus alearum, præſertim ſi principaliter ob lucrum inſtituatur.*

Cardinalis Toletus lib. 3. c. 27. ſic ſcribit: *Profectò ludus ratione multarum circumſtantiarum frequentiùs eſt peccatum veniale; cùm tamen magna eſt ſumma pecuniarum, vix à mortali excuſatur.*

Soto lib. 4. de Juſtitiâ & Jur. qu. 5. art. 2. *Sacerdotibus*, inquit, *vox citra mortale uti licet ludis vetitis, ac præſertim Religioſis, & Antiſtitibus*. Et infrà, *accidit ut ludus ſit peccatum propter ſcandalum perſonæ: quâ ratione Clericis ob eorum honeſtatem, interdicti ludi alearum. Debent*

namque luctui potiùs eſſe dediti, quàm effuſis gaudiis.

Angelus à Clavaſio in ſuâ ſummâ ait de aleâ, *quòd ſit ludus diabolicus, qui operatione diabolicâ inventus eſt ad inducendum homines ad peccatum.*

Navarrus in Man. c. 20. docet, *quòd lege ad mortale obligante prohibentur Monachi & Clerici beneficiarii, vel in ſacris ordinibus conſtituti ludere hujuſmodi aleæ ludis ſive fortunæ illicitis notabilem quantitatem: præſertim de fructibus Eccleſiaſticorum beneficiorum . . . quia in profanum & malum uſum redditibus in pium uſum deſtinatis utuntur.*

Molina tract. 2. diſput. 521. de juſt. & jure, *Non judico*, inquit, *condemnandos eſſe culpæ lethalis eos Clericos, qui ſine aliorum ſcandalo recreationis gratiâ chartis ludunt quantitates modicas, ... hujuſmodi tamen ludus chartarum, & multò magis teſſerarum indecens valde eſt illis; atque omninò diſſuadendus, præſertim cùm multi ſtrictiùs hâc de re loquantur, ut ego loquerer, ſi Eccleſiaſticorum mores non adeo ab antiquo illo ſtatu primitivæ Eccleſiæ deflexiſſent; nunc enim hujuſmodi ludus magis indecens, majuſque ſcandalum ſecularibus generat . . . Similiter dicerem longè indecentius, majuſque peccatum eſſe Clericis ſecularibus, ludere chartis, aut aliis ſimilibus ludis in regionibus, quibus minùs id conſuetum eſt.*

Eſcobar tract. exam. cap. 4. ait: *Infero exponentem donum ludo aleæ, non ſolùm peccare mortaliter, ſed etiam, ſi luſores ad reſtitutionem teneantur; & non reſtituant, ipſos teneri ſatisfacere.*

Denique Clerus Gallicanus anno 1655. typis mandandas curavit ſancti Caroli inſtructiones pro Confeſſariis eaſque propoſuit tanquam regulam certiſſimam omnibus Sacramentis Pœnitentiæ Miniſtris. Sanctus autem Cardinalis ibi inter cetera prohibet Confeſſariis dare ab-

ſolutionis ſacramentalis beneficium iis, qui locant domos ſuas ad ludendum, eo quòd aliis occaſionem præbeant graviter peccandi.

Viderint ergo aleatores, quomodo ante tribunal Chriſti ſe tueri poſſint conſuetudine, quam leges ſæpiùs iteratæ reprobant & damnant, quamque omnes Theologi etiam laxiores unâ voce pronuntiant eſſe meram corruptelam.

R. 2°. Aleæ modicam exponere pecuniam recreationis gratiâ, non eſt grave peccatum; imò carere poteſt omni prorsùs peccato, præſertim in Laïcis; ſi id fiat abſque pravâ circunſtantiâ, temperatè, & ut expedit ad ſeria officia alacriùs proſequenda.

Probatur 1°. Quia leges ſupra laudatæ damnant duntaxat aleatores ſeu aleæ deſervientes: aleator autem & aleæ deſerviens dicendus non eſt, qui ſemel aut bis ludit aleâ. Præterea permittunt exponi modicam pecuniam, qualis in convivio veſcendi causâ ponitur, Digeſt. lib. 11. tit. 5. & Cod. lib. 3. tit. 43. de relig. ſumpt. *Non permittimus etiam in his ludis ultra unum ſolidum ludere, etiamſi multùm dives ſit, ut ſi quem vinci contigerit, gravem caſum non ſuſtineat. Non enim ſolùm bella ordinamus, ſed & res ludicras.*

Probatur 2°. tum auctoritate Theologorum ſuprà laudatorum, tum ratione; quia levitas materiæ à mortali excuſat. Unde S. Bonaventura loco ſupra cit. ſic ſcribit: *Cùm ludit aliquis causâ recreationis, peccatis ſupra dictis excluſis, non videtur habere rationem mortalis.*

Dixi, *præſertim in Laïcis;* quia Clerici difficiliùs excuſantur à peccato ſaltem veniali. Namque 1°. leges, Concilia præſertim Gallicana, abſolutè aleam ipſis interdicunt: Atqui ludere ludo prohibito, etiamſi abſit alia mala circun-

ſtantia, peccatum eſt ſaltem veniale; quod magis indubitatum eſſe debet in illis diœceſibus in quibus ſtatuta hujuſmodi ludos Clericis abſolutè prohibent. 2°. Quia dedecet Clericos & viros religioſos, ut ſupra advertebat Molina, eo delectari ludo, quem omnes etiam hæretici & Gentiles à ſocietate humanâ ablegandum cenſent: ac proinde Clerici, maximè ſi Paſtores ſint, vix ſine fidelium offenſione & ſcandalo chartas & teſſeras contrectare queunt. 3°. Quia modum in aleâ tenere, & temperantiæ leges ſervare quodammodò impoſſibile eſt. Vel enim luſor ſuccumbit, vel ſuperior exiſtit. Si primum, ſpes reſarciendi damnum ad ludum protrahendum vehementiùs incendit. Si ſecundum, colluſor vincentem à ludo recedere non patitur, alioquin exurgunt iræ, rixæ, inimicitiæ. Adde eas eſſe cartharum illecebras, quæ animum facilè illaqueent, ac in ludenti conſuetudinem, neceſſitatemque conjiciant. Unde vel ex eo capite abſolutè diſſuadendus eſt chartarum ludus, quòd minimè expediat ad ſalutem, & ad ſeria pietatis officia alacriùs proſequenda.

Q. 7°. *Tenetur-ne luſor reſtituere lucrum ex ludo perceptum, vel ſponſionem implere?*

R. 1°. Certum eſt teneri reſtituere lucrum perceptum, ſi ludus fuit injuſtus. Patet ex dictis de injuſtitiâ & reſtitutione.

Ludus autem eſt injuſtus: 1°. Si colluſor finxit ſe ignarum ludi, cùm eſſet luſore longè peritior. 2°. Si luſor ad ludendum coactus fuit conviciis, minis, aut precibus importunis, quæ moralem quandam ludendi neceſſitatem induxerint. 3°. Si dolus, fraus, & aliud quid ſimile contra ludi leges irrepſerint, chartam v. g. ſubduxit luſor, & aliam repoſuit, reſcivit per

ſigna chartis impreſſa, vel per nutus altero ex circunſtantibus, quod ſecundùm ludi leges debuit eſſe occultum, vel artificiosè & de induſtriâ chartas ita compoſuit, ut melior ſors ſibi obventura eſſet. Nonnullæ tamen fraudes non cenſentur contra ludi leges, ut ſi quis ex inſpectione ſuarum chartarum de ludo ſecurior timorem ſimulet, quo alter incitetur ad augendam ſuſpenſionem. 4°. Si luſor vel majorem pecuniæ ſummam lucrari velit uno jactu, quàm poſſit perdere, vel exponat pecuniam; cujus non habet liberam diſpoſitionem, ut uxor & filius-familias. Præſumitur tamen conſenſus mariti aut patris, ſi exponant quod modicum cenſeri debet, habitâ ratione conditionis & rei familiaris. Idem dicendum cum hâc limitatione de Beneficiario, qui in noſtrâ ſententiâ non eſt dominus proventuum Eccleſiaſticorum. Idem nonnulli concedunt Religioſo, quod Beneficiario. Verùm, ſi de ludo chartarum & aleæ agitur, Superioris conſenſus, in iis quæ Religioſum dedecent, præſumi non debet.

R. 2°. Certum quoque videtur lucrum modicum ex ludo honeſto retineri poſſe, ſponſionemque pro eo eſſe ſolvendam. Quia hujuſmodi ludus eſt legitimus contractus, ac proinde habet vim obligandi, faventque leges ſuprà laudatæ, per quas licitum eſt modicum quid ludo exponere.

Controverſia duntaxat eſt inter Theologos circà magnam pecuniæ quantitatem ludo acquiſitam.

S. Bonaventura in quartum diſtinct. 15. contendit ejuſmodi lucra eſſe reſtituenda. *Dicendum eſt generaliter*, inquit de aleatore, *quòd eſt malæ fidei poſſeſſor, & injuſto poſſidet titulo; & ideo nullo modo poteſt, nec debet ſibi retinere quod lucratus eſt.*

In eâdem ſententiâ ſunt ſanctus Raymundus in Summâ lib. 2. tit. 8. Clictovæus loco ſupra citato : Toſtatus in caput ſextum Mathæi, & alii. Quo autem jure, & cui debeat fieri reſtitutio, non conſentiunt hujuſce Sententiæ patroni. Alii enim volunt jure naturali eſſe debitam, alii jure civili, alii faciendam eſſe colluſori, alii pauperibus; quia, inquiunt, quidquid acquiritur peccato, reſtitutioni obnoxium eſt.

Alii, quorum ſententiæ adhæremus, diſtinguunt inter lucrum actu perceptum, & fidem ſolvendi datam, docentque 1°. lucrum perceptum ex ludo etiam prohibito, modò injuſtus non fuerit, poſſe tutâ conſcientiâ retineri, quandiù nulla lex poſitiva prohibet hujuſmodi lucrum; nam ex ſancto Thomâ 2. 2. quæſt. 32. art. 7. non ideo accquiſitio fit illicita, quia id ex quo acquiritur, eſt illicitum. *Quòd enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei. Sed in eo quod accipit, non injuſtè agit, nec contra legem. Undè quod ſic illicitè acquiſitum eſt, retineri poteſt.* Atqui in Galliâ jus civile non obligat, nullaque exiſtit lex municipalis, nullumve edictum regium, quo aleatores reſtituere teneantur, niſi poſt Judicis ſententiam. Ergo ante Judicis ſententiam lucrum ex ludo perceptum retineri poteſt, & quidem jure naturali; quia per ludum verè tranſlatum eſt dominium rei perditæ. 2°. Sponſionem ſolvendi notabilem pecuniæ ſummam, de eâ enim ſolùm hîc agitur, ſiſtendo in jure naturali omnino implendam eſſe; tùm quia promiſſio de re licitâ ſervari debet: tùm quia ad ludum juſtum requiritur æqualitas, quam juſtitia commutativa exigit: eſſet autem enormis inæqualitas, ſi alter, qui credito ludit, lucrari poſſet

abſque ullo perdendi periculo, alter verò, qui præſentem pecuniam deponit, periculum rem ſuam amittendi ſubiret ſine ullâ ſpe lucri. Sed jure civili hujuſmodi ſponſio non obligat etiam in conſcientiâ; quia ſi ſecundùm leges poteſt quis tutâ conſcientiâ in judicio repetere quod ſolvit, poteſt retinere quod ſolutum ſtatim repetere poſſet, juxta illud effatum: *Exceptio, & retentio ei competit, cui datur actio:* atqui ſecundùm leges civiles ſuprà citatas, qui in ludo notabilem pecuniæ ſummam perdidit, in judicio repetere poteſt: Ergò ſi pro eâ fidem dedit, non tenetur ſolvere. Imò edicto Ludovici XIII. anno 1629. hujuſmodi promiſſio obligationem non parit ſive naturalem, ſive civilem. *Déclarons toutes dettes contractées pour le jeu, toutes obligations & promeſſes faites pour le jeu, quelques déguiſées qu'elles ſoient, nulles & de nul effet, & déchargées de toutes obligations civiles & naturelles.* Monent tamen Theologi communiter in foro pœnitentiali injungendas eleemoſynas non ſolùm eis, qui lucrantur, ſed etiam iis qui amiſerunt, *ut reprimatur inhoneſta occupatio, & malum ſubſequens,* inquit Alenſis in 4. quæſt. 86. art. 6.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE VIRTUTE
RELIGIONIS.

SANCTUS Thomas, abſoluto Tractatu de Juſtitiâ & Jure, agit de virtutibus Juſtitiæ annexis, quas vocat partes ejuſdem virtutis potentiales; quia ad inſtar juſtitiæ hominem componunt ad alterum, eique quoddam debitum perſolvunt. Tales ſunt Religio, quæ eſt ad Deum; pietas ad parentes; obſervantia ad viros virtute aut dignitate conſpicuos; obedientia ad Superiores; gratitudo ad beneficos; amicitia ad æquales; liberalitas, & veritas in dicendo ad omnes.

Virtutes tamen illæ deficiunt à perfectâ ratione juſtitiæ; vel quia non ordinant ad eum, qui ſit perfectè aliter, ut Deus, quem Religio reſpicit tanquam primum principium, in quo continentur omnes creaturæ; & parentes, qui reſpectu filiorum habent rationem principii ſecundarii, & eo titulo per pietatem coluntur: vel quia non reddunt æquale, ut religio & pietas, quæ nos Deo & parentibus debitores ſemper relinquunt: vel quia non ſolvunt debitum

legale, quod per legem poſſit exigi; ſed morale duntaxat, ut gratitudo & liberalitas, per quas non reddimus proximo quod ſuum eſt, ſed quod noſtrum; ita tamen ut deceat nos reddere, & inhoneſtum ſit in quibuſdam circunſtantiis retinere. De ſingulis hiſce virtutibus tractat S. Thomas, multaque tradit utiliſſima; ſed intellectu faciliima. Agemus de ſolâ religionis virtute, circa quam plures & graves moventur quæſtiones. Differemus 1°. de Religione ſecundùm ſe ſpectatâ. 2°. De præcipuis ejus actibus; putà de devotione, voto, & juramento. 3°. De vitiis ei oppoſitis, v. g. de ſuperſtitione, ſacrilegio, & ſimoniâ.

CAPUT I.

De nomine & definitione Religionis.

Q. 1°. **Q**Uotuplex eſt Religionis acceptio?

R. Duplex: 1° Sumitur pro ſocietate hominum Deum legitimè colentium; quo ſenſu dicitur Religio Chriſtiana. 2°. Pro ipsâ virtute: quâ Deus colitur: & ita hîc Religionis nomen uſurpamus.

Q. 2°. *Unde dicta eſt Religio?*

R. Deſumitur hoc nomen vel à verbo *relego*, ſecundùm S. Iſidorum lib. 10. Etymol. c. 17. quia ſæpius animo volvenda, & quaſi relegenda, quæ ad cultum Dei pertinent: vel à verbo *reeligo*, ex S. Aug. lib. 10. de Civ. Dei c. 4. quaſi per Religionem reeligamus Deum à quo per peccatum receſſimus: vel à verbo *religo*, ut vult Lactantius lib. 4. Inſtitut. c. 28. quatenùs hâc virtute tanquam novo vinculo Deo ligamur & aſtringimur. *Hâc conditione*, inquit, *gigni-*

R iij

mur, ut generati nos Deo juſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum noverimus, hunc ſequamur, hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſimus: Unde ipſa Religio nomen accepit. Ita etiam ſanctus Auguſtinus lib. de verâ Religione cap. ult. & lib. 1. Retract cap. 13.

Q 3°. *Quomodo definitur Religio?*

R. Definitur, Virtus moralis, per quam Deo, tanquam primo rerum omnium principio, debitus cultus exhibetur.

Dicitur 1°. *virtus*, quia facit bonum habentem ſe, & opus ejus bonum: ſi enim honeſtum eſt viros eximios colere, à fortiori Deum propter infinitam ejus excellentiam.

Dicitur 2°. *moralis;* quia illa virtus eſt moralis, non Theologica, quæ neque Deum, neque aliquod ejus attributum, ſed aliquid creatum habet pro objecto ſive materiali, ſive formali: Atqui Religio eſt hujuſmodi; verſatur enim circà cultum Dei quatenùs honeſtum; adeo ut cultûs exhibitio ſit objectum ejus materiale, & honeſtas in illâ exhibitione relucens, ſit objectum formale: quemadmodùm reddere unicuique quod ſuum eſt, eſt objectum materiale juſtitiæ, & honeſtas hujus redditionis objectum formale.

Dicitur 3°. *per quam exhibetur Deo debitus cultus*, quo diſtinguitur Religio à ceteris virtutibus moralibus: illud enim munus Religioni eſt proprium, habetque rationem ejus differentiæ.

Nomine autem cultûs intelligitur actus, ſive internus, ſive externus, quo alicui exhibemus honorem ac reverentiam cum aliquâ noſtri ſubmiſſione, qualis eſt genuflexio, capitis inclinatio. Cultus ergo in eo diſtinguitur ab honore, quòd cultus neceſſariò includat ſui dejectionem, honos verò præcisè ſumptus, minimè.

Namque Deus v. g. Sanctos honorat, neque tamen coram eis dejicitur: unde nec propriè dici poteſt Sanctos colere.

Dices 1°. Sicut Deus charitate diligitur propter bonitatem ejus, ſic religione colitur propter ſuam excellentiam: Ergo Religio non minùs habet Deum pro objecto, quàm charitas: ac proinde eſt virtus theologica.

Diſtinguo antecedens. Sicut Deus charitate diligitur propter ſuam bonitatem, ſic religione colitur propter ſuam excellentiam, ita ut alio modo ſe habeat excellentia Dei ad actum elicitum religionis, quàm ejus bonitas ad actum elicitum Charitatis, Concedo: ita ut eodem modo, nego ant. Enimvero actus elicitus charitatis proximè tendit in Deum; quatenùs eſt ſummum bonum; ideòque charitas eſt virtus Theologica; quia habet Deum pro objecto materiali, & ejus bonitatem pro formali objecto, & motivo. Sed actus elicitus religionis, ſcilicet voluntas reddendi Deo cultum debitum, immediatè reſpicit cultum illum ut honeſtum, remotè verò Deum tanquam finem, cui reddendus eſt ille cultus: ac proinde non Deus, ſed ipſe cultus eſt religionis objectum, ſicut objectum juſtitiæ eſt jus reddendum, non homo, cui jus redditur.

Inſtabis: illud eſt objectum formale alicujus virtutis, quod eſt motivum actûs illius, & ratio, ſub quâ verſatur circa objectum materiale, v. g. miſeria pauperis ſublevanda eſt objectum formale miſericordiæ; quia miſericordia pauperi largitur pecuniam motivo ſublevandæ ejus miſeriæ: Atqui excellentia divina eſt motivum actûs eliciti religionis, & ratio ſub quâ exhibet cultum. Cur enim cultus ille eſt ſupremus & latriæ, niſi quia excellentia Dei eſt infinita;

ergo religio habet pro objecto formali divinam perfectionem, ac proinde eſt virtus theologica.

Nego minorem. Licèt enim infinita Dei excellentia ſit fundamentum, & veluti titulus, propter quem honeſtum ſit exhibere Deo cultum, & quidem longè maximum: attamen dici non debet motivum religionis, ſicut nec titulus in quo fundatur jus creditoris, eſt motivum juſtitiæ; nec miſeria pauperis, quæ præſupponitur ad eleemoſinam, eſt objectum formale miſericordiæ.

Et hâc reſponſione ſequitur quaſdam eſſe virtutes morales, quæ ceteris magis accedunt ad theologicas, quales ſunt religio, pœnitentia, & obedientia legi divinæ; quia earum objecta immediatiùs tendunt in Deum, quàm objecta aliarum virtutum, putà temperantiæ, juſtitiæ, & fortitudinis: ac proinde aliis eſſe perfectiores. Cùm enim virtutes bonitatem ſuam hauriant præſertim ex fine, neceſſe eſt illas eſſe præſtantiores, quæ propiùs Deum rerum omnium ultimum finem attingunt. Hinc virtutes theologicæ dignitate antecellunt; quia circà Deum immediatè verſantur: inter morales verò religio, obedientia, & pœnitentia; inter quas præeminet religio, quæ nec præceptum Dei expectat, ut obedientia; nec Deum peccato offenſum ſupponit, ut pœnitentia, ſed totum hominem ſummæ Dei majeſtati & excellentiæ devovet.

Dices 2°. Religio eſt omnis virtus, ut colligitur tùm ex Scripturâ, Jac 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*: Tùm ex SS. Patribus, ſancto Auguſtino Enchir. c. 3. *Deus colitur fide & charitate*: Et ex ſancto Tho-

ma, *Hic Religio & ſanctitas re non differunt :* Porro ſanctitas eſt complexio omnium virtutum. Ergo.

Diſtinguo antecedens. Religio eſt omnis virtus imperativè, hoc eſt, imperat actus omnium virtutum, quatenùs conferunt ad Dei cultum, quo etiam ſenſu charitas dicitur à ſancto Auguſtino omnis virtus, Concedo: eſt omnis virtus elicitè & formaliter, id eſt, elicit actus omnium virtutum, Nego antecedens. Namque religio non elicit actus virtutum, quibus imperat. Proprius ejus actus eſt voluntas exhibendi cultum divinæ Majeſtati, ad quod officium inſerviunt actus cæterarum virtutum, præſertim charitatis, juxta ſancti Auguſtini effatum; *Deus amore colitur :* ſiquidem honos niſi adjunctum amorem habeat acceptus non eſt, & plerumque adulatio reputatur.

Porro Religio, quatenùs imperat omnibus virtutibus, & earum actus in cultum divinum convertit, verè eſt ipſa ſanctitas: namque, ut probat ſanctus Thomas, duo ad ſanctitatem requiruntur; primum eſt perfecta munditia, & immunitas ab omni labe terrenorum affectuum; ſecundum eſt firmitas, & inviolabilis perſeverantia in illâ munditiâ. *Unde* (inquit Angelicus Doctor) *apud antiquos ſancta dicebantur, quæ legibus erant munita, ut violari non deberent.* Atqui religio hæc duo præſtat: namque 1°. hominem mundum & purum reddit, quatenùs illum devovet cultui divino, & omnia ejus opera ad illum finem dirigit: quæ enim divino cultui conſecrantur, illa ſancta dicimus, ut templa & vaſa. 2°. firmitatem tribuit, quantùm eſt ex ſe; quia applicat ultimo fini, ex quo cætera firmantur.

Dices 3°. Si religio ab aliis virtutibus moralibus eſt ſecernenda, in ultimo ordine collocabitur, juxtà Scripturæ mentem; nam Math. 9.

legitur : *Miſericordiam volo , & non ſacrificium* : lib. 1. Reg. c. 15. *Melior eſt obedientia , quàm victimæ.* Eccli. 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* De pœnitentiâ verò & humilitate habetur Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum , Deus , non deſpicies.* Denique ex ſancto Thomâ : *Religio deficit à perfectione juſtitiæ.* Ergo.

Nego antecedens. Quæ autem proferuntur ex Scripturis , intelligi debent non de ipſâ virtute religionis , ſed de exterioribus quibuſdam actibus inordinatis , ut potè qui vel pugnent contra alia Dei præcepta , putà obedientiam & charitatem ergà proximum , vel fiant mente alienâ , & ſine rectâ intentione , ut familiare eſt hypocritis & peccatoribus , de quibus Math. 15. *Populus hic labiis me honorat , cor autem eorum longè eſt à me.* Nam , ut ait ſanctus Auguſtinus lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 1. non vult Deus ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis. Neque aliud vult ſanctus Thomas , quàm religionem ideo à perfectâ juſtitiæ ratione deficere ; quia non reddit æquale debitum , quemadmodùm juſtitia ſtrictè ſumpta. Quanquam religio reddit omnem cultum , non quidem quem Deus exigere poſſit , cùm infinitum mereatur ; ſed quem actu & de facto exigit. Sed propterea ſanctus Doctor juſtitiam non præfert religioni ; quia perfectio virtutis non repetitur ex æqualitate , quam ponit ; ſed ex nobilitate objecti , circà quod verſatur ; alioquin charitas inferior eſſet virtutibus moralibus , cùm per charitatem non ametur Deus , quantùm eſt amabilis. Ideo igitur juſtitia reddit æquale ; quia verſatur circa objectum finitum & limitatum. Ex quo ſequitur æqualitatem , in quâ conſiſtit ſpecifica juſtitiæ ratio , admixtam habere imperfectionem ex objecti limitatione petitam , atque

adeo non modo juſtitiam ſupra religionem & virtutes Theologicas non extollit, quin potiùs illam deprimit.

Inſtabis: Illa virtus eſt præſtantior, in cujus gratiam dimittuntur officia aliarum virtutum: Atqui in gratiam aliarum virtutum moralium dimitti debent religionis officia. *Relinque munus tuum ante altare*, ait Dominus Math. 5. *& vade priùs reconciliari fratri tuo.* Ergo.

Reſpondeo 1°. negando majorem: nam in practicis non tam attenditur excellentia virtutis, quàm ejus exercendæ neceſſitas: aliquando dimittitur contemplatio, quæ eſt omnium actuum humanorum perfectiſſimus, ut proximo ſuccurratur, juxtà illud ſancti Auguſtini, *Otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis.*

Reſponde 2°. negando minorem; ſi quis enim ab altari receſſerit ad tempus, ut fratri ſatisfaciat, aut aliud neceſſarium officium exhibeat, non dimittit Dei cultum, quin potiùs ejus honori maximè conſulit: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Jac. 1. Religio ergo imperat illos omnes actus, quibus incitantur homines ad Deum laudandum.

CAPUT II.

De Religionis actibus.

Q. 1°. QUinam ſunt Religionis actus?

R. Alii ſunt interni, alii externi, qui aliquo corporis organo perficiuntur; alii ſunt eliciti, alii imperati.

Q. 2°. *Quinam ſunt religionis actus eliciti?*

R vj

R. Qui à virtute religionis procedunt, ut voluntas ſeu intentio exhibendi Deo cultum debitum, adoratio, ſacrificium.

Q. 3°. *Quinam ſunt actus imperati?*

R. Qui immediatè ab aliis virtutibus eliciuntur, ſed imperante Religione, quæ illos ad divinum cultum ordinat.

Q. 4°. *Quotuplex eſt actus elicitus religionis?*

R. Alii ſunt primarii, ut devotio, oratio, adoratio, ſacrificium, votum, juramentum, uſus ſacramentorum. Alii ſunt ſecundarii, utpote media ordinata ad priorum exercitium, ut primitiæ, oblationes, decimæ, beneficiorum dotatio, quæ ſunt ad ſuſtentandos Eccleſiæ Miniſtros. De primariis actibus duntaxat agemus; quia circa ſecundarios vix ulla occurrit difficultas, niſi circa beneficia, de quibus præcipua attigimus in tractatu de Juſtitiâ & Jure, ubi expendimus quæ ſpectant electiones, reſignationes, uſum proventuum Eccleſiaſticorum, Horas Canonicas, & regimen animarum.

CAPUT III.

Quid eſt Devotio, & quomodo ſtatuitur Religionis actus?

R. Sanctus Thomas quæſt. 82. art. 1. Devotionis nomen deducit à verbo, devovere. *Undè*, inquit, *devoti dicuntur, qui ſe ipſos quodammodo Deo devovent, ut ei ſe totaliter ſubdant: ſic apud Gentiles Devoti vocabantur, qui ſeipſos idolis devovebant in mortem pro ſalute Reipublicæ.*

Definitur autem Devotio, voluntas tradendi ſe promptè ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.

Dicitur 1°. *voluntas;* id eſt intentio ſeu volitio efficax & expedita.

Dicitur 2°. *tradendi ſe;* non aliqua duntaxat ad ſe pertinentia. Unde qui unum aut alterum actum alacri & fervidâ mente ad cultum Dei refert, poteſt quidem dici talem actum devotè exercere, ſed propterea non denominatur devotus, niſi & ſe ipſum tradiderit. Latiùs ergo patet devotio, quàm votum; quia votum poteſt eſſe de aliquo ſingulari opere, devotio verò ſimpliciter dicta non unum actum, ſed totum hominem cultui divino conſecrat.

Dicitur 3°. *promptè;* quâ voce exprimitur voluntatis modus & omnium actionum, quæ ab ipſâ ſive eliciuntur, ſive imperantur; nimirum ad devotionem requiritur, ut quæ ſunt Dei cultûs expedito & alacri animo perſolvantur. Qui ergo abdicatis negotiis ſecularibus, totos ſe cultui divino mancipant, ut Religioſi & Clerici, ſi tepidè & ſegniter circa Dei cultum ſe gerant, devoti non ſunt.

Dicitur 4°. *ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum;* quibus verbis ſignificatur, devotionem eſſe primarium & perfectiſſimum Religionis actum, à quo ceteri dependent.

Objicit ſibi ſanctus Thomas: Per charitatem homo ſe Deo tradit, juxta illud capitis quarti de divinis nominibus: *Divinus amor non ſinit amantes ſui ipſorum eſſe, ſed eorum quæ amant:* Ergo devotio, per quam homo promptè Deo ſe tradit, eſt actus charitatis, non religionis.

Reſpondet diſtinguendo anteced. per charitatem homo ſe tradit Deo immediatè ei adhærendo tanquam objecto ſummè amato, Concedit: ſe tradit mediatè Deo, immediatè verò ejus cultui, Negat antecedens; quia religionis eſt illud officium. Sicut ergo religio non-

nunquam imperat actus charitatis, quatenus cedunt in Dei honorem & cultum, ut jam diximus; ſic charitas, quæ eſt religionis principium, & ſine quâ frigent omnes virtutes, frequentiùs imperat actus religionis; quia cultus Dei & famulatus reputatur bonum amici, quod maximè proſequitur charitas. Hinc ſanctus Doctor art. 2. charitatem comparat igni, & devotionem pinguedini, quia ſicut pinguedo in lucernâ eſt nutrimentum ignis quo lucet, & in animalibus eadem pinguedo nutrimentum eſt caloris naturalis quo vigent; ſic charitas & ceteræ virtutes per devotionem nutriuntur & conſervantur, adeo ut animæ, quæ devotione carent, marceſcant & exiles fiant, ut loquitur S. Auguſtinus in illud Pſalmi 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*

Sed cavendum ne falſa devotionis ſpecies deludat; quemadmodum enim (ut advertit Guillelmus Pariſienſis) adulterinæ monetæ fabricatores, non vile metallum, ſed pretioſius putà aurum adulterare ſolent; ità dæmones præſtantioribus virtutibus maximè inſidiantur, magnoque lucro ducunt, ſi loco ſinceræ devotionis, quâ nihil in moribus clarius & præſtantius, ſimulatam obtruderint.

Q. 2°. *Quomodo diſtinguitur vera devotio ab umbratili?*

R. Per ejus cauſam & proprios effectus.

Q. 3°. *Quænam eſt devotionis cauſa?*

R. Duplex ſtatuitur à S. Thomâ, extrinſeca & intrinſeca.

Extrinſeca eaque præcipua Deus eſt, non ars aut humana induſtria. *Deus*, inquit, ſanctus Ambroſius in cap. 9. Luc. *quem vult religioſum facit.* Neque verò audiendi ſunt ventoſi Magiſtri, qui compendioſas vias perfectionis certò

& brevi aſſequendi adinveniſſe ſe venditant: *One bonum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, Jac. c. 1. Inde per orationes noſtras attrahenda eſt vera devotio; eam enim ſuppliciter promereri poſſumus.

Altera devotionis cauſa, quam S. Thomas vocat intrinſecam, quia ſe tenet ex parte noſtrâ, eſt contemplatio ſeu meditatio, juxta illud Pſalmi 38. *In meditatione meâ exardeſcet ignis*, nempe charitatis, ut interpretatur ſanctus Doctor; quia ut homo promptâ voluntate ſe tradat divino obſequio, aliquâ conſideratione eum incitari neceſſe eſt; voluntas enim naſcitur ex intelligentiâ, ait S. Auguſtinus lib. 14. de Trinit. cap. 8.

Ad concipiendum verò illum charitatis ignem, duplex conſideratio requiritur; ſcilicet bonitatis & excellentiæ divinæ & humanæ infirmitatis ac propriorum defectuum. Prior conſideratio, excitat dilectionis fervorem, qui eſt proxima devotionis cauſa. Poſterior excludit præſumptionem, per quam impeditur quis ne Deo ſe ſubjiciat, propriæ virtuti innixus. *Hæc conſideratio*, inquit S. Thomas, *eſt veluti terminus, à quo homo recedere debet*, juxta illud: *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum*: illa pertinet ad terminum, ad quem tendit voluntas, nempe ad Deum, in quo quieſcere appetit.

Monet hîc Angelicus Doctor, vitandas eſſe ſubtiliores meditationes, utpote quæ devotionem exſugant, aridamque voluntatem reddant, quatenùs homo in iis de ſe præſumit, atque propriis viribus innixus, Deo ſe totaliter tradere nequit. Hinc eſt quòd in ſimplicibus major nonnunquam cernatur devotio, quàm in doctioribus.

Q. 4°. *Quinam ſunt genuini & proprii devotionis effectus?*

R. Duos agnoſcit ſanctus Thomas ita devotionis proprios, ut ab eâ ſeparari nequeant, ſcilicet lætitiam ſpiritualem ex conſideratione infinitæ Dei bonitatis, juxta illud Pſalmi 76. *Memor Dei fui, & delectatus ſum;* & ſui diſplicentiam ac triſtitiam ex conſcientiâ propriorum defectuum, atque *ex iſtâ permixtione delectabilis & triſtabilis*, inquit ſanctus Thomas art. 4. ad 3. nonnunquam prorumpunt lacrymæ, quæ veluti panis ſuavis & ſolidus devotam mentem reficiunt: ut habetur Pſalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Quò enim magis ſe ſentit infirmam, eò ardentiùs in Deum fertur, indeque ſuaviùs experitur immenſam ejus bonitatem, quæ rurſùs novum eſt ipſi incentivum deflendi proprios defectus; ſicque creſcente charitate ac religione, creſcit humilitas, & ſui diſplicentia. Unde devotio ex cauſis & effectibus deſcribitur lib. *de ſpiritu & animâ*, inter opera ſancti Auguſtini tom. 3. *pius & humilis affectus in Deum, humilis ex conſcientiâ infirmitatis propriæ: pius ex conſideratione divinæ clementiæ.* Hìc velut ad lydium lapidem vera devotio probatur.

Fucata eſt ergo illorum devotio, qui propter exteriorem, quam præ ſe ferunt, pietatis ſpeciem, ceteris meliùs ſapere ſibi videntur, infirmioribus indignari noverunt, nullatenus compati, corrigenda ubique ſe invenire putant præterquam in ſe ipſis nimiùm ſibi placentes; & ut facilè de aliis malum cogitant, bellum omnibus temerè indicunt, pacem turbant ſub religionis prætextu; ſalutaria ſapientum monita non admittunt, nonnunquam etiam dominationem contemnunt audaces, ut ſcribit

Apoſtolorum Princeps, Epiſt. c. 2. Hinc devotio traducitur, pudet audire devotum; multi etiam ex ſacratiſſimo Clericorum ordine, glorioſum illud nomen tanquam probrum & dedecus à ſe eliminant, & aliis quaſi contumeliam impingunt. Quibus S. Auguſtinus lib. 2. de Sermone Domini in Monte, reſpondet, oves pellem ſuam propterea non exuere, quia lupi aliquando eâ ſe contegunt; ac proinde fideles, multò minùs Clerici, adeodevotionem averſari non debent, quia hypocritæ falsâ ejus imagine glorientur. Quid enim Clericorum ordo, niſi ſolemnis devotionis profeſſio? Clericum ergo ſine devotione dixeris ovem ſine ſuâ pelle, & fœdum ſpectaculum.

CAPUT IV.

De Oratione.

Paragraphus I.

Quid eſt Oratio?

R. DEfinitur petitio rerum decentium Deo facta ſive immediatè, ſive mediante Sanctorum interceſſione, ut aliquid ab ipſo impetretur.

Dicitur 1°. *petitio*; id eſt intimatio ſui deſiderii alteri facta ad obtinendum aliquid ab eo. In petitione autem quatuor intelliguntur.

Primum, conſcientia propriæ indigentiæ & infirmitatis; abſurdè enim quis peteret quod jam habet, aut credit ſe habere in ſuâ poteſtate, ut S. Auguſtinus argumentatur contra Pelagianos, probans ex oratione neceſſitatem gratiæ, quam illi negabant.

Secundum, eſt deſiderium rei, quæ petitur, quod ſi nullum fuerit, petitio non eſt, ſed ludus & deriſio: ut dives ſe pauperem fingens petat eleemoſynam, paratus oblatam rejicere. Tales ſunt qui in Oratione Dominicâ ſanctificari nomen Dei, & in tentationem non induci ſic petunt, ut nolint amovere ſcandala, quibus nomen Dei blaſphematur; nec à peccato recedere.

Tertium eſt ſpes obtinendi quod petitur; nemo enim ſupplex accederet ad eum quem certò noſſet nunquam ad vota flectendum.

Quartum eſt poſtulatorum perceptio in eo, ad quem petitio dirigitur; quia petitio eſt quædam locutio, quæ ſupponit audientem: *Orare idem eſt ac dicere*, inquit S. Iſidorus lib. 18. Etymol. cap. 14. propterea qui petit, *oportet accedere ad eum à quo petit, vel loco ſicut ad hominem, vel mente ſicut ad Deum*, ait ſanctus Thomas art. 1. ad ſecundum. Hinc oratio dicitur à S. Joanne Damaſc. lib. 3. orthod. Fidei c. 24. *Aſcenſus mentis in Deum*, & ab Auctore Serm. de Jejunio & Oratione apud ſanctum Auguſtinum tom. 10. *Aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia inquiſitio ſupernorum, & inviſibilium deſiderium.*

Porro ſicut corpus movetur pedibus, ſic anima affectibus: per odium avertitur, per amorém convertitur, per deſiderium accedit & eò velociùs currit, citiùſque apprehendit, quò ardentiùs deſiderat.

Dicitur 2°. *rerum decentium;* impium ſiquidem eſt à Deo petere, quod non decet illum dare, & nos accipere. Quid autem deceat petere, dicetur infra.

Dicitur 3°. *Deo facta*, à quo nempè bona cuncta procedunt.

Dicitur 4°. *ſive immediatè*, ſcilicet cùm ad eum orationem dirigimus; *ſive mediante Sanctorum interceſſione*, cùm Sanctos invocamus tanquam Dei amicos, ut eorum ſuffragiis poſtulata à Deo impetremus.

Ex hâc definitione colliges ad orationem duo tam neceſſariò requiri, ut alterutro deficiente oratio non ſit, imò fiat in peccatum. Primùm eſt mentis attentio; quia non ſine irreverentiâ quis hominem alloqueretur, non attendens ad ea quæ proferret. Secundum eſt pia voluntatis affectio, & ſerium deſiderium obtinendæ rei pro quâ oratur, alioquin ſeria non eſſet oratio, ſed illuſoria. Hinc ſanctus Baſilius Sermone de inſtitutione ad vitam perfectam, ſic habet: *Implorandum eſt non remiſſè, nec mente huc & illuc evagante; eò quod talis non ſolùm non impetrabit, quod petit, ſed etiam magis Deum irritabit.*

Q. 2°. *Quotuplex eſt attentio?*

R. S. Thomas art. 13. & alii Theologi, triplicem diſtinguunt in oratione vocali. Prima eſt ad verba, ut ritè pronuntientur. Secunda ad ſenſum verborum. Tertia, ad finem orationis, ſcilicet ad Deum, & ad rem pro quâ oratur.

Q. 3°. *Triplex illa attentio eſt-ne neceſſaria?*

R. Prima requiritur in his, qui ex præcepto tenentur ad orationem vocalem, Clerici; quia præceptum Eccleſiaſticum cadit in ipſam pronuntiationem, ac proinde præcepto non ſatisfaciunt, qui oculis & mente duntaxat legunt quieſcente linguâ. Secunda eſt utilis ſed non eſt neceſſaria, cùm idiotæ linguâ peregrinâ verè orent. Tertia ex eodem ſancto Doctore, *eſt maximè neceſſaria: & quandoque*, inquit, *tantùm abundat hæc attentio, quâ mens fertur in Deum, ut etiam omnium aliorum obliviſcatur, ſi*

cut dicit Hugo à Sancto Victore. Et hanc etiam poſſunt habere idiotæ.

Q. 4°. *Sufficit-ne quælibet harum attentionum?*

R. Prima & ſecunda ſine tertiâ non ſufficiunt; quia ſine eâ neutra eſt aſcenſus mentis in Deum. Qui verba præcisè recitat ſine attentione ad Deum, aërem duntaxat verberat ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Quid autem prodeſt ſtrepitus oris muto corde? *Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt*, ait ſanctus Auguſtinus. Qui verò ſenſum verborum legendo percipit, ſed ſine pio voluntatis motu, nova quidem diſcit, ſed non orat; quia oratio eſt petitio; petitio autem eſt deſiderii noſtri directio ad eum cui ſupplicamus, ſive illa directio ſit actus rationis practicæ, ut vult S. Thomas; ſive actus voluntatis, ut alii contendunt. Unde Clerici, qui dum choro aſſiſtunt, lectioni incumbunt, non ut devotionem excitent aut nutriant, ſed ut nova diſcant, diſtributiones non lucrantur, nec ſatisfaciunt præcepto audiendi ſacri; quia ex S. Thomâ ad orationem neceſſe eſt ut attendatur ad ejus finem, ſcilicet ad Deum.

Dices 1°. Vera eſt oratio, in quâ vel laudes Dei celebrantur, vel pro collatis beneficiis gratiæ aguntur: Atqui in hujuſmodi oratione nulla eſt petitio: Ergo oratio malè definitur, petitio decentium.

Diſtinguo majorem: eſt vera oratio in viatoribus, Concedo: in comprehenſoribus & Beatis, Nego. Enimverò Beati, cùm nihil ipſis deſit, nihil quoque pro ſe deſiderant, ac proinde non orant niſi pro aliis, nec aliud ex ſuâ plenitudine & ſatietate eructant, quàm laudes Dei & gratiarum actiones. At quandiu perigrinamur à Domino, nobis dicitur: *Quærite faciem ejus ſemper*, Pſalm. 104. *Quid eſt ſine*

intermiſſione orare, quàm beatam vitam ſine intermiſſione deſiderare? inquit S. Auguſt. epiſt. 130. alias 121. *de orando Deo.* Hunc unicum finem orationum ſuarum fuiſſe teſtatur David Pſalm. 15. his verbis: *Unam petii à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Porrò nullus verè deſiderat, nec ſeriò petit beatam vitam, niſi ſimul deſideret & petat peccatorum remiſſionem, morum correctionem, & ſitiat juſtitiam, ſine quibus beata vita haberi non poteſt. Hinc Phariſæus Deum laudans, ut auctorem bonorum ſuorum operum reprobatus eſt, Luc. 18. quia in ſuâ juſtitiâ confidens, & de eâ contentus, nihil ultra à Deo expetebat. Itaque in rationibus noſtris adhibemus gratiarum actiones juxta Apoſtoli præceptum, 1. Tim. 2. quia de acceptis beneficiis gratias agentes, meremur accipere potiora, ut in quâdam Eccleſiæ collecta dicitur. Addimus & obſecrationes ad excitandam impetrandi fiduciam; obſecratio enim eſt conteſtatio per aliquid ſacrum, ut cùm dicimus: *Per paſſionem tuam libera nos Domine.*

Dices 2°. Eccleſia non poteſt præcipere actus interiores; cùm de internis non judicet: Ergo Clericus præcepto Eccleſiæ ſatisfacit, præcisè recitando Horas Canonicas; quia in id duntaxat cadit præceptum Eccleſiaſticum.

Diſtinguo anteced. Eccleſia actus interiores non poteſt præcipere directè, Tranſeat: indirectè & quatenus præcipit eum exteriorem actum, putà orationem vocalem, qui ſine interiori perfici non poteſt, Nego anteced. Sic pater præcipiendo opus externum, ita obedientiam à filio exigit, ut ſi opus injunctum reluctanti animo exequatur, verè peccet in patrem

peccato inobedientiæ. Unde hæc quorumdam Theologorum moralium propoſitio : *Præcepto ſatisfacit qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente, orat*, meritò damnata eſt à Clero Gallicano anno 1700. ut abſona, verbo Dei contraria, hypocriſim inducens à Prophetis & Chriſto proſcriptam, Mathæi 15. verſ. 8.

Dices 3°. Impoſſibile eſt diu habere illam attentionem : Ergo.

Diſtinguo anteced. impoſſibile eſt diu habere attentionem actualem, Concedo, virtualem, Nego antec. Actualis habetur, quando mens actu de Deo cogitat, & voluntas ſimiliter actuali deſiderio fertur in Deum. Virtualis attentio eſt id quod ex attentione actuali & piâ voluntatis affectione proficiſcitur, ut ceſſatio ab operibus externis, verborum prolatio, genuflexio, & tota hominis ad orationem compoſitio. Cùm enim iſta fiant virtute præcedentis attentionis, quandiu non fuerit retractata, rectè dicuntur cohærere cum attentione virtuali, quæ ad orationem ſufficit, *præparationem cordis eorum audivit auris tua*, pſalm. 9.

Dixi, *quandiu non fuerit retractata*; quia cùm retractatur prior attentio, ſequentes actus nullam cum eâ habent connexionem, nec amplius ab illâ pendere cenſentur. Retractantur autem, quando mens cum ſufficienti advertentiâ & libertate ad alia divagatur. Et de hâc voluntariâ evagatione intelligendus eſt ſanctus Gregorius ſic ſcribens : *Illam Deus orationem non audit, cui ille qui orat, non intendit.*

Q. 5°. *Qui involuntariè patitur mentis evagationem, conſequitur ne orationis ſuæ fructum?*

R. Nota, ex S. Thomâ art. 13. triplicem eſſe orationis effectum in homine juſto. Primus, iſque communis orationi & aliis bonis operi-

bus, eſt meritum de condigno. Secundus orationis proprius eſt impetratio. Tertius eſt quædam ſpiritalis refectio mentis. His præſuppoſitis

Reſpondet ſanctus Doctor, involuntariam mentis evagationem hunc poſtremum orationis effectum impedire; quia phantaſmata importunè obſtrepentia non ſinunt animam vacare & quieſcere, ut videat & guſtet quàm ſuavis eſt Dominus. Sed aliundè compenſatur labor ejus & perſeverantia; namque oratio inde evadit magis meritoria & impetratoria; cùm in illâ moleſtâ pugnâ, charitas & patientia magis eluceant.

At, inquies, mens tam difficilè cohibetur ab hujuſmodi evagationibus, ut moraliter impoſſibile ſit, quin negligentia ſubrepat; unde S. Auguſtinus vel hinc probat juſtos non eſſe ſine peccato. Ergo oratio dimittenda videtur ad vitandum peccati periculum.

Nego conſequentiam, alioquin abſtinendum quoque eſſet à cibo corporali, & ab omni opere bono; quia ſatis cauti eſſe non poſſumus, quin voluptas & ſimilis inordinatus affectus in iis aliquando non deſiliant. Rectiùs ergo inferretur nos debere paratiores ad orationem accedere, & diſtractionum cauſas minuere ne in venenum convertamus remedium prorſus neceſſarium; namque *ſicut ex carnalibus eſcis alitur caro; ita ex divinis eloquiis & orationibus interior homo nutritur & paſcitur*, lib. de ſalut. docum. inter opera ſancti Auguſtini. Sed de neceſſitate orationis poſtea.

Q. 6°. *Eſt-ne neceſſaria ad orationem præparatio?*

R. Prorſus eſt neceſſaria, probaturque ex Scripturâ, Eccli. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum*, quibus poſterioribus verbis ſignificat Sapiens

eum, qui imparatus ad orationem accedit, non poſſe ſine miraculo rectè orare. Namque tentare Deum eſt neglectâ humanâ induſtriâ experimentum divinæ potentiæ inrendere per aliquod miraculum, ut ſi quis ex alto mitteret ſe deorsùm, ſperans ab Angelis ſe ſuſtentandum, ut habetur Math. 4. v. 6. & 7. Talis autem eſt ex laudato textu, qui ante orationem non præparat animam ſuam.

Q. 7°. *Qualis præparatio ante orationem requiritur?*

R. Duplex aſſignari poteſt, ſcilicet remota, & proxima.

Remota eſt accuratior divinæ legis obſervantia, quia, ut habetur in collationibus Patrum collat. 9. talis eſt noſtra oratio, qualis & vivendi ratio, adeo ut qui noxias cupiditates refrenat, & Deum ſolùm in actibus ſuis intendit, mens ejus in oratione citò efferveſcat, ad Deum aſcendat expedita, ſuaviterque ei adhæreat. Hinc bona opera dicuntur à Patribus orationis alæ, quibus ſublevatur, & ſine quibus jacet ſupina; ut docet ſanctus Gregorius egregiá aquæ ſimilitudine. Nimirum ſi ex alto ſcaturiat, & inde defluens in anguſto canali collecta coarctetur, contra propriæ naturæ pondus & inclinationem cum impetu ſurſum exilit uſque ad ſuam originem: ſi verò in imis fons emanet, vel aqua reſes corrumpitur: vel ſi ſparſim liberiùs circunfluat per decliviores terras, mox in putre lutum convertitur, ex quo vermes & alia fœtida infecta ebulliunt. Similiter mens humana, ſi firmam ſpem in ſupernis collocaverit, & ante orationem ad eam intenderit, cogitationeſque à temporalibus quæ circunſtant, pro virili retraxerit, promptè ad Deum aſſurget pio deſiderio, & oratio ejus

fiet

fiet ſicut fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Quia voluntas ſponte fertur ad id quod amat, mentemque in illud defigit, *ubi enim eſt theſaurus tuus* (ait Chriſtus Mathæi 6.) *ibi eſt cor tuum.* Contra verò ſi animus totus ſit ita deditus rebus externis, putà ſtudio litterarum, ludo, confabulationibus, &c. ut nihil de ſupernis deſideret, non orat etiam cùm videtur orare; quia cor ſuum reliquit, ubi eſt theſaurus ejus: tempus orandi importunè recurrit, cum tædio tranſigitur: nihil menti occurrit, quod ad petendum impellat: phantaſmata, quibus gravida eſt, ſuperfluas & noxias cogitationes pariunt, acriores tentationes ſuſcitant; ſicque oratio in iis, qui in levitate ſenſûs ſui ambulant, fit in peccatum, nunquam etiam cauſa peccatorum exiſtit, niſi ſuppleant, quæ de præparatione proxima dicturi ſumus.

Proxima præparatio in eo conſiſtit, ut oraturus 1°. divinum auxilium imploret, exemplo Eccleſiæ, quæ orationibus ſuis præmittere ſolet, *Deus in adjutorium meum intende*, &c. Oratio enim Dei donum eſt, ut dicetur infrà. 2°. Non tantùm ad Deum dirigere intendat orationem, ſicut & cætera bona opera; ſed etiam actu attendat, ut diximus; quia niſi attentio actualis præcedat, virtualis in decurſu orationis præſumi non poteſt. 3°. Curam aliorum operum, quantùm fieri poteſt, deponat, foreſque diligenter occludat alienis cogitationibus. 4°. Infirmitatem ac proprios defectus agnoſcat, accedatque ad Deum, ceu famelicus ad divitem, ceu infirmus ad Medicum, ut loquitur ſanctus Auguſtinus 5°. Seipſum concitet, ſtimuletque ſincero proficiendi deſiderio, ſine quo nec petitio, nec oratio ſtare poteſt, ut patet ex dictis. Sed fortè alienæ cogitationes mentem ita occu-

pant, ut ad ſpiritualia jam attendere liberum non ſit: fortè non ita cor ſuum invenit, ſicut habet ad manum librum, ut dicat Deo cum Davide: *Invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oraret te oratione hâc*, 2. Reg. c. 7. Saniores ergo cogitationes advocet etiam ope lectionis & meditationis, ſi neceſſe ſit: ſicut enim radius Solis umbram fugat, ſic lux veritatis erroris tenebras depellit, mentem colligit, voluntatemque ad reſipiſcendum commovet.

Paragraphus II.

Quotuplex eſt oratio?

R. Duplex: mentalis, quæ fit ſolâ mente: & vocalis, quæ fit additâ voce corporali. Dico, *additâ;* quia vocum prolatio præcisè ſumpta non eſt oratio; namque ex dictis oratio eſt deſiderii coram Deo explicatio, nec prodeſt ſtrepitus oris, muto corde. Oratio igitur vocalis, ut ſit vera oratio, mentalem neceſſariò includit.

Q. 2°. *Cur orationi mentali adjunguntur voces?*

R. Quadruplici ex causâ 1°. Quia homo ſecundùm ſe totum, hoc eſt ſecundùm animam & corpus honorem Deo pendere debet. 2°. Quia non ſolùm corde credere, ſed & ore confiteri oportet Deum eſſe omnium bonorum auctorem. Ergo ſicut ſacrificio interiori additur ſacrificium exterius in ſignum interioris, ſic voces adjunguntur orationi mentali tanquam ejus ſigna. 3°. Quia voces nonnunquam erumpunt ex vehementi orantis affectu, & ex quâdam animæ redundantiâ, ut loquitur S. Thomas juxta illud Pſ. 15. *Lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.* 4°. Quia ex S. Auguſt. epiſt. 130. aliàs

121. ad Probam, verbis & aliis ſignis ad devotionem nos ipſos acriùs excitamus. *Et ideò*, inquit S. Thomas, art. 12. *in ſingulari oratione tantùm eſt vocibus utendum, quantùm proficit ad excitandam interius mentem. Si verò mens per hoc diſtrahatur, vel qualitercunque impediatur, eſt à talibus ceſſandum, quòd præcipuè contingit in iis quorum mens ſine hujuſmodi ſignis eſt ſufficienter ad devotionem parata.*

Dices: Joan. 4. ait Chriſtus; *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Ergo in oratione nihil corporeum debet admiſceri.

Nego conſeq. namque Deus ſpiritu colitur, cùm voces ad provocandam noſtram erga eum devotionem aſſumuntur, quemadmodum in carne non eſſe ſed in ſpiritu dicuntur, qui membra corporis ſui in obſequium Dei convertunt: animales verò & carnales, qui carnis deſideria perficiunt. Sic orant in veritate & ſpiritu, qui vocibus & canticis ad Deum mentem erigunt; ſecùs qui ad modulationem, & vocum ſuavitatem animum deflectunt. De utriuſque ſcribit ſanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. c. 33. his verbis: *Adducor cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Tamen cùm mihi accidit ut me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare confiteor & tunc mallem non audire cantantem.* Quare ſanctus Hieronymus in cap. 5. epiſt. ad Eph. & Sanctus Thomas qu. 91. art. 2. cenſent cantus ab Eccleſia removendos, qui ita aures demulcent, ut mentem deprimant, impediantque attentionem & reverentiam, quæ debetur eloquiis divinis

Q. 3°. *Quotuplex eſt Oratio mentalis?*

R. Duplex diſtingui ſolet, nempe meditatio, & contemplatio.

Q. 4°. *Quid eſt meditatio ?*

R. Eſt ſtudioſa inveſtigatio occultæ veritatis ad concipiendum devotionis fervorem.

Dicitur 1°. *ſtudioſa inveſtigatio*, nempe ex motivo religionis ; alioquin meditatio non eſſet oratio, ſed mera ſpeculatio philoſophica aut theologica.

Dicitur 2°. *veritatis*, non quidem prorsùs ignotæ, ſed aliquatenùs velatæ & occultæ, pleniùſque cognoſcendæ. Nam præterquàm quòd meditanda veniunt myſteria fidei omnibus obvia, & multa lumine naturali nota, ut divina attributa, meditationi præmitti ſolet lectio, per quam veritas incipit innoteſcere; ſed per ſubſequentem meditationem eliquatur, ponderatur & in animum ſuaviter ſeſe diffundit. Quod eleganter explicat Auctor operis *de modo orandi*, tom. 5. operum ſancti Bernardi. *Lectio*, inquit, *quaſi ſolidum cibum ori apponit ; meditatio maſticat & frangit .... Lectio in cortice, meditatio in adipe. In lectione audis*, Beati mundo corde. *Ecce breve verbum, ſed ſuavi & multiplici ſenſu refertum. Ad paſtum animæ lectio quaſi uvam miniſtravit, quam poſtquam anima inſpexit ..... quaſi in torculari ponit, excitat vocem ad inquirendum quid ſit, & quomodo haberi poſſit hæc adeo pretioſa & deſiderabilis munditia.* Accedens ergo ad lectionem ſedula meditatio non remanet extrà, non hæret in ſuperficie, ulteriùs pedem figit, interiora penetrat, ſingula rimatur. Denique in meditatione nobiſcum agimus, quemadmodum cum proximo, quem fraternâ correctione commonemus, etſi non omninò peccet ex ignorantia; qui tamen ex illis eſt, qui videntes non vident veritatem novo modo ipſi exponimus, momen-

tà congerimus, & in illum contorquemus, ut ſalutari pudore ſuffuſus reſipiſcat. Talibus commonitionibus in meditatione noſtram ſocordiam excutimus.

Dicitur 3°. *ad concipiendum devotionis fervorem*, ut ſignificetur meditationem non eſſe meram ſpeculationem, ſed opus rationis practicæ, voluntatem ad fugam mali & proſecutionem boni incitantis.

Q. 5°. *Quid eſt contemplatio?*

R. Deſcribitur cit. lib. de modo orandi, *mentis in Deum ſuſpenſæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia deguſtans.* Et à ſancto Bernardo lib. 2. de Con. ſid. c. 2. *verus certuſque animi intuitus de quâcunque re; ſive apprehenſio veri non dubia.*

Ex hâc deſcriptione patet meditationem & contemplationem minùs eſſe diſtinctas ſpecies, quàm partes orationis mentalis, quæ meditatione inchoatur, & contemplatione perficitur. Meditatio inveſtigat, contemplatio invenit & apprehendit: illa eſt animi motus & labor, hæc quies & fruitio, ſed brevis admodum, & quaſi furtim, ut docent ſanctus Greg. lib. 5. Mor. & Auctor lib. 1. de amore Dei, inter opera ſancti Bern. & alii paſſim. In meditatione anima petit & pulſat, ut ſibi aperiatur; ſeipſam exſtimulat ad deflenda peccata, ad deſideranda cæleſtia: in contemplatione introducitur ad guſtandum quàm ſuavis eſt Dominus; lacrymæ uberiùs fluunt, quòd illum offenderit; & ardentiùs petit, ut nunquam ab illo ſeparari permittat; ſicque *ad bona rurſus opera rediens, ſuavitatis Dei memoriâ paſcitur, & foris piis actionibus, intùs verò ſanctis deſideriis nutritur*, inquit ſanctus Gregorius hom. 5. in Ezech. Hic eſt orationis finis & conſummatio. Atque inde ulterius liquet orationem mentalem coaleſcere

ex meditatione, petitione, & contemplatione tanquam ex partibus inter ſe concatenatis, & minimè ſeparandis, nam, ut ait laudatus Auctor de modo orandi: *Quid prodeſt homini, ſi per meditationem quæ agenda ſunt videat: niſi orationis auxilio, & Dei gratiâ ad ea obtinenda convaleſcat? Quomodò autem eſſet ſollicitus ad poſtulandum; niſi priùs eum accendiſſet meditatio? Ad hoc ergo ut fructuoſa ſit meditatio, oportet ut ſequatur orationis devotio, cujus quaſi effectus eſt contemplationis dulcedo.*

Nec dicas contemplationem eſſe perfectorum propriam, meditationem verò incipientium; namque ex ſancto Bern. ſerm. 3. de Circumciſ. contemplatio dono datur perfectis, ut ſit eis quodammodo propria; commodatur vero aliquoties incipientibus & proficientibus tanquam viaticum, ne deficiant in viâ. *Pius*, inquit, *Dominus noſter Jeſus-Chriſtus puſillos corde blanditiis talibus ſolet allicere, ſed noverint qui hujuſmodi ſunt, gratiam hanc præſtitam ſibi eſſe non datam... longè aliter qui exercitatos habent ſenſus, devotionis hujus felici fruuntur jucunditate.*

Enimverò quia perfecti ſolum Deum uſque ad contemptum ſui concupiſcunt, ubi vacare licet ab operibus externis, facilè ad illum aſſurgunt: nec indigent longo rationum circuitu ad inveſtigandam veritatem; in cujus jam luce bona temporalia utpote caduca & vana deſpiciendo tranſcendunt. Quia tamen corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitiâ, tentationeſque ſuſcitat nonnunquam graves, mens eorum diu ſuſpenſa per contemplationem permanere nequit, atque ideo meditationis alas, ſecundùm Richardum à ſancto Victore identidem agitare compelli-

tur, & rationis efficaciâ ſeipſam commovere, ut fuſiùs expoſuimus tractatu de actibus humanis, ubi de beatitudine. Novitii & imperfecti contrà, quia inordinatus ſui amor adhuc ex parte eos ligat, bona temporalia titillant, delectant, & peccata venialia multiplicant, ſub quibus veluti ſub cineribus, ignis charitatis otioſus latet, frequentioribus & longioribus egent meditationibus ad detegendam rerum temporalium vanitatem, excutiendum pulverem peccatorum venialium, & concipiendum fervorem ſpiritûs, in quo per contemplationem guſtatur, quàm ſuavis eſt Dominus. Ergo contemplatio ita eſt perfectorum opus, & meditatio imperfectorum, ut illis ad breves meditationes aliquando recurrere neceſſe ſit, & iſtis contemplatio, quaſi in tranſitu identidem concedatur.

Q. 6°. *Meditatio eſt-ne omnibus fidelibus ad ſalutem neceſſaria?*

R. 1°. Duobus modis ſpectari poteſt meditatio; nempè, vel ſecundùm ſe præciſè, & quatenus eſt ſtudioſa occultæ veritatis inveſtigatio; vel ſecundùm circumſtantias, putà methodum, temporis diuturnitatem, &c.

Certum eſt meditationem poſteriori modo eſſe duntaxat medium ad ſalutem utile. Quæſtio ſolùm eſt de meditatione ſecundùm ſe ſpectatâ.

R. 2°. Aliqua meditatio eſt omnibus fidelibus ad ſalutem neceſſaria.

Probatur 1°. ex Scriptura, Jer. 12. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt qui recogitet corde.* Eccli. 3. *quæ præcipit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Math. 13. & Luc. 8. verbum Dei auditum & non recogitatum, eſt ſemen cadens vel ſecus viam & conculcatum, vel in ſpinas, & ſuffocatum. Spinæ, Domino interprete, ſunt

ſollicitudo ſæculi & fallacia divitiarum ac voluptatum, à quibus retrahendam mentem monet Propheta, his verbis: *Redite prævaricatores ad cor*, Iſa. 46. hoc eſt in vobis ipſis expendite, ponderate, & in corde veſtro conferte quæ didiciſtis ſive lectione, ſive auditu, ut reſipiſcatis, & acceptum verbum fructificet. Sic David licèt negotiorum multitudine preſſus meditationibus mundabat cor ſuum, *meditatus ſum nocte cum corde meo*, inquit Pſalm. 76. *& exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*, adeo meditatio videbatur illi neceſſaria.

Probatur 2°. ex Patribus: S. Gregorius hom. 15. in Evangelium ſic habet: *Curate ne ſemen juxta viam cadat; ne malignus ſpiritus veniat, & à memoriâ verbum tollat. Cibus mentis eſt ſermo Dei, & quaſi acceptus cibus ſtomacho languente rejicitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur; ſed quiſquis alimenta non retinet, hujus profectò vita deſperatur.* Sanctus Auguſtinus, vel quivis Auctor hom. 35. l. 50. hom. *In lege*, inquit, *immunda ſunt animalia quæ non ruminant .... Ruminatio pertinet ad eos, qui cogitant poſtea quòd audierint & tenuerint* (memoriâ)*; nam modò manducamus, & in memoriam tanquam in ventrem mittitur. Sed quid facit pecus quando ruminat, quod in ventre fuerat repoſitum, revocat ad os & in ipſa dulcedine conquieſcit. Hoc dixi, ne ſitis immundi tanquam pecora.* Sanctus Bernardus totus eſt in opere de Conſideratione ad commendandam Summo Pontifici meditationis neceſſitatem, ſcribitque cap. 1. & 2. lib. actum eſſe de ejus ſalute, ſi ſe totum tradat negotiis, quæ illum circunſtant. Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 3. expendens tertium Decalogi præceptum, quod eſt de ſanctificatione Sabbathi, docet præceptum illud eſſe cæremoniale & juris

poſitivi, quantùm *ad taxationem temporis*, ac proindequantùm ad hanc circunſtantiam potuiſſe abrogari, ſed quoad ſubſtantiam ſpectatum eſſe juris naturalis & indiſpenſabilis; quia homo aliquando vacare debet rebus divinis, juxta illud Pſal. 43. *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Quocirca qui die dominicâ, quod eſt Chriſtianorum ſabbathum, non poteſt vacare propter neceſſaria charitatis officia, aliud tempus ſibi præſtet, neceſſe eſt.

Dices: Huic debito ſatisfit per lectionem, vel auditionem verbi Dei: Ergo.

Diſt. ant. Si iſta fiant cum devotione, meditando & orando, Concedo: ſecùs Nego ant. *Quid enim prodeſt lectione continuâ tempus occupare*, ait Auctor de modo orandi, *Sanctorum geſta & ſcripta legendo tranſcurrere, niſi ea etiam maſticando & ruminando ſuccum eliciamus, & tranſgluttiendo uſque ad cordis intima tranſmittamus? Item quid prodeſt homini, ſi per meditationem, quæ agenda ſunt, videat, niſi orationis auxilio & Dei gratiâ, ad ea obtinenda convaleſcat? ... Oratio ſine meditatione tepida eſt: meditatio ſine oratione infructuoſa.*

Probatur 3°. ratione theologicâ. Qui vult ſalutem conſequi, *declinet à malo & faciat bonum.* Pſal. 33. Atqui neutrum præſtiterit ſine aliquâ meditatione. Ergo aliqua meditatio eſt ad ſalutem neceſſaria.

Minor probatur. Ut voluntas duo illa præſtet, oportet ut velit, & quidem efficaciter: Atqui ſine aliquâ meditatione non ſic volet, ſaltem perſeveranter; quia voluntas non fertur in incognitum, neque in id quod ex memoriâ excidit, & ad quod ratio ſatis non advertit. Hinc naſcuntur peccata ignorantiæ vincibilis, inadvertentiæ, & infirmitatis, contra quæ nullum

ſuppetit remedium, niſi conſideratio & oratio Quod ut magis perſpicuum fiat,

Advertes duplicem diſtingui cognitionem: Alia eſt ſpeculativa, quâ generatim diſcernitur inter bonum & malum: alia practica, quâ in particulari ſpectatis circunſtantiis judicatur hic & nunc illud eſſe fugiendum, alterum proſequendum. Prior cognitio lectione & ſtudio acquiritur, poſterior meditatione & oratione: illa communis eſt bonis & malis, hæc bonis propria: illa eſt infœcunda & ſterilis, hæc virtutum parens. De priori locutus eſt Poëta

Video meliora proboque, deteriora ſequor.

Et Chriſtus Dominus ad Phariſæos & Legiſperitos, Joan. 9. v. 41. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis, quia videmus, Peccatum veſtrum manet.* Quid ita? nimirum *faſcinatio nugacitatis*, ut dicitur Sap. 4. *obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum;* hoc eſt, mundi illecebræ & terrores, paſſiones inordinatæ veritatem tenebris obnubilant, quibus mens præoccupata malum veluti delectabile, utile & honorificum; bonum verò tanquam moleſtum, rei familiari contrarium & hominum ſuggillationibus obnoxium ſic proponit voluntati, ut illam afficiat & determinet. Hæc eſt cæcitas mentis & ignorantia practica, quâ laborant omnes peccatores, licèt legis periti. Hi lucent aliis non ſibi, vident quo tendendum ſit, & errant in viâ, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, 2. Timoth. 3. legis litteram percipiunt, ſed ſpiritum non aſſequuntur, favum tenent & melle carent, juxta ſanctum Bonavent. lib. 7. de proceſſu Religionis cap. 11. Porro nemo non videt hujuſmodi tenebras ignorantiæ practicæ per animam diffundi defectu

conſiderationis, nec poſſe expelli, niſi oratione & ſeriâ legis meditatione: *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies*, inquit Apoſtolus, Hebr. 3. *ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.*

Confirmatur 1°. Ideò beati in cœlo non peccant, nec peccare poſſunt; quia veritas in mentibus eorum continuo lucet, ſicut ſol in meridie, omnem fugat umbram, prorſuſque excludit falſam illam boni imaginem, quâ malum expeti poſſit. Ergo ad felicem illam impeccantiam eò propiùs accedimus, quò diligentiùs veritati attendimus, quæ hic lucet tanquam lucerna in caliginoſo loco, ut dicitur 2. Petri cap. 1.

Confirmatur 2°. experientiâ, quâ conſtat multos graviorum peccatorum conſcios reſipiſcere meditationis ope, atque eo greſſu in via virtutis proficere, quo ad piam exercitationem confugiunt, adeò ut ſi quid de illâ remittant, tepeſcat eorum ardor, & ubi illam prorſus neglexerint, in priſtina crimina relabantur.

Dices: ſinguli capaces non ſunt meditationis, ut idiotæ, peccatores, & quicunque ita dediti ſunt operibus exterioribus, ut ſpatium quieſcendi non habeant. Ergo meditatio non eſt omnibus ad ſalutem neceſſaria.

Diſting. anteced. Singuli capaces non ſunt meditationis cujuſdam, putà diuturnioris & ſublimioris, Concedo: cujuſcunque, Nego, anteced. Namque 1°. ſicut fides, amor Dei, oratio & quodcunque bonum opus ſupernaturale ad ſalutem neceſſarium communia ſunt omnibus; ſic & conſideratio Myſteriorum fidei, ſine quâ nullum bonum opus exurgere poteſt. Imò ex Gerſone, tract. de myſticâ Theologiâ conſider. 3. idiotæ nonnunqam perfec-

tiùs divina percipiunt, quàm litterati. 2°. Omnibus peccatoribus dicitur, *Redite prævaricatores ad cor*, ut ibi conſcientiæ ſuæ fœditatem intuentes exhorreſcant, contritionemque concipiant. 3°. Si animus ſit ad ſpiritualia affectus, ut debet, & illa magis curet quàm temporalia, occupatio tanta eſſe non poteſt, tamque continua, ut ſpatium orandi ſaltem vocaliter non relinquat. Oratio autem vocalis non poteſt eſſe ſine aliquâ mentali, ut docet Navarr. in Manuali cap. 18. & ſicut in oratione vocali, ſi diuturnior ſit, mentalis identidem repetenda eſt ex eodem Auctore; ſic & in aliis actionibus mens ad Deum levanda, ut opus quod ab illo incœpit, per illum perficiatur; & hic operandi modus, qui Chriſtianorum eſt, laborantes plurimùm ſolaretur, nedum oneraret, ſi Paſtores ad illum exercendum frequentiùs incitarent.

Q. 7°. *Quæ in meditatione obſervanda ſunt?*

R. Quatuor, nempe finis, materia, modus, & tempus.

Finis meditationis eſt Dei honos & cultus, & idcircò meditatio eſt actus religionis & charitatis: debet ergo procedere ex cordis affectu, ut innuit Pſaltes regius, Pſalm. 118. *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper;* atque in eo differt meditatio à lectione & ſtudio. Namque lectio & ſtudium tendunt ad acquirendam ſcientiam; meditatio verò ad impetrandam devotionem: in meditatione intentio cordis ſeu voluntas intellectum movet & applicat ad inquirendum quid Deo magis placeat, quidve diſpliceat, ut primum proſequatur & alterum expellat viteтque. Unde qui ita peccant, ut ab affectu peccandi liberari nolint, ad meditationem cenſentur inepti.

Materia meditationis ex fine colligitur, nimirùm ea duntaxat mente revolvenda ſunt, examinanda & ponderanda, quæ devotionem provocent, nutriant, peccata & defectus corrigant. Neque verò hæc generatim & confusè proponere oportet, ſed ſpeciatim & in particulari ante meditationem præ oculis habendum quid in nobis maximè Deo diſpliceat, quidve magis obſit noſtræ ſaluti; alioquin ſi quis vagam & generalem tantùm cogitandi de rebus divinis intentionem habeat, vel obvia quæque ex libro ſine delectu excipiat; variis & peregrinis cogitationibus inter orandum agitabitur & diſtrahetur, ſimilemque dixeris ei, qui cum Medico de diverſis morborum generibus & remediis diſſerit, eo quo laborat, prætermiſſo.

Modus in meditatione ſervandus is eſt, 1°. fiat in conſpectu Patris luminum, juxta illud Pſalm. 118. *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*, hoc eſt cum ſingulari Dei reverentiâ, quem fide vivâ & perſpicaci mentis attentione præſentem apprehendat. 2°. invocetur divinum auxilium, ut ſuo exemplo docet idem Pſaltes regius: *Revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tuâ. Da mihi intellectum, & vivam*; namque ex dicendis oratio Dei donum eſt. 3°. Conſideratio ſit practica, tendens ad movendam voluntatem, excitandoſque cordis affectus, viténturque longiores & ſpeculativi diſcurſus, qui devotionem exſugunt, nedum illam provocent. Quis autem ordo in illâ conſideratione practica tenendus ſit, pendet ex orantis diſpoſitionibus. Si enim timor mundanus illum commovet, & fallacia honorum, voluptatis, & divitiarum in illo prævalet, ut contingit iis quos Apoſtolus vocat animales & carnales, motiva congerenda ſunt, quibus

ſuadeatur voluntati non eſſe timendos qui occidunt corpus, multò minùs qui pietatem deſpiciunt & irrident, ſæculi ſapientiam eſſe meram ſtultitiam, blandimenta carnis & mundi pollicitationes eſſe veluti eſcam, quâ dæmones animas in laqueum alliciunt, juxta illud Sap. 14. *Creaturæ factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium.* In hujuſmodi conſiderationibus commorabitur, donec voluntatem iis compungi ſentiat; illaſque intermixtis ſparſim ad Deum aſpirationibus fulciet, adhibitis etiam, ſi opus ſit, quibuſdam vocibus, v. g. *Miſerere mei Deus; quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: ecce in flagella paratus ſum. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas*, &c. Quibus ſi necdum voluntas commoveatur, ſecum aget quemadmodum cum ſubdito ſalutaria monita non ſatis pendenti propriam ſocordiam exaggerabit increpabitque, Dei patientiam & longanimitatem erga ſe contuebitur, perpendetque quàm horrendum ſit incidere in manus Dei irati, quàm vana felicitas terrena, cujus finis eſt interitus. Se quoque adhortabitur ſpe cæleſtium bonorum, pace quâ fruitur pura conſcientia, &c. 4°. Ubi voluntas emolliri cœperit his & ſimilibus conſiderationibus, protinùs illas dimittet, ut ſe totum tradat cordis affectibus, ad quos ordinatur conſideratio tanquam medium ad finem: obtento autem fine, deſeruntur media utpote jam minimè neceſſaria. Propterea qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali, ut loquitur Apoſtolus Hebr. 5. adeò ut minùs peccent ex negligentiâ, quàm ex infirmitate contra firmum & conſtans animi propoſitum, mentis diſcurſu & longâ conſideratione non indigent; quia ubi de rebus divinis, ac de

propriis defectibus cogitaverint, voluntas eorum ſtatim commovetur ad illas expetendas, & ad hos deflendos; ac proinde meditatio per diſcurſum illam retrotraheret, nedum promoveret: *Legere & meditari commune eſt bonis & malis*, inquit Auctor de modo orandi: *at piè affici proprium eſt bonis*, imo peccatores piis affectibus incipiunt fieri boni. Quapropter in his diutiùs orans immorabitur. Qui verò? Nimirùm ex ſenſu propriæ ſive infirmitatis, ſive negligentiæ & malitiæ, dolori habenas laxabit, ingrati animi vitium coram Deo exaggerabit: ſeveriſſimam contra ſe ipſum ſententiam pronuntiabit, ſatisfactionem læſæ majeſtati divinæ offeret cum ſumma ſui dejectione, priſtini moris odium deteſtationemque concipiet, emendationem ſeriò proponet. Similiter experimento immenſæ Dei bonitatis & patientiæ erga ſe, in gratiarum actiones & laudes ejus erumpet, nugis ſæculi, & carnis illecebris valefaciet cum Eccleſiaſte dicens: *Riſum reputavi errorem; & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* cap. 2. Deo indeclinabiliter adhærere ſtatuet, orationes congeminabit, ut quod ipſo donante decrevit, ipſe quoque adjuvante efficaciter impleat. Inveſtigabit inſuper quid eum à propoſito deterrere poſſet, & à charitate Dei ſeparare. An tribulatio, an colloquia prava & mundi ſcandala, an innata concupiſcentia & inveterata malè actæ vitæ conſuetudo? & contra hujuſmodi præviſas tentationes animum firmabit armabitque. Quod ſi mentem divagari & devotionem tepeſcere advertat ut interdum contingit (Deo ita permittente, ut ampliùs creſcant pia deſideria, innoteſcat quanta ſit humana infirmitas, nihil de ſe præſumat, ſed ſolo divinæ miſericordiæ adjutorio innitatur) revocabit aliquam ex con-

ſiderationibus, quæ illum magis movetunt: quâ ſtimulatus ſe iterum in ſupra notatis actibus exercebit. Quin & ipſa mentis evagatione tanquam obvio & acri aculeo ſeſe incitabit; namque ut habetur in 218. ſententiarum ſcriptis ſancti Auguſtini excerptarum, tom. 3. *Qui otioſus & quietus non cogitat Deum, inter actus multos & laborioſa negotia de illo quomodo poterit cogitare?* Ille probet ſe Deum non intendere; Id eſt, in operibus externis, quamvis ex officio bonis, qui dum vacat, ad illum aſſurgere non poteſt.

Sed duo hic cavenda ſunt. Primum, ne actus frequentiores ſint, & quaſi motum continuum efficiant; ſed paulatim quieſcere oportet, & locum dare motioni Spiritûs ſancti, nam præterquàmquòd oratio non eſt opus humanæ induſtriæ & virtutis, hæc ipſa animi quies in veritatis luce ad movendum affectum plurimùm juvat, & eſt quædam contemplationis inchoatio, & quantò ampliùs in eâ proficiſcitur, tantò magis de contemplatione participatur. Secundùm, *ne poſt contemplationem iſtam, quâ quis elevatus fuit uſque ad cœlos*, ait ſæpè laudatus Auctor de modo orandi, *inordinato caſu corruat uſque ad abyſſos, nec poſt Dei viſionem ad laſcivos mundi actus & carnis illecebras convertatur.* Et reverà ideo per orationem ad Deum recendimus, ut in illo maneamus, ſitque ſupernaturale principium & finis actionum noſtrarum; quia omnis actio, quæ ex Spiritu ſancto non procedit, eſt ſpuria, vilis, & nullius apud eum meriti: *Manete in me, & ego in vobis*, ait Chriſtus Joan. 15. *omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Qui ergo ex oratione ſurgens mentem obviis quibuſque objectis tradit, & carnis deſideriis mancipat; videtur illi ſimilis, qui

prægrandem lapidem magno labore & conatu ſublevat ad altitudinem muri quem ædificat, & ubi in loco deſtinato illum collocaverit, ſtatim in terram projiceret, iterùm inde extracturus & ſemper dejecturus.

Ex dictis colligitur quantùm temporis dandum ſit meditationi, nempe quantùm neceſſe eſt, ut anima terrenorum affectum deponat ſicque charitas in corde prævaleat, ut parata ſit Deum ſolùm intendere in omnibus operibus ſuis. Hic eſt omnium orationum noſtrarum ſcopus & fructus, *unde conveniens eſt*, inquit ſanctus Thomas qu. 83. art. 14. *ut oratio tantùm duret quantùm eſt utile ad excitandum interioris deſiderii fervorem.* Et ſanctus Gregorius lib. 5. in Ezech. *Quia diu ſe tenere* (contemplatione) *ipſa corruptionis infirmitas non poteſt, ad bona rursùs opera rediens, ſuavitatis Dei memoria paſcitur, & foris piis actionibus, intus verò ſanctis deſideriis nutritur.*

Q. 8°. *Quotuplex eſt oratio vocalis?*

R. Duplex, privata, quæ fit à perſona privata & privato nomine: & publica, quæ fit à communitate, vel à miniſtro nomine communitatis.

Q. 9°. *Quænam præſtantior eſt & præferenda?*

R. Publica; quia orationis excellentia æſtimatur ex gratiâ Spiritûs ſancti aſſiſtentis, & ex dignitate perſonæ orantis; non verò ex animi tranquillitate; quæ quidem poteſt eſſe major in oratione privatâ: Atqui Mathæi 18 ſpeciale Dei auxilium promittitur iis qui ad orandum in unum conveniunt: *Dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Deinde ipſa Eccleſiæ

unanimitas eſt ſanctior & acceptior apud Deum, quàm privatus quilibet: *quid hâc oratione Eccleſiæ potentius*, ait ſanctus Chryſoſtomus homil. 79. ad populum .... *domi quidem orari poteſt, ſic autem in Eccleſia non poteſt, ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur, nempe à Domino ſolus orans audieris; ut cum fratribus; hic enim majus aliquid eſt, putà unanimitas & conſonantia, charitatiſque vinculum, ac Sacerdotum orationes.* Et Tertullianus apologet. cap. 39. *Corpus ſumus*, inquit, *de conſcientia religionis & diſciplinæ unitate & ſpei fœdere; convenimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu factâ precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt.*

Dixi, *vel à Miniſtro nomine communitatis;* namque Clericus horas Canonicas privatim percurrens, orationem verè & propriè publicam fundit, utpote qui fidelium vota, tanquam Eccleſiæ legatus & miniſter, ad Deum deferat. Verùm quis ad tantùm miniſterium perfectè idoneus?

Qui tria præſtiterit: 1°. noverit & expenderit hujus miniſterii ſublimitatem & pondus: 2°. ex vitæ ſanctitate, & conſcientiæ puritate facilem ad Deum promeruerit acceſſum. 3°. mala, quibus Eccleſia undique premitur, & pro quibus ad Deum gemit, ex charitatis compaſſione fecerit ſua.

Explicatur reſponſio quoad ſingula.

Quoad primum, oratio generatim eſt præcipuum, nobiliſſimumque fidei, charitatis & religionis exercitium, & per ſe cæteris anteponendum. *Maria optimam partem elegit*, ait Chriſtus Luc 10. In cœleſti hierarchiâ ordo Angelorum Deo aſſiſtentium, ſublimior eſt ordine miniſtrantium. In Eccleſiaſtica quoque omnis Pon-

tifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus primariò conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, dehinc in iis, quæ ſunt ad populum. *Quid majus aut magis divinum obtingere poſſit, quàm deprecatio?* inquit S. Chryſoſtomus paſſim in opere de orando Deo. *Majus eſt Angelorum dignitate colloquium miſcere cum Deo.* Si verò à genere ad ſpeciem, hoc eſt ad orationem publicam transferatur conſideratio noſtra; quid ſublimius, quidve magis arduum; quàm legatum ab univerſali Eccleſia ad Deum deputari, atque ejus nomine apud divinam majeſtatem intercedere, ne in ira peccatis provocata contineat miſericordias ſuas, ſine quibus fruſtra laboraret ædificans aut prius ædificata conſervans. *Omnes ædificamus*, inquit ſanctus Auguſtinus in Pſal. 126. *& omnes qui in Eccleſia prædicant verbum Dei, miniſtri ſacrorum Dei .... Omnes loquimur foris, ille ædificat intus .... Ipſe monet, ipſe terret, ipſe intellectum aperit, ipſe ad fidem applicat ſenſum, & tamen laboramus, & nos tanquam operarii; ſed niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Porrò Deus in vindictam peccatorum, & negligentiarum noſtrarum, gratiam ſaltem ex parte ſubtrahere ſolet; unde naſcitur aliqua mentis cæcitas, & cordis induratio, ut diximus, ubi de reprobatione, & de decretis divinis. Ergo ſi mediatori inter homines diſſidentes præſertim laborandum eſt, ut perſona læſa placetur, velitque reconciliari; id à fortiori in reconciliatione hominum cum Deo obſervare neceſſe eſt, cùm Eccl. 7. nullus poſſit corrigere, quem Deus deſpexerit iratus; & omnis ad eum certò veniat, ſi ipſum eo, quem novit congruere, modo, vocaverit placatus. Atque idcirco Eccleſia ex ſacro Clericorum ordine aliquos duntaxat aſſumit ad Verbi

Divini myſterium, omnes verò & ſingulos lege ſuâ aſtringit diu noctuque ſtatis horis, & ſine neceſſitate nullatenus mutandis, levare manus ſuas ad Deum, & orationes veluti murum firmiſſimum iræ Dei opponere, ut dicitur Ezech. 13. v. 5. Quibus perpenſis nullus non videt quanti faciendæ ſunt Horæ canonicæ, quæ nomine Eccleſiæ ad Deum diriguntur; quàm ſtudiosè & devotè ſint perſolvendæ, quantaque ſit eorum allucinatio, qui, ut exhortationi, lectioni, & ſcriptioni vacent, ſtudium orationis remittunt, Horaſque canonicas perfunctoriè decurrunt.

Quoad ſecundum, etſi peccator ſatisfaciat Eccleſiaſtico orandi præcepto, ut alibi diximus, attamen non decet ipſum Eccleſiæ vota ad Deum perferre, quemadmodum ſanctus Gregorius 2. part. Paſtor. c. 10. docet graviſſimis his verbis: *Si homo apud hominem, de quo minimè præſumit, fieri interceſſor erubeſcit, quâ mente apud Deum interceſſionis locum pro populo arripit, qui familiarem ſe ejus gratiæ eſſe per vitæ merita neſcit . . . Cuncti enim liquidò norunt, quàm, cùm is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.*

Quoad tertium, recolenda quæ ſuperiori paragrapho diximus de oratione generatim ſumptâ, nempe orationem eſſe noſtri deſiderii apud Deum explicationem; deſiderium verò excitati noſtræ indigentiæ & infirmitatis ſenſu ut verum ſit quod ſcribit Apoſtolus Rom. 8. *Spiritus poſtulat* (id eſt poſtulare facit) *gemitibus inenarrabilibus.* Unde ex ſancto Auguſtino paſſim, *Oratio gemitum habet*. Ergo ſicut in privatâ oratione noſtris privatis malis tangimur & afficimur, ſic & in publicâ communibus Eccleſiæ neceſſitatibus commoveamur neceſſe eſt.

Atque illud ipſum adumbrabat ſummi Pontificis ſanctuarium ingredientis ornatus, de quo ſic legitur Exodi 28. v. 12. *portabitque Aaron nomina eorum* (filiorum Iſraël,) *coram Domino ſuper utrumque humerum, ob recordationem.* Et v. 29 *portabitque Aaron nomina filiorum Iſraël in rationali judicii ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.* Id eſt, ut meminerit & recordetur Pontifex in orationibus publicis ſingula Eccleſiæ membra ferre non ſolùm in pectore per compaſſionis amorem, ſed etiam in humeris, eorum onera & peccata ſuſtinendo, ac pro ipſis apud Deum gemitibus deprecando.

Paragraphus III.

Utrùm oratio ſit actus bonus & honeſtus.

R. De fide eſt orationem eſſe actum bonum & honeſtum; in Scripturâ enim habemus orandi præceptum, Math. 7. Luc 18. in Exodo & Levit. paſſim, formulas Math. 7. & in pluribus Pſalmis, innumera quoque exempla Sanctorum, qui oraverunt; in veteri teſtamento Patriarcharum & Prophetarum; in novo, Apoſtolorum, quin & Chriſti Domini. Id ipſum etiam evincit ratio naturalis, ut patebit ex reſponſione ad argumenta veterum Philoſophorum, qui, ut refert S. Thomas, art. 2. docuerunt orationem eſſe inutilem & ſuperſtitioſam. His Wiclefum XIV. ſæculo ex parte conſenſiſſe ſcribit Thomas Valdenſis.

Dices itaque pro hujuſmodi errore: eatenus oratio utilis eſſe poteſt, quatenus vel patefacit alteri orantis indigentiam & deſiderium, vel mutare poteſt ejus voluntatem, & conciliare

benevolentiam : Atqui oratio ad Deum neutrum præſtare poteſt. Namque 1°. omnia nuda & aperta ſunt Deo, novit cogitationes hominum, & præparationem cordis eorum. 2°. Voluntas ejus mutari non poteſt; ſicut ipſe eſt æternus & immutabilis, ſic ejus decreta æterna ſunt & immutabilia; repugnatque ipſum in tempore velle, quod non voluit ab æterno; aut deſinere velle, quod ſemel voluit. Ergo impium, nedum utile, videtur Deum orare, quaſi ignorantiæ vel mutationi ſubjaceat.

Diſtinguo majorem, cum Guillelmo Pariſienſi in opere de Rhetorica divina cap. 2. Oratio, quæ eſt ad creaturas, Concedo: quæ eſt ad Deum, Nego majorem. Diligenter itaque obſervandum, & fideles ſeriò monendi, latum eſſe diſcrimen inter orationem, quæ ad hominem dirigitur, & eam, quæ coram Deo funditur.

Prior tendit ad docendum, diſponendum, excitandum & mutandum eum ad quem fit, in eâ ſi quidem neceſſitatem noſtram, quam ignorabat, exponimus; deinde motivis & obſecrationibus illum urgemus, ut nobis bene velit & faciat. Contra verò poſterior eò ſpectat 1°. ut edoceamur quanta ſit noſtra indigentia & infirmitas. 2°. ut immutemur, diſponamurque ad accipienda Beneficia, quæ Deus ab æterno decrevit concedere orationibus noſtris. Ita ſanctus Auguſtinus libro 2. de ſermone Domini in monte cap. 7. *Quæri poteſt*, inquit, *cur vel his verbis paucis opus ſit ad eum, qui ſcit omnia antequam fiant, & novit quid nobis ſit neceſſe antequam petamus; niſi quia ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciuſque efficit ad excipienda divina munera, quæ nobis ſpiritualiter infunduntur? non enim ambitione precum Nos exaudit*

Deus qui paratus eſt ſuam lucem dare nobis; ſed non ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Ergo oratio eſt actus laudabilis, & longè utiliſſimus, cùm hæc duo oranti conferat, 1°. veriſſimam ſui cognitionem, quâ ſibi vileſcat, & de ſe ipſo non præſumat: 2°. voluntatem per devia errantem eò reducat ut illa duntaxat velit quæ Deus ab æterno voluit, & eo velit modo, quo Deus paratus eſt dare.

Confirmatur, ſimulque explicatur noſtra reſponſio. Chriſtus qui orandi præceptum dedit, modum quoque ſuo docuit exemplo: *Non mea*, inquit Luc. 22. *voluntas, ſed tua fiat*: ex quibus verbis ſanctus Nilus cap. 29. de orat. ſic concludit: *Non ores ut fiant, quæ fieri velis, ſed potiùs ora, ſicut orare didiciſti, ut fiat voluntas Dei in te.* Et ſanctus Auguſtinus enarrat. 2. in Pſal. 31. *Duæ voluntates ſunt, tua, & Dei; ſed voluntas tua corrigatur à voluntate Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam: prava enim eſt tua, regula eſt illa*, (& quidem incommutabilis; ut habetur in Pſal. 93.) *Stet regula, ut quod pravum eſt, ad regulam corrigatur, quomodo Chriſtus docet, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Enimverò præterquamquòd impoſſibile diximus Deum aliud nunc velle, quàm priùs decreverit, nulla pœna fingi poteſt major, quàm ſi hominem dimitteret deſideriis cordis ſui; pravum quippe eſt cor hominis, *Jer m.* 17. in omne malum præceps, & à ſummo bono prorſus averſum; alioquin cur non omnes ſalvi fiunt, cùm Deus velit omnes ſalvos fieri, niſi quia ipſi nolunt, ut obſervat ſanctus Auguſtinus lib. de ſpiritu & lit. cap. 33. *Parum eſt*, addit ſanctus Doctor in Pſal. 93. *quia voluntatem ſuam tortuoſam habent, etiam volunt voluntatem Dei tortuo-*

ſam facere, & ita quantùm in ipsâ eſt eorum voluntate, Deum non eſſe, Deus ſiquidem non eſt, cujus voluntas diſtorta & injuſta fuerit, ut argumentatur ſanctus Bernardus ſerm. 3. de Reſur. ubi in hæc verba concludit: *Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit*, quia nec peccatum. *Quid enim*, inquit, *odit aut punit Deus præter propriam voluntatem?* Abſit itaque ut credamus eum beatum eſſe, qui ſecundùm voluntatem ſuam vivit; quin imò tantò miſerior eſſe convincitur, quantò faciliùs propria ejus voluntas impletur, ut fuſiùs docet ſanctus Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap. 5. Verùm quis ſapiens, & hæc eo quo oportet modo intelliget? Non ſuperbi Philoſophi, quamvis vera & præclara de humanæ naturæ depravatione ſcripſerint: non in Scripturarum & ſanctorum Patrum lectione verſatiſſimi, niſi lectioni orationis ſtudium adjunxerint, cùm plerumque inde plus ſibi placeant, & alios deſpiciant. Humilitas enim donum Dei eſt, ad quod obtinendum peccata noſtra Deo confitemur, animæ noſtræ vulnera orantes detegimus, non ut Deo pateant, ſed ut per humilem confeſſionem pervenire mereamur ad veriſſimam noſtri cognitionem, quâ practicè nobis vileſcat & diſpliceat quod ſumus. Præſumptio itaque eſt terminus, à quo neceſſariò recedendum, aiebat ſuprà S. Thomas, ut mente ad Deum aſcendamus, tanquam ad terminum ad quem orationis noſtræ & finem deſideriorum noſtrorum. Appropinquamus autem Deo, non greſſibus compoſitis, & locorum mutatione, cùm omnem locum ſubſtantiâ ſuâ impleat, ſed animi affectibus, & voluntatis conſenſione, quæ cùm plena & perfecta fuerit, tùm impletur quod pro diſcipulis poſtulavit Chriſtus

Joan.

Joan. 17. *ut & ipſi in nobis unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te.* Quemadmodùm enim qui ſimul in eâdem domo cohabitant, dicuntur inter ſe diviſi, ſi diſcordes fuerint; conjuncti verò, ſi concordes; quia diſcordiâ inter ſe ex adverſo pugnant; concordiâ verò pacatè & delectabiliter ſe ipſis fruuntur. Sic qui propriæ ſervit voluntati, cui *contraria eſt rectâ fronte charitas, quæ Deus eſt*, ex S. Bern. cit. ſer. 3. longè diſtat à Deo, quamvis ab eo fugere non poſſit, & orationem ejus exectabilem pronuntiat Sapiens Prov. 28. v. 9. Qui autem abjectâ propriâ voluntate adhæret divinæ, quæ ſanè Deus eſt, unus ſpiritus efficitur, & eâtenùs incipit Deo frui, ac beatè vivere. Vita quippe in voluntate ejus, procul dubio & ſapientia, & omnipotentia. hæc enim in Deo unum ſunt, ut voluntas Dei ſit diligentibus ſe fons omnium bonorum, & quæ videntur adverſa, ea ſapienter inſuperabiliterque in bona ipſorum convertat; ac proinde unum nobis expetendum, ſcilicet ut non noſtra, ſed Dei fiat voluntas; *quia ſumma eſt voluntatis ejus ſalus eorum, quos adoptavit .... dicentes, fiat voluntas tua, vel eò nobis bene optamus, quòd nihil ſit mali in Dei voluntate, etiamſi quid pro meritis cujuſcunque ſecùs irrogatur*, ait Tertul. lib. de orat. cap. 4.

Dices: Omnium vox eſt, *fiat Dei voluntas. Quis*, inquit S. Auguſtinus in Pſal. 32. *quotidie non dicit, Quod vult Deus, hoc agat;* & nihilominùs multi non deſinunt eſſe miſeri. Ergo.

Diſtinguo antecedens. Omnes dicunt vel ex timore, vel ex amore, Concedo: ex amore, Nego antecedens. Itaque qui timore urgetur, non murmurat quidem, nec contradicit, *fiat*, inquit, *ſicut Deus vult;* quia timet pœnam; ſed nollet Deum ſic velle, aut ita fieri; quia

adhuc ſervit propriæ voluntati, cui divinam utpote oppoſitam diſplicere neceſſe eſt: quæ enim ſocietas luci ad tenebras, charitati ad cupiditatem? *Piget dicere*, inquit ſanctus Auguſtinus in Pſal. 32. *ſed tamen dicam, noſtis enim quàm verum dicam, faciliùs placet pantomimus, quàm Deus.* Quid ita? quia pantomimus habet aliquid propriæ voluntati conſonum; voluntas verò Dei omnia diſſona: *Deus ſolus*, inquit ſanctus Doctor, *non habet quod nobis diſpliceat, & nemo tam multa habet, quæ infidelibus diſpliceant.* Et ideò voluntas ejus grave & moleſtum eſt jugum timore initiatis; patienter tamen illud ferunt; quia ſic oportet fieri, & damnabile eſt Deo obſiſtere. Sed proficiant illi, emundentque corda ab immundiſſimâ propriæ voluntatis leprâ, & veniet illis in oblectationem ſalutis voluntas divina, quemadmodum lux, quæ oculis ægris læſio & tormentum fuerat, adeſt jam ſanatis perfectio & felicitas.

Hinc eſt quod juxtà orandi formulam à Domino præſcriptam, non oramus ſimpliciter, ut fiat Dei voluntas; quia, velint nolint homines, implebitur, tum etiam, cùm contra eam ire videbuntur, ut patet in Judæis, qui in eo ipſo impleverunt neſcientes, quæ manus & conſilium Dei decreverant fieri, Act. 4. quodque deſtruere inaniter meditati ſunt. Sed oramus ut fiat Dei voluntas ſicut in cœlo & in terrâ, hoc eſt, S. Thomâ interprete, ut quomodo Angeli beati in cœlo amore Deo obediunt, ſic nos in terra charitate ipſi obſequamur. Et juxtà S. Auguſtinum lib. 22. de Civit. cap. 1. fiat voluntas ejus in nobis, ſicut jam facta eſt in Angelis: voluntas, inquam, non quâ Deus vult, illa quippe Deus eſt, ſubſtantia immutabilis, ſed quâ nos ex nolentibus, aut imperfectè vo-

lentibus plenè & perfectè volentes facit; Deus ſiquidem operatur in nobis velle & perficere, Phil. 2. Hæc eſt perfecta charitas, quæ voluntas Dei dicitur; quia eſt à Deo in nobis tanquam ejus divinæ voluntatis ſimilitudo impreſſa, & ejus beneplaciti communicatio, ut quæ ei placent, aut diſplicent, ſimiliter & nobis placeant aut diſpliceant. Nonne qui ſic afficitur, intromittitur in gaudium Domini ſui? Talis non dicit, fiat voluntas tua, inquit ſanctus Bern. ſer. 1. de S. Andreâ, quâ ſic oportet ad vitandam pœnam, neque quia ſic expedit ad ſalutem conſequendam; ſed quia, ſic volo, ſic cupio, ſic deſidero vehementer, nec aliam cogito felicitatem, quàm iiſdem bonis frui, quibus Deus ſummè beatus delectatur.

Fatendum tamen eſt hanc felicitatem non poſſe in hâc vitâ eſſe perfectam; quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & perfectiſſimi quique concupiſcentiæ legem ſentiunt in membris ſuis (Rom. 7.) ſic repugnantem legi mentis, ut quod volunt bonum perficere, non inveniant: & ideo in hâc oratione, *fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*, petimus etiam, inquit ſanctus Auguſtinus ex ſancto Cypriano l. 4. ad Bonifacium c. 9. ut in corpore & in ſpiritu fiat Dei voluntas. *Nam cùm corpus è terra, & ſpiritum poſſideamus è cœlo, ipſi terra & cœlum ſumus .... eſt enim inter carnem & ſpiritum colluctatio, & diſcordantibus invicem quotidiana congreſſio, ut non quæ volumus, illa faciamus, dùm ſpiritus cœleſtia & divina quærit, caro terrena, & ſecularia concupiſcit. Et ideo petimus inter duo iſta ope & auxilio Dei concordiam fieri, ut dum & in ſpiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata eſt anima ſervetur.* Sed hæc carnis deſideria & concupiſcentiæ, quæ invitos tenent,

non voluntas, ſed corruptio & velut pruritus voluntatis eſt. *Nam voluntas propriè dicitur, cui aſſentimur & cui ſe liberum inclinat arbitrium*, ut docet ſanctus Bernardus ſermone 3. de Reſurrectione.

Ex his ſequitur orationem noſtram ad aures Dei perveniſſe, cùm liberiores nos reddit à curis mordacibus vitæ temporalis, compeſcit anxietates, quæ diſcruciabant, ne opus ſuſceptum careret felici exitu, v. g. ne in lite caderemus, fugat triſtitiam ex adverſo caſu conceptam, & ſic in Dei beneplacito quieſcere facit, ut ex toto corde dicamus contra rebelles carnis & concupiſcentiæ motus, *non mea, ſed tua voluntas fiat.*

Quæſtio hîc movetur noſtrâ ætate multùm agitata paragrapho ſequenti diſcutienda.

Paragraphus IV.

Utrùm in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere?

Negant Fanatici hujus temporis, quos Quietiſtas vocant, docentque, orantibus ſi ad perfectionem tendant, ne quidem beatitudinem, & virtutes quibus acquiritur, deſiderandas aut petendas eſſe, ſed omnia voluntati divinæ ſic remittenda, ut homo veluti paſſivè ſe habeat, hoc eſt, paratus ſit vel accipere, ſi Deus concedat, vel privari, ſi deneget. Quem errorem cum pluribus aliis ex abſurdo illo principio ſcaturientibus damnarunt ſummi Pontifices Innocentius XI. & Innocentius XII. Hujus Pontificis conſtitutio lata 12. Martii anno 1699. ſolemniter recepta eſt in Galliis & in ſingulis Provinciis promulgata. Itaque

R. Catholica doctrina eſt quædam determinatè à Deo eſſe petenda.

Probatur tum ex Scripturâ, tum ex traditione Eccleſiæ; in utrâque enim habemus exempla Sanctorum, qui in quâcumque tribulatione poſiti, Deum determinatè rogarunt, ut ab eâ liberarentur. In veteri Teſtamento Patriarchæ & Prophetæ: in novo primi Fideles Act. 12. v. 5. Apoſtoli, ut conſtat ex eorum epiſtolis, & catholica deinceps Eccleſia in ſuis precibus publicis, quibus liceat revincere novos Myſticos, ſicut olim ſanctus Auguſtinus Pelagianos confutavit lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 22. & 23. *Utinam*, inquit, *intuerentur orationes, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis donec finiatur hoc ſæculum ..... Sicut ergo in his orationibus, ita & in hâc fide nata eſt, & creſcit: & crevit Eccleſia.*

Nemo ſanæ mentis ſe oculatiorem aut perfectiorem dixerit Eccleſiâ Chriſti ſponſâ & matre ſuâ, maximè ubi ſponſi & exemplum ſequitur, & regulam ab ipſo præſcriptam. Chriſtus enim ſpeciatim oravit pro tranſgreſſoribus in Cruce, & pro Apoſtolis & in eum credituris, Joan. 17. & precandi formam dedit ſeptem petitionibus diſtinctam: *Sic vos orabitis*, inquit Math. 6. *Pater noſter, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum*, &c. in quem locum ita ſcribit ſanctus Auguſtinus epiſt. 157. aliàs 99. ut novos Myſticos refellendos ſuſcepiſſe videatur. *Omnibus*, inquit, *neceſſaria eſt Oratio Dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, id eſt, Apoſtolis ſuis Dominus dedit .... Si aliquos futuros Dominus prævideret meliores utique, quàm extiterunt ejus Apoſtoli, aliam rationem illos doceret.* Addit S. Cyprianus ſerm. de Oratione Dominicâ, eam ita neceſſariam, *ut aliter orare quàm docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa.*

Reſpondent novi Myſtici, ſe iſta quidem deſiderare & petere; ſed prout Deus vult, cùm deſiderandi & petendi immiſerit affectum; quia voluntas humana divinæ præire non debet: *Non eſt volentis*, inquit Apoſtolus Rom. *9. neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et iterum Philip. 2. *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.*

Contra. Quæ jubet Deus, illa ſanè vult fieri: impoſſibilia autem non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. Verba ſunt Concilii Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. excerpta ex lib. ſancti Auguſtini de naturâ & gratiâ cap. 43. Ergo eo ipſo quo Chriſtus præcepit ut omnes petant vitam æternam, intelligitur voluiſſe ut petant, præſumiturque non denegaturus gratiam, ſine quâ petere non poſſunt.

Dices 1°. fides tria docet. Primum, neminem ſalvandum niſi ſit prædeſtinatus. Secundum, non omnes eſſe prædeſtinatos. Tertium, neminem poſſe eſſe certum de ſuâ prædeſtinatione abſque ſpeciali revelatione: Ergo ut in hoc dubio voluntas humana conformis ſit divinæ; non debet abſolutè petere ſuam ſalutem, ſed conditionatè duntaxat, parata eâ privari, ſi ita Deus decreverit.

Confirmatur; ſicut aurum in fornace, ſic Deus electos ſuos aliquando probat, an diligant illum abſque privati amoris nævo, quaſi iratum eis ſe præbens, & ita averſum, ut nulla ſpes ſalutis affulgere videatur. Quid autem conſilii anima in his anguſtiis capiat, niſi ut æternam ſalutem in ſacrificium offerat?

Nego conſeq. namque Deus quantùm eſt ex ſe vult omnium ſalutem, & ſi quæras, cur ergo non omnes illam conſequuntur? Reſpondet

ſanctus Auguſtinus, quia ipſi nolunt, nec pro viribus, & eo fervore quo decet, ad eam contendunt; *regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Math. 11. Nedum ergo incertus numerus prædeſtinatorum deſiderium ſalutis noſtræ refringere aut ſuſpendere debet; imò verò illud excitare & acuere, juxta illud 2. Petri 1. *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*, Et Hebr. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.*

Ad confirmationem, Nego hominem in has deſperationes & tentationes aliquando incidere, quas ſuperare non poſſit nec debeat. *Fidelis Deus*, inquit Apoſtolus 1. Cor 10. *non patietur vos tentari ſuprà id quod poteſtis.* Qui ergo in deſperationem violenter pulſatur, ſi filius ſit Abrahæ, in ſpem contra ſpem credat, hoc eſt, ſpe deſperationem depellat, ſicut virtutibus oppoſitis alia vitia vincere neceſſe eſt, v. g. fide infidelitatem, charitate cupiditatem. Alioquin deſperans non à ſpe ſolùm, ſed à charitate caderet; quia charitas ſicut ſine fide & ſpe præviis non gignitur, ſic nec ſine iis comitibus conſervatur. Namque anima, ex ſancto Auguſtino, quandiù hoc corruptibili corpore aggravatur, ſpe & timore indiget veluti ventis qui illam ad ſalutis portum propellant. Nunc manent fides, ſpes, & charitas; (1. Cor. 13.) tria hæc ſic connexa, ut ſine animæ interitu ſeparari nequeant, hæc eſt unica ſalutis via, quam Chriſtus nobis apperuit. *Nemo ſit ſuperbus extra viam*, (aliam ſibi breviorem & perfectiorem fingens) *nemo piger in viâ. Si quis ſe deviaſſe invenerit, redeat, ut in viâ ambulet: ſi ſe in viâ invenerit, in eâ ambulet, ut perveniat*, inquit ſanctus Auguſtinus præf. in Pſal. 31.

Inſtabis: Sanctus Bernardus ſerm. 83. in Cant. de filiis, qui quidem amant, ſed de hereditate cogitant, ſic habet, *ſuſpectus eſt mihi amor, cui aliud adipiſci ſpes ſuffragari videtur. Purus amor mercenarius non eſt.* Similiter ſanctus Chryſoſtomus hom. 5. in epiſt. ad Rom. aſſerit debere nos non æterni ſupplicii metu, aut deſiderio ſummæ felicitatis, ſed uno amore Chriſti deterreri à peccato, & ad virtutem excitari. Id ipſum docuerunt ſuo exemplo Moyſes in veteri teſtamento, Exodi 32. *Dele me*, inquit, *de libro tuo.* Apoſtolus in novo Rom. 9. *Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Quæ exempla ſecutus eſt cum multâ omnium laude ſanctus Martinus. Ergo.

Nego conſequentiam, & explico ſingula antecedentis momenta.

Sanctus Bernardus loquitur de hereditate diſtinctâ ab ipsâ patris perſonâ. Verè autem ſuſpectus eſſe debet ille amor, quo pater amatur propter aliud, & non propter ſe. Nam ex ſancto Auguſtino lib. Soliloq. *quod non propter ſe amatur, non amatur. Ego autem ſolam propter ſe amo ſapientiam; cætera verò vel adeſſe mihi volo: vel deeſſe timeo propter ipſam.* Jam verò ſi quæratur à ſancto Doctore, an quia ſic amat, vellet à ſapientiâ ſeparari; exhorreſcet, cùm hæc affectio excludat amorem, qui eſſentialiter eſt unitivus. Talis eſt ſponſæ amor ſponſo ſic addictæ, ut in perpetuum ab illo avelli non acquieſcat; mercenarius tamen non eſt, ſed caſtus, quia in ſponſum fertur: non in dona ipſius, niſi propter ipſum.

Sanctus Chryſoſtomus ſe ipſum explicat citatâ homiliâ, ubi poſtquam dixiſſet, *Amore Chriſti omnia facite, & non ſpe mercedis*; ſubdit: *hæc eſt vera merces, hæc vera gloria, ut Chriſtum poſſi-*

deamus. Hoc noſtrum regnum eſt, noſtræ deliciæ.

Ergo inquies, ſpes Theologica non diſtinguitur à charitate, cùm unum ſit utriuſque objectum, nempe poſſeſſio Dei, & unus actus, ſcilicet deſiderium fruendi Deo: atqui fides docet ſpem eſſe virtutem diſtinctam à charitate, & in peccatoribus permanere poſſe. Ergo.

Nego ſequelam majoris, & ejus confirmationem diſtinguo: cùm poſſeſſio Dei ſit utriuſque objectum ſub diverſo reſpectu & motivo, Concedo: ſub eodem reſpectu & motivo, Nego; namque ſpes poſſeſſionem Dei reſpicit ut beatitudinem noſtram obtentu quidem difficilem, ſed poſſibilem per omnipotentem Dei miſericordiam: charitas verò, ut perfectam unionem cum amico ſummè dilecto, *ipſe eſt amicus meus*, inquit Sponſa Cant. 5. *totus deſiderabilis.* Hinc ſpei deſiderium differt à charitatis deſiderio; ſicut amor concupiſcentiæ ab amore benevolentiæ, quod illuſtratur ſubjecto exemplo. Pater iratus filio ſpoliat illum quibuſdam commodis; tum urgentibus negotiis diſcedere compellitur, non ſine ingenti triſtitiâ caſtiſſimæ ſponſæ, quæ cùm ſit etiam mater tenerrima, filium interim conſolatur hâc ſpe, quòd eum reduci patri reconciliatura ſit. Jam ut citò redeat, ambo deſiderant: ſed ratione longè diſpari; filius, ut interventu matris redeat in gratiam patris, & priſtinæ dignitati reſtituatur, & ita privatum commodum attendit, mater verò ut dilectiſſimi conjugis præſentiâ fruatur, nec aliud bonum ſibi proponit. In filio cernitur peccatoris ſpes, & in matre perfectorum charitas. Omnes beatitudinem appetunt, infideles in creaturis eam quærunt: ſed fides chriſtiana dicit, non eſt hîc, quærenda eſt in cœlo. Caveant autem fideles, ne bona cœleſtia carnaliter

cogitent ſicut Judæi : *Noli talia ſperare tibi danda à Deo, qualia hîc te jubet contemnere*, inquit ſanctus Auguſtinus in Pſal. 43. *mutare vis voluptatem carnalem, non amputare.* Hoc fides chriſtiana non docet, non ſpes ſibi proponit; adhærere Deo, hoc eſt totum bonum noſtrum; ſed peccatoribus diſplicet Deus; & ideo illum non diligunt; nec præſentiâ ejus delectari poſſunt. Quis ergo in eis ſpei actus? Si quæ ſit in eis ſalutis ac beatitudinis ſollicitudo, Deum miſericordem & omnipotentem invocabunt, charitatem mediatricem efficaciſſimam poſtulabunt, quæ illos cum ſuo Creatore reconciliet; mentis oculos, quibus cernitur veritas, expurget; cordis palatum ſanet, ut Deus ſapiat, totuſque appareat deſiderabilis. In viatoribus ergo etiam perfectis ſponſæ typo deſignatis, proprius & inſeparabilis charitatis actus eſt, & deſiderium plenè fruendi Deo, & gaudium, cùm præſentiam ejus utcunque & veluti raptim ſentiunt. Amor quippe nihil aliud eſt quàm vel deſiderium, ſi bonum amatum ſit abſens; vel gaudium, ſi ſiſtatur præſens; adeo ut ſponſa convincatur non amare, ſic nec ſponſum abſentem deſiderat, nec de eo præſente gaudet. Neque verò in his affectibus proprietas, ut loquuntur novi Myſtici, hoc eſt nævus privati amoris præſumi debet, cùm dilectum ad amantem nullum referant, quin potiùs amantem à ſe ipſo rapiant, totumque in dilectum transferant, juxta commune effatum: *anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Sponſa v. g. caſto amore flagrans, ſic attendit ad ſponſi commoda & gloriam, ut ſui ipſius oblivíſcatur: ſi ille augeatur honoribus, ſi creſcit ejus nominis fama, in his & ſimilibus ſponſi bonis tanquam in propriis exultat, & ex eis felicem ſe putat; quia per

amorem, utriuſque eſt cor unum & anima una. Liceat hâc umbratili picturâ repræſentare ſortem diligentium Deum in cœlo. Beati ſunt reverâ, quia poſſident Deum, & eatenùs poſſident, quatenùs illum præſentiſſimum vident & amant. Nam ex S. Aug. quid eſt poſſidere ſapientiam, veritatem, & juſtitiam, niſi perfectè eas cognoſcere, & de iis delectari? Quomodò verò cœleſtes ſpiritus tali cognitione & amore non eſſent beati, cùm inde evadant optimi, & ultimatè perfecti?

Porrò beati Deum poſſident, non amore concupiſcentiæ, quomodo dives poſſidet aurum in proprias delicias convertendum, aut Philoſophus ſcientiam, ex quâ in ſeipſo gloriatur. Abſit à nobis terrena hæc cogitatio. Sed poſſident amore benevolentiæ, quo ſe totos & cætera referunt in Deum ſummè dilectum, propter cujus immenſam gloriam, incomprehenſibilem beatitudinem, & infinitas perfectiones, ineffabiliter delectantur, non in ſe, ſed in illo, ut ſit omnia in omnibus. *Da amantem*, inquit S. Auguſtinus, *& intelliget quæ dicuntur.*

Moyſes per hyperbolem locutus eſt, quemadmodum ſi mater ad placandum maritum filio iratum diceret: *aut occide me, aut remitte illi hanc offenſam.*

Sanctus Paulus pro fratribus optavit à Chriſto ſive propter Chriſtum fieri anathema, non quidem in æternum, ſed ſicut ipſemet Chriſtus factus eſt ad tempus pro nobis maledictum. Ita ſanctus Hieronymus epiſt. ad Adalgaſiam quæſt. 9. *Perire*, inquit, *non in perpetuum, ſed impræſentiarum .... perire in carne, ut alii ſalventur in ſpiritu.* Sic Achan, Joſ. 7. factus eſt anathema.

Sanctus Martinus, non extinxit deſiderium,

quo cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto: ſed paratus fuit duntaxat differri, ſi ita expediret pro ſalute proximi.

Dices 2°. habetur Rom. 8. *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Ergo nihil determinatè eſt petendum.

Diſtinguo antec. neſcimus aliquando Conc. ſemper, Nego anteced. Similiter diſtinguendum conſequens nihil determinatè petendum, quando neſcimus quid nobis expediat, Concedo: quando novimus, Nego conſequentiam: quædam itaque ſunt determinatè & abſolutè petenda, quædam verò indeterminatè.

Q. 2°. *Quænam determinatè & abſolutè peti debent?*

R. Vita æterna imprimis petenda eſt tanquam finis deſideriorum noſtrorum; deinde media ad illam promerendam neceſſaria, juxta illud Mathæi 6. *Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus.* Nec aliud præter illa duo ſpectant ſeptem petitiones Orationis Dominicæ, ut docet ſanctus Thomas hîc articulo 9. *In Oratione Dominica*, inquit, *non ſolùm petuntur omnia quæ rectè deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine, quo deſideranda ſunt, ut ſic hæc oratio non ſolùm inſtruat poſtulare, ſed etiam ſit informativa totius noſtri affectûs. Manifeſtum eſt autem quod primo cadit in deſiderio noſtro finis: deinde quæ ſunt ad finem.* Finis autem noſter Deus eſt, in quem tendit noſter affectus dupliciter, uno quidem modo prout volumus gloriam Dei, alio modo prout volumus frui gloriâ ejus: quorum primum pertinet ad dilectionem, quâ Deum in ſeipſo diligimus; ſecundum verò pertinet ad dilectionem, quâ diligimus nos in Deo. Et idcircò primo loco petimus, ut ſanctificetur nomen Dei, id eſt ſanctum ab omnibus habeatur, quod pertinet

ad ejus gloriam propagandam. 2°. ut adveniat nobis regnum ejus, & in illo regnemus. Ad finem autem aſſequendum duplicis generis eſt medium: aliud per ſe, aliud per accidens: quatenùs removet prohibens. Per ſe quidem & principaliter nos ad Deum promovet mandatorum ejus obſervatio; undè tertio loco dicimus: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*, id eſt, ſicut ab Angelis, ita ab hominibus, nempe modo perfectiſſimo. Inſtrumentaliter verò juvant ad Deum promerendum præſentis vitæ ſubſidia, propter quæ dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ſive intelligatur de pane ſacramentali, cujus quotidianus uſus proficit ad ſalutem, ſenſuſque hujus orationis ſit juxta ſanctum Cyprianum, ut in nullum labamur peccatum, quod nos aliquo die ſeparet à Corpore Chriſti; ſive per panem intelligatur omnis ſufficientia victûs. Tria autem à beatitudine nos prohibent, quæ tribus ſequentibus petitionibus removeri poſtulamus. 1°. quidem peccatum quod directè excludit à regno Dei. 2°. tentatio, quæ à voluntate Dei nos retrahit. 3°. pœnalitates præſentis vitæ, quæ ſufficientiam tollunt. Sanctus autem Lucas hanc poſtremam petitionem prætermiſit ſicut & tertiam, ut ſciat unuſquiſque, 1°. in eo ſe liberari à malo, quo à tentatione non vincitur: 2°. voluntatem Dei ad hoc præſertim tendere, ut ſanctitatem ejus cognoſcamus, & cum ipſo regnemus; ac proinde tertiam petitionem in duabus prioribus contineri.

Ex his liquet,

1°. Tres primas petitiones perfectè non complendas, niſi in futura vita: quatuor verò poſteriores ad neceſſitatem vitæ præſentis pertinere, ut notat S. Aug. Enchir. 115.

2°. Orationem Dominicam verè dictam à Tertul. lib. de Oratione cap. 1. *Breviarium totius Evangelii*, utpote quæ omnem Chriſtianæ vitæ diſciplinam comprehendat.

3°. Eandem rationem efficacem eſſe ad remittenda peccata venialia, ut S. Auguſtinus docet paſſim, ſi eo, quo par eſt, affectu recitetur; eſt enim ſignum & affectus charitatis, tùm in Deum, tùm in proximum: *Charitas autem operit multitudinem peccatorum.* Proverb. 10.

4°. Omnem fidelium orationem ad Dominicam tanquam ad certam regulam & lapidem lydium probandam; nam ex ſancto Auguſtino ep. 130. aliàs 121. cap. 12. *Quælibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm quod in iſta Dominica Oratione, poſitum eſt, ſi rectè & congruenter oramus. Quiſquis autem id dicit, quod ad iſtam Evangelicam precem pertinere non poſſit, etiamſi non illicitè orat, carnaliter orat: quod neſcio quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem ſpiritu renatos nonniſi ſpiritaliter decet orare.* Tùm exponit ſanctus Doctor quæ indecenter petantur; *qui dicit in Oratione, Domine, multiplica divitias meas, aut fac me in hoc ſæculo præpotentem, vel ſi quid hujuſmodi eſt, & hæc dicit eorum habens concupiſcentiam, non id attendens ut ex his ſecundùm Deum proſit hominibus; puto eum non invenire in Oratione Dominica, quo poſſit hæc vota coaptare. Quamobrem pudeat ſaltem petere, quæ non pudeat cupere; aut ſi & hoc pudet, ſed cupiditate vincitur, quantò meliùs hoc petitur, ut etiam ab iſto cupiditatis malo liberet, cui dicimus, Libera nos à malo.*

5°. Eos duntaxat idoneos eſſe ad orationem Dominicam fundendam, qui mores vitæque rationem ad Evangelii normam dirigere exoptant. Qui enim peccata levia ſpernit, cupiditates refrænare negligit, nec ad eum pertinet.

ſi alii Deum ſive timeant, ſive contemnant, ſincerè & ex animo dicere non poteſt: *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua ſicut in cœlo: ne nos inducas in tentationem.* Similiter injuriarum memor, & defectus proximi impatienter ferens mala ſibi imprecari videtur dum ait: *Dimitte nobis, ſicut dimittimus.*

6°. Orandum pro omnibus, nequidem inimicis exceptis: *Ante omnia*, inquit S. Cypr. ſerm. de Oratione Dominicâ, *pacis doctor, atque unitatis magiſter ſingulatim noluit, & privatim precem fieri, ut quis cùm precatur, pro ſe tantùm precetur. Non dicimus*, Pater meus, *nec*, panem meum da mihi hodie. *Publica eſt nobis & communis oratio . . . Sic orare unam pro omnibus voluit* (Chriſtus) *quomodo in uno omnes ipſe portavit.* Hoc Domini præceptum commendans ejus Apoſtolus ſcribit 1. ad Tim. 2. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes . . . . gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Unde S. Thomas. art. 8. ſic concludit: *Neceſſitas eſt, ut in omnibus noſtris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis ſpecialiter oremus, perfectionis eſt, non neceſſitatis, niſi in aliquo caſu ſpeciali.* Putà ſi vel ipſi ope noſtrâ indigerent, nec aliter opitulari poſſemus, quàm noſtris orationibus, vel ſpecialis oratio nobis eſſet neceſſaria ad vincendum vindictæ appetitum, & conſervandam in nobis charitatem, quâ inimicos diligere tenemur; in hujuſmodi enim circunſtantiis obligat illud Domini præceptum: *Orate pro perſequentibus vos*, Math. 5. Neque verò timendum eſt ne aliquis orationis noſtræ fructus nobis excidat, dùm illam ad alios extendimus; quia orationis noſtræ efficacia ex charitate repetitur, quæ ſanè excellit, ubi ad alios etiam inimicos extenditur: *pro ſe orare neceſſitas*

cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur; ait Auctor operis imperfecti hom. 14. apud S. Chryſoſtomum. *Dulcior autem ante Deum eſt oratio non quam neceſſitas tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.*

Nec dicas S. Joannem epiſtolâ 1. cap. 5. inimicos, ſi ſint peſſimi, ab oratione noſtrâ excludere; non enim eos excludit, ſed eam profuturam ipſis ſicut aliis peccatoribus non promittit: *qui ſcit fratrem ſuum peccare peccato non ad mortem,* inquit, *petat & dabitur ei vita peccantis peccatum non ad mortem.* Quamvis autem incerti ſimus, num oratio noſtra peccantibus ad mortem proſit, nihilominus ipſis deneganda non eſt, ſicut nec alia charitatis officia, v. g. correctionis. Si enim ſalutem illorum optare debemus, procul dubio & petere maximè cùm neſciamus, num ad prædeſtinatorum numerum pertineant. Denique etiamſi oratio noſtra illa futura ſit inutilis: nobis erit meritoria, juxta illud Pſal. 34. *Oratio mea in ſinu meo convertetur.*

7°. Ex 4â. & 7â. petitione Orationis Dominicæ colligitur decenter à Deo peti, ut bona temporalia concedat quantum ad ſufficientiam, & mala avertat. Enimverò, ſi pro illis conſequendis, & pro illis declinandis laborare liceat, à fortiori & Deum rogare. Scriptum eſt enim: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor 3. Et rurſus: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*, Pſ. 126.

Dices 1°. Tertullianus lib. de Oratione cap. 6. & ſanctus Cyprianus de Oratione Dominicâ, intelligunt hæc verba, *Panem noſtrum quotidianum*, &c. de Sacramento Corporis Chriſti, & ſanctus Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte, expreſsè negat accipienda de pane ma-

teriali, ſed ſpirituali, nempe vel de Sacramento altaris, vel de verbo Dei & bonis operibus; ſic enim ſcribit: *Fortè quiſpiam moveatur, cur oremus pro his adipiſcendis, quæ huic vitæ ſunt neceſſaria, veluti eſt victus & tegumentum, cùm ipſe Dominus dicat: Nolite ſolliciti eſſe quid edatis, vel quid induamini. An poteſt quiſque de eâ re, pro quâ adipiſcendâ orat, non eſſe ſollicitus?... Et illud .... Quærite primùm regnum Dei... Non ait utique: Quærite primùm regnum Dei, & deinde iſta quærite: ſed hæc omnia, inquit, apponentur vobis, ſcilicet etiam non quærentibus. Quomodo autem rectè dicatur non quærere aliquis, quod ut accipiat, intentiſſimè Deum precatur, neſcio utrùm inveniri queat.* Septimam quoque petitionem; *Libera nos à malo*, iidem Patres interpretantur de malo culpæ: *eò reſpondet clauſula*, (inquit Tertullianus citato lib. cap. 8.) *interpretans quid ſit:* Ne nos inducat in tentationem, *hoc eſt enim, ſed evehe nos à malo.* Et ſanctus Auguſtinus, epiſt. 130. aliàs 121. *Quantò meliùs hoc petitur, ut etiam ab illo cupiditatis malo liberet, cui dicimus, Libera nos à malo?* Ergo ex Oratione Dominicâ concludi non poteſt temporalia à Deo petenda.

Reſpondeo, laudatos Patres noſtram quoque interpretationem admittere: *Sed & quia carnaliter admittitur iſta vox*, inquit Tertullianus, *non ſine religione poteſt fieri & ſpiritalis diſciplinæ: panem enim peti mandat, quod ſolùm fidelibus neceſſarium eſt.* Similiter Sanctus Cyprianus: *Meritò*, inquit, *Chriſti diſcipulus victum ſibi in diem poſtulat, qui de craſtino cogitare prohibetur; quia & contrarium ſibi ſit & repugnans, ut quæramus in ſæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire.* Tum ſubjungit de malo, à quo liberari cupimus: *Oramus & contra malum mul-*

ctæ ut ſunt omnes pœnalitates, horrenda mors, & contra quæ oramus, non ut nullo modo eveniant, ſed ut tam crudeliter non ſæviant, & ne animus inde frangatur. Sanctus verò Auguſtinus citato Sermone, difficultatem movet, & inſolutam relinquit, atque in hæc verba concludit: *Si quis autem de victu corporis neceſſario.... iſtam ſententiam vult accipere, oportet ut conjunctè accipiantur omnia tria, ut ſcilicet quotidianum panem ſimul petamus, & neceſſarium corpori, & Sacramentum viſibile & inviſibile verbi Dei.* Sed diſertè in epiſtolâ 130. per *panem quotidianum* intelligit ſufficientiam vitæ præſentis, & c. 17. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte ſub finem, malum à quo liberari optamus, refert ad præſentem mortalitatem, in quâ includuntur omnes pœnalitates hujus vitæ.

Dices 2°. Oratio ex dictis eſt mentis aſcenſus in Deum, appetitus verò temporalium eſt deſcenſus ad inferiora. Ergo temporalia non poſſunt eſſe orationis materia, *non contemplantibus nobis quæ videntur*, ait Apoſtolus 2. Corinth. 4.

Diſtinguo anteced. appetitus temporalium eſt mentis deſcenſus, ſi temporalia propter ſe appetantur, Concedo; ſi propter vitam æternam, Nego anteced. Temporalia itaque duobus modis ſpectari poſſunt, 1°. ut finis & bonum delectabile, ac per ſe appetibile. 2°. ut medium ad vitam æternam promerendam utcunque neceſſarium. Priori modo mentem quidem deprimunt; verùm ut ſic non ſunt orationis materia, ſed cupiditatis, à quâ liberari petimus, juxta ſancti Auguſtini explicationem, cùm dicimus: *Libera nos à malo.* Poſteriori autem modo cadunt ſub orationem, ſed mentem ſub illâ conſideratione deorſum non trahunt;

quia qui media quærit ad vitam æternam conſequendam, aliud non intendit quàm vitam æternam, verèque cum Prophetâ canit: *Unam petii à Domino, hanc requiram*, Pſ. 26. ubi enim multa ordinantur ad unum, non cenſentur multa, ſed unum; & ut ſupra dicebat ſanctus Auguſtinus, quod propter aliud amatur, non ipſum amatur, ſed illud propter quod amatur. Æger v. g. non amat remedia, quæ à Medico quærit, quia illa non quærit niſi propter ſanitatem, de quâ ſolâ intelligitur ſollicitus; ſecùs ſi apud Medicum, qui à vino prorſus abſtinendum præſcripſerat, inſtet ut modico uti liceat; quia convincitur duo concupiſcere, ſcilicet ſanitatem & vinum; quamvis inæqualiter, ſatiſque ſibi eſſe, ſi vini modicus uſus parùm obſit ſanitati.

Atque ex hâc noſtrâ concluſione & explicatione facilè ſolvitur difficultas à S. Auguſt. in objectione præcedenti his verbis propoſita: *Non ait utique* (Chriſtus) *quærite primùm regnum Dei, & deinde iſta quærite; ſed hæc omnia, inquit, apponentur vobis, ſcilicet etiam non quærentibus.* Nimirùm temporalia quærenda non ſunt propter ſe, & ut bona per ſe delectabilia, quemadmodum æger in exemplum adductus petit uſum vini, ſed duntaxat ut media utcunque neceſſaria, & propter vitam æternam appetibilia. *Quid enim interſit*, inquit ſanctus Doctor lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 16. *inter bonum, quod appetendum eſt, & neceſſarium quod ſumendum eſt, hâc ſententiâ declaravit, cùm ait*, Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis. *Regnum ergo & juſtitia Dei bonum noſtrum eſt, & hoc appetendum, & ibi finis conſtituendus.* Et cap. 17. *Non dixit, Deinde iſta quærite, quamvis ſint neceſſaria . . . ne, cùm iſta*

quæratis, illinc avertamini, aut ne duos fines conſtituatis, ut & regnum Dei propter ſe appetatis, & iſta neceſſaria, ſed hæc potiùs propter illud ... Ergo ſimplici corde tantummodò propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes: non autem in hâc operatione, vel ſolam, vel cum regno Dei mercedem temporalium cogitare.

Dixi temporalia eſſe utcunque neceſſaria; nam abſolutè neceſſaria non ſunt: imò Deus ea nonnunquam quibuſdam denegat propitius, & aliis concedit iratus. Nonne enim Machabæi & alii martyres igne conſumpti feliciùs exauditi ſunt, quàm tres juvenes in fornace Babylonicâ illæſi? *Ipſe Salvator eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus tract. 73. in Joan. *non ſolùm quando facit quod petimus, verùm etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra ſalutem, non faciendo potiùs ſe exhibet Salvatorem. Novit enim Medicus quid pro ſuâ, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus; & ideo contraria poſcentis non facit voluntatem; ut faciat ſanitatem ... quod ſi fecerit, non ut Salvator facit, quod eſt nomen ejus fidelibus ejus. Eſt quippe impiis & damnator.*

Aliter ergo dicimus in Oratione Dominicâ, *Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua*; aliter, *panem noſtrum quotidianum da nobis: libera nos à malo.* Priora quippe abſolutè petimus, ſecuri, quòd non obſint accepta; & certi quòd Deus paratus ſit ea dare, cùm toto corde quæſierimus.

Poſteriora verò conditionatè tantùm poſtulamus; quia in his, quæ poſſunt & prodeſſe & nocere, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Quamvis enim ſuperflua non appetantur, timendum tamen eſt, ne ipſa neceſſaria ardentiùs deſiderentur, & propter ea cor duplicetur. In hujuſmodi autem dubiis ſpiritus, qui ſecun-

dùm Deum poſtulat pro ſanctis, adjuvat infirmitatem noſtram, ut licèt moleſta ſit ægritudo, dura pauperies & calumnia, omnes dicant perfecti quidem lætanter, imperfecti verò patienter, *non mea, ſed tua voluntas fiat.*

Paragraphus V.

Utrùm Oratio ſit actus Religionis?

Certum eſt 1°. fidem & ſpem eſſe fundamentum & veluti radicem orationis. De fide enim habetur Roman. 10. *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt?* De ſpe ſimul ac fide, Jacobi 1. *poſtulet autem in fide; nihil hæſitans.*

Certum eſt 2°. in oratione exerceri omnium virtutum actus, præſertimque charitatis, ſine quâ oratio eſt tepida; aut etiam frigida. Quemadmodum enim jejunium nonnunquam obſervatur ex motivo vel Religionis, vel pœnitentiæ, cùm ramen ſit actus temperantiæ proprius, ſic & oratio eligi poteſt à quâlibet virtute ut medium idoneum ad aſſequendum ejus finem; unde inter opera pœnitentiæ recenſeri ſolet. Sed quæritur hîc à quânam virtute immediatè procedat tanquam actus ejus proprius & elicitus. Hæc quæſtio primâ fronte videtur extra ſcholam planè inutilis; ejus tamen reſolutio plurimùm confert ad mores inſtituendos, ut conſtabit ex dicendis. Quare ſit noſtra reſponſio, quæ eſt etiam S. Thomæ. art. 2.

R. Oratio eſt actus religionis proprius, iſque poſt devotionem præcipuus & præſtantiſſimus. Duæ ſunt reſponſionis partes.

Prima pars probatur. Proprium religionis munus ex dictis eſt cultum Deo reddere: Atqui oratio eſt verus Dei cultus; per illam enim

profitemur ſummam Dei bonitatem, potentiam & noſtram indigentiam, dependentiam, & ſubjectionem. Ergo oratio eſt proprius religionis actus, licèt plerumque ab aliis virtutibus imperetur.

Secunda pars, nempè quòd oratio ſit præcipuus & præſtantiſſimus religionis actus, probatur auctoritate & ratione S. Thomæ art. 3. ad 3. his verbis: *Orando tradit homo mentem ſuam Deo, quam ei per reverentiam ſubjicit, & quodammodo præſentat. Et ideo ſicut mens humana præeminet corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quæ ad Dei ſervitium applicantur; ita etiam oratio præeminet aliis actibus religionis.* Ex quibus verbis ſic conficitur argumentum. Is religionis actus cæteris eſt præſtantior, quo creatura rationalis magis ſe dejicit & ſubjicit in teſtimonium infinitæ Dei excellentiæ: atqui per orationem creatura rationalis magis ſe dejicit & ſubjicit in teſtimonium infinitæ excellentiæ. Ergo.

Major conſtat; namque ex dictis Dei honos & cultus, qui eſt religionis objectum definitur, *teſtificatio divinæ excellentiæ:* hæc autem teſtificatio conſiſtit in dejectione & ſubjectione honorantis, qui eo ipſo, quo alteri ſe ſubjicit, ejus excellentiam agnoſcit, & illum exaltare cenſetur, adeo ut pro majore ſui dejectione & ſubjectione creſcat honos & cultus.

Minor explicatur ſimul & probatur. Ideo in omnibus, ſive proſperis, ſive adverſis, ad Deum recurrimus, orantes; quia certâ fide credimus illum eſſe fontem omnium bonorum, tùm naturalium, tùm ſupernaturalium, quæ per immenſam ſuam bonitatem, & ſapientiſſimam providentiam diffundit in omnes creaturas, dans ſingulis eſſe & operari, in aliquibus creans bonam voluntatem, in aliis malam vo-

luntatem ordinans, ut nocere non poſſit, niſi illo operante, & ita nihil à creaturis timendum, vel ſperandum, niſi quatenus Deus illas aut movet, aut dirigit ſolus ipſe timor noſter, ſpes & fiducia. Ergo per orationem teſtamur omnimodam noſtram indigentiam, & à Deo dependentiam. *Quis enim veraciter gemat, deſiderans accipere quod orat à Domino, ſi hoc à ſe ipſo* (vel ab alio) *ſe ſumere exiſtimet, non ab illo? Nam ſi hæc ab ipſo quidem poſcit Eccleſia, ſed à ſe ipſa ſibi dari putat, non veras ſed perfunctorias orationes habet, quod abſit à nobis.* Ita ſanctus Auguſtinus lib. de dono Perſeverantiæ cap. 23 & alibi paſſim, probans ex orationibus Eccleſiæ abſolutam divini auxilii neceſſitatem. Ergo nuſquam homo tam plenè & perfectè ſe & cætera (quantùm ipſum ſpectant) Deo ſubjicit, nec proinde ſic illum honorat & exaltat, ſicut in oratione.

Enimverò qui, intermiſſis exterioribus pietatis operibus, quantùm neceſſitas charitatis permittit, cum Eccleſiâ petit à Deo intellectum bonum, cor mundum & novum, ſpiritum cogitandi & agendi quæ recta ſunt, inferiores potentias, ſenſus, & appetitum colligit, & quodammodo mortificat omnem actum, quantùm fieri poteſt, illis interdicens, ne attentionem ſuam perturbent, unde laborioſa exiſtit oratio, alioquin per ſe delectabilis: nonne totum ſe coram Deo dejicit, teſtificans ſe ſufficientem non eſſe aliquid utiliter cogitare, ne dum facere, niſi acceperit? Similiter cùm dives ſimul & pauper, peritus & imperitus, fortis & infirmus, potentum patrocinio ſuffultus, ſicut & deſtitutus, poſtulant à Deo panem quotidianum, & contra omnia adverſa auxilium, numquid non confitentur ſuam omnimodam

à Deo dependentiam, divitias verò, omnem peritiam, virtutem militarem, amicorum turbam, & omnes creaturas, niſi Deus bonitate ſuâ impleat, & operatione fœcundet, eſſe velut vinacea uvarum, ut loquitur Propheta Oſée cap. 3. hoc eſt, aridas & excuſſas uvarum pelliculas, quæ in torculari, expreſſis uvis, vinoque exhauſto, ſuperſunt? Hinc Eccleſia, ut benè conſcia beatos invocationibus noſtris non tangi, niſi Deus eos moveat ad intercedendum pro nobis, in quibuſdam collectis de Sanctis Deum orat, ut ipſi intercedant pro nobis. Ergo oratio non orantem ſolùm, ſed & omnes creaturas, quantùm ipſum ſpectant, plenè Deo ſubjicit, illum in adverſantibus iratum attendit, in ſævientibus propitium, benevolum, & omnia in omnibus operantem colit.

Nec dicas inde ſequi per orationem omnem grati animi ſenſum erga beneficos noſtros extingui; ſicut enim juſtorum merita non explodit fides, quâ credimus Deum in illis operari & velle & perficere; quia utrumque illis præſtat illæſa illorum libertate: ſimiliter amici noſtri bene de nobis merentur; quia quæ à Deo acceperunt, liberè in nos transfundunt.

Hæc accuratiùs explicanda duximus, ut appareât graviter hallucinari eos, qui ſolâ præcepti neceſſitate ducti, perfunctoriè orant, & totâ cordis intentione, lectione & operibus externis incumbunt exiſtimantes ſe in hujuſmodi magis obſequium Deo præſtare; cùm conſtet ex ſæpiùs dictis Deum eò perfectiùs coli, quo creatura minùs de ſe præſumit: multùm autem de ſuis viribus præſumunt, qui libentiùs lectioni, & aliis operibus externis vacant, quàm orationi.

Parag,

Paragraphus VI.

Utrùm Oratio ſit donum Dei ſupernaturale?

Negarunt Pelagiani; quia, inquiebant illi Hæretici, nihil connaturalius eſt ægro aut inopi, quàm opem vel Medici, vel divitis implorare. Nihilominùs,

R. De fide eſt, orationem eſſe donum Dei ſupernaturale.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Zach. 12. v. 10. *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ & precum.* 1. Cor. 12. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto* 2. Cor. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis.* Rom. 8. v. 15. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Et v.* 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, poſtulare facit.

Probatur 2°. ex Patribus. Sanctus Chryſoſtomus hom. 38. in Gen. ait: *Gratia preces noſtras ſemper prævenit.* Et lib. 2. de orando Deo, *ſuprà vires hominis eſt miſcere cum Deo colloquium; niſi adſit vis & actus ſancti Spiritûs.* Sanctus Auguſtinus paſſim, ſed fuſiùs libro de dono perſeverantiæ c. 23. probat contrà Semipelagianos, tum ex Scripturis, tum ex antiquioribus Patribus, orationem eſſe Dei donum. *Attendant ergo* (nempe Semipelagiani ex citatis teſtibus c. 8. ad Rom.) *quomodo falluntur, qui putant eſſe à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus: & hoc eſſe dicunt, quòd gratia prædicetur merito noſtro, ut ſequatur illa, cùm accipimus pe-*

tentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus. Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus. Accipimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Quod vidit Beatus Ambroſius; ait enim: Et orare Deum gratiæ ſpiritualis eſt.

Probatur 3°. ratione Theologicâ. Nullus actus naturalis confert ad vitam æternam: Atqui oratio confert ad vitam æternam; per illam enim ſuppliciter emereri poſſumus, ſaltem de congruo veniam peccatorum, & quæcunque gratiæ dona, etiam perſeverantiæ, ad ſalutem neceſſaria. Ait enim Chriſtus, *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis.* Ergo oratio non eſt actus naturalis.

Dices 1°. Fides eſt prima omnium gratiarum: Atqui oratio aliquando præcedit fidem, ut patet in Cornelio, cujus orationes exauditæ ſunt antequam crederet, Act. 10. Ergo oratio non eſt gratia, nec proinde donum Dei ſupernaturale.

* Diſtinguo majorem: Fides imperfecta & implicita eſt prima omnium gratiarum, Concedo; fides perfecta & explicata, Nego majorem. Porrò Cornelius, antequam pleniùs edoceretur à ſancto Petro, jam credebat Deum eſſe, alioquin quomodo illum invocaſſet?

Dices 2°. Hæc doctrina homines ab oratione retrahit, cùm multis videri poſſit ſe non accepiſſe orandi donum. Ergo.

Nego antecedens, & argumentum ſimile repono. Retrahit ab obſervatione mandatorum, qui cum Catholicis docet illam eſſe donum Dei ſupernaturale; quia peccatores præſertim obdurati prætexunt ſibi deeſſe agendi gratiam, & ita ſubditi eo prætextu præpoſitis ſuis non obtemperabunt, donec certiores fiant ſe acce-

piſſe obediendi donum. Reſponſio autem, quæ in promptu eſt ad exſufflandum abſurdum illud ratiocinium, noſtra erit ad refellendum quod contra donum orationis nobis objicitur: ſcilicet, cùm Deus juſtus & ſapiens impoſſibilia non jubeat; homo ſpe non defuturi ejus auxilii, manum abſque cunctatione admoveat ad injunctum opus, faciat quod poſſit, petat quod non poſſit; plantet & riget agricola, quamvis Dei ſit dare incrementum; ad piſtrinum pergat ancilla juxta dominæ ſuæ præceptum, non de ſe, ſed de divino adjutorio præſumens; & ſic de cæteris. Similiter fidelis ad hanc Domini vocem, *petite & accipietis*, flectat genua, & tanquam mendicus à janua divitis non recedat, ſed perſeveret pulſans, & propter improbitatem ejus, id eſt, importunitatem, quæ Deo grata eſt, aperietur ei. Luc. cap. 11. v. 8. & cap. 18. v. 1.

Confirmatur reſponſio ex dictis in Tractatibus de Gratia & de attributis, ubi de Decretis divinis, nuſquam minus diffidere licet de Dei adjutorio, quàm ubi de oratione agitur, utpote quæ ſit medium à Deo ordinatum, juſtis & peccatoribus neceſſarium ad obtinendum quod illis deeſt ad ſalutem conſequendam; adeo ut multi interdum careant gratiâ proximâ ad operandum, cùm illis præſto ſit gratia ad orandum. *Deus*, inquit ſanctus Auguſtinus, *jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Hæc eſt illa gratia remota, quam Theologi communiter docent omnibus offerri. Unde ſanctus Doctor paſſim concludit ideo homines tentationibus vinci, quia orandi ſtudium deſerunt.

Confirmatur ſpeciatim de juſtis; in cordibus quippe eorum charitas diffuſa eſt per Spi-

ritum ſanctum, qui datus eſt eis, qui eos non deſerit, niſi priùs deſeratur ab ipſis, ex Concilio Tridentino & Innocentio decimo: ſed illos facit deſiderare, poſtulare & gemere, quia nondum poſſident quod amant: amor autem rei abſentis eſt deſiderium, quod non poteſt eſſe ſine aliquo dolore, ut advertit ſanctus Auguſtinus expoſitione in Pſalm. 37. *Quidquid enim amamus*, inquit, *& non habemus, neceſſe eſt ut doleamus .... In perſonâ Eccleſiæ Sponſa Chriſti ſe dicit vulneratam charitate; amabat enim quidem, & nondum tenebat; dolebat quia nondum habebat. Hoc vulnus ad veram ſanitatem capiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram ſanitatem non poteſt pervenire;* quia nimirum non amat, non deſiderat, non orat; namque ex eodem ſancto Doctore paſſim, ſi ſemper manet charitas, ſemper clamas. Continuum deſiderium tuum, continua vox tua eſt: tacebis ſi amare deſtiteris. Frigus charitatis ſilentium cordis eſt. Hinc apud Caſſianum collat. 6. dicitur ſpiritum ſeu donum orationis hoc eſſe in vitâ ſpiritali, quod ſpiritum vitalem in vitâ animali; quia ſicut corpus non vivit ſine aliquo ſpirituum motu, ſic nec anima ſine aliquantulo orationis dono. Et quemadmodum Medicus corporum ad infirmum accerſitus, primùm explorat arteriæ pulſum, & ex eo dijudicat, quæ ſit infirmi habitudo, an febre laboret, nec ne; an vires ſuppetant aut deficiant; quòd ſi nullum deprehendat motum, jam non ad infirmum, ſed ad mortuum ſe vocatum declarat: ſi verò ſpiritus identidem pulſare intermittant, mortem propinquam prædicit. Sic ſpiritualis pater ante omnia tentet neceſſe eſt qualis ſit orandi ſpiritus & af-

fectus in eo, cujus gerit curam: quia flagrans in illo orationis deſiderium, index eſt juſtitiæ acceptæ, aut brevi conſequendæ: quòd ſi languidum advertat, majori curâ indiget, ſanus enim non eſt; ſi intermittatur ſæpiùs, & monitore opus ſit, qui diſcipulum ad orandum impellat, nequidem tùm orabit, cùm orare videbitur, ut ibidem habetur & valdè timendum eſt, ne ad vomitum redeat. Si denique nulla ſit ad orandum propenſio, ſed perſeverans indè averſio, mortuum pronuntiabit. Nec infideles, quibus Deus aliquem vitalis gratiæ ſenſum inſpiravit ad fidem amplectendam, ſunt ſine aliquo orandi deſiderio. Sed de neceſſitate orationis paragrapho ſequenti.

Paragraphus VII.

Utrùm Oratio ſit ad ſalutem neceſſaria?

DUo fuêre oppoſiti errores circa propoſitam quæſtionem; alter Meſſalianorum, qui, teſte Theodoreto lib. 4. de fabulis Hæreticorum, totam legem ad orationem coarctabant; cùm tamen Scriptura multa alia præcipiat opera, v. g. miſericordiæ, quæ qui prætermiſerint in extremo judicio audituri ſunt: *Ite maledicti, in ignem æternum*, Math. 25. Alter Wiclefi, qui de bonis operibus interpretabatur quæcunque in Scripturis legimus de neceſſitate orationis, adeò ut orare in ejus ſententiâ; nihil aliud ſit quàm benè operari.

Eccleſia Catholica inter illa duo extrema media incedit, docetque orationem propriè dictam; & ut eſt petitio quædam, non debere eſſe continuam, ſed aliis bonis operibus vacandum, ut infrà probabitur; eſſe tamen aliquando ad

ſalutem neceſſariam. Ad propoſitam igitur quæſtionem

R. Oratio propriè dicta eſt aliquoties neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

Probatur ex Scripturâ, Math. 7. *Petite & accipietis.* Dicendo, *petite*, præceptum imponit, ex ſancto Thoma art. 2. & addendo, *accipietis*, medium neceſſarium ad obtinendum demonſtrat; adeo ut niſi petierimus & pulſaverimus, non ſumus conſecuturi dona, ſine quibus ſalus obtineri non poteſt, juxta illud Jac. 4. *Non habetis, propter quod non poſtulaſtis.* Sic mater lacte, quo turgent mamillæ, exonerari appetit; ſed lac non fluet, niſi parvulus mamillas exſugat, pulſet, & comprimat: quo ſenſu ſanctus Auguſtinus videtur intellexiſſe illud Pſalmi 118. *Os meum aperui, & attraxi Spiritum:* ſic enim ſcribit in illum locum: *Aperuit os petendo, quærendo, pulſando; & ſitiens hauſit ſpiritum bonum, unde faceret, quod per ſe ipſum facere non poterat, mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum. Si enim nos, cùm ſimus mali, novimus bona data dare filiis noſtris: quantò magis Pater noſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus eum? Non enim qui ſpiritu ſuo agunt, ſed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei.* Sicut ergo Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ dicuntur neceſſaria non tantùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medii; qui ſine iis, ſaltem in voto, non poteſt haberi medium ad vitam æternam neceſſarium, nempe peccatorum remiſſio: idem quoque de oratione dicendum eſt. Sed inde alia naſcitur quæſtio. Unde

Q. 2°. *Quomodo, & in quibus circumſtantiis Oratio eſt neceſſaria?*

Reſpondet ſanctus Celeſtinus ſummus Pontifex, epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, his verbis:

In omnibus actibus, cauſis, cogitationibus, motibuſque, adjutor & protector orandus eſt; ſuperbum enim eſt ut quidquam ſibi humana natura præſumat. Quibus verbis ſanctus Pontifex non vult cum Meſſalianis ſoli orationi vacandum, abſit; contendit duntaxat orationem præmittendam omnibus noſtris conſiliis & & operibus. Sed ut planiùs propoſitæ quæſtioni fiat ſatis, ſimulque explicentur nonnullæ Scripturæ textus, qui continuam orationem præcipere videntur, ut Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* 1. Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate.* Eccli. 18. *Non impediaris orare ſemper*;

Obſervandum duo in oratione eſſe diſtinguenda; nempe deſiderium boni abſentis, & ipſam petitionem. Namque oratio, ex dictis eſt proprii deſiderii intimatio alteri facta; ideo enim quis alterum rogat, quia certum quid ab illo obtinere concupiſcit: ipſa verò petitio ſeu deſiderii expoſitio & intimatio propriè & formaliter eſt oratio, & elicitus religionis actus. Sed deſiderium, quod præſupponit petitio, pertinet ad charitatem, quâ Deum intendimus ut finem noſtrum ultimum, ad quem cætera referimus. Intendimus, inquam, non propriis freti viribus; eſſet enim ſuperbiæ, ſed ſolâ Dei bonitate & miſericordiâ innixi. Unde charitas neceſſariò habet comites fidem, quâ rectè de Dei bonitate ſentimus; ſpem, quâ bene de illa ſperamus; & humilitatem, quâ nihil de nobis præſumimus. Atque ex illis quatuor virtutibus, quibus ad petendum adducimur, naſcitur orationis ſpiritus, de quo ſanctus Auguſtinus epiſt. 194. aliàs 105. ad Sixtum: *Sicut nemo rectè ſapit ſine ſpiritu ſapientiæ: ita ſine ſpiritu orationis non eſt quiſque ſalubriter oraturus.* His præmiſſis, cum ſancto Thomâ ar-

ticulo 14. ad propoſitam quæſtionem,

R 1°. Deſiderium charitatis ſic explicatum, ex quo procedit oratio, continuum eſſe debet vel actu, vel virtute. quatenus virtute hujus deſiderii tenemur ſemper agere, ut docet Apoſtolus 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Undè ſanctus Auguſtinus epiſt. 130. aliàs 121. *In ipſâ fide, ſpe, & charitate continuato deſiderio ſemper oramus.* Sed illud deſiderium metaphoricè dicitur oratio, ſumendo cauſam pro effectu; magiſque propriè dici poteſt ſpiritus orationis, qui in nobis continuus eſſe debet.

R. 2°. Ipſa actualis oratio ſeu petitio, nec debet, nec poteſt eſſe continua; quia, inquit Angelicus Doctor, aliis operibus vacandum eſt: identidem repetenda, quantùm neceſſe eſt ad excitandum interioris devotionis fervorem; *uniuſcujuſque enim rei quantitas debet eſſe proportionata fini, ſicut quantitas potionis ſanitati.* Confirmatque ſuam ſententiam auctoritate ſancti Auguſtini epiſtolâ 130. aliàs 121. in quâ ſic ſcribit: *Ideo* (nempe ut continuum flagret Dei deſiderium) *per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis oramus Deum, ut illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantùm in hoc deſiderio profecerimus, nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum nos ipſos acriùs incitemus; dignior enim ſequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus.* Et infrà: *Sed ideo ab aliis curis & negotiis, quibus ipſum deſiderium quodammodò tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id, quod deſideramus, intendere: ne quod tepeſcere cœperat, omninò frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebriùs inflammetur.* Porrò qui ſtatutis temporibus orare non prætermittit, ſi non phyſicè, ſaltem moraliter loquendo, ſemper

orat etiam oratione propriè dictâ, ſicque intelligendos laudatos Scripturæ textus docet idem Angelicus Doctor cit. art. ad quartum, & S. Auguſtinus hæreſi 57.

R. 3°. Quamvis definiri non poſſit, quo præcisè tempore & quoties orandi præceptum obliget, cùm id pendeat non ſolùm ex Dei ordinatione, ſed etiam ex cujuſque diſpoſitionibus, tentationibus, & aliis circunſtantiis; certum eſt ſæpiùs precandum, nec ſine ſalutis æternæ periculo illud religionis opus diù omitti poſſe.

Probatur 1°. ex Scripturis, quæ non ſolùm orationem, ſed & orationis frequentiam præcipiunt Luc. 18. *Oportet ſemper orare & non deficere.* Et cap. 21. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini... ſtare ante filium hominis.* Coloſſ. 4. *Orationi inſtate vigilantes in eâ.* 1. Petri 4. *Vigilate in orationibus.* Hos autem & ſimiles Scripturæ textus ſemper intellexerunt fideles ad ſenſum reſponſionis noſtræ. De primis Chriſtianis legitur Act. 1. *Erant perſeverantes unanimiter in oratione.* S. Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam, hortatur ut ejus filia juxtà receptum Eccleſiæ morem, vel à teneris annis aſſueſcat ad orationes nocte conſurgere, manè hymnos canere, tertiâ, ſextâ, nonâ horâ ſtare in acie quaſi bellatrix Chriſti, & accenſâ lucernâ reddere ſacrificium veſpertinum; quam conſuetudinem etiam nunc ex præcepto retinent Clerici, Religioſi, & Moniales.

Probatur 2°. exponendo cauſas & circunſtantias, propter quas ad orationis præſidium confugere neceſſe ſit; ubi enim adverterimus illas quàm ſæpiſſimè recurrere, patebit frequentis orationis neceſſitas.

Itaque ut ſaluti noſtræ utiliter conſulamus,

tria imprimis ſunt neceſſaria. Primum, ut Deus miſericorditer concedat peccatorum veniam cum gratiæ ſanctificantis & virtutum donis. Secundum, ut donis jam acceptis bene & fideliter utamur. Tertium, ut in iis uſque ad finem perſeveremus. Atqui tria illa non conceduntur adultis, niſi inſtanter petentibus & pulſantibus. Ergo.

Major eſt de fide, & conſtat ex dictis in tractatu de Gratia. Minoris tres ſunt partes ſigillatim probandæ,

Prima pars, nempe Deum veniam peccatorum, & virtutum dona non concedere, niſi petentibus & pulſantibus,

Probatur 1°. ex Scripturâ, Eccli. 16. *Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti*, Luc. 18. Publicanus veniam eſt conſecutus, Phariſæus verò minimè; quia ille pro eâ humiliter precatus eſt, hic autem minimè; ac propterea expertus eſt quod Jac. 4. legitur: *Non habetis propter quod non poſtulatis.* Enim verò inſolentiſſimæ ſuperbiæ eſt, ſi reus veniam ad quam deprecandam perſona læſa hortatur, nihilhominùs petere contemnat. Porrò cùm omnes etiam juſti in multis offendant, neceſſe eſt, ſi nolint obrui peccatorum multitudine, ad orationis remedium, quàm ſæpiſſimè confugiant, dicantque quotidiè ex intimo cordis dolore: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Probatur 2°. ex Patrib. s. Sanctus Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 16. ſic docet; *Conſtat Deum, alia dona etiam non orantibus ſicut initium fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe.* Et lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 56. inter opera ſancti Auguſtini: *nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante venire, nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum*

niſi orantem auxilium promereri. S. Chryſoſtomus lib. 1. de orando Deo, ait: *Profiteor deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim ac radicem vitæ frugiferæ:* homil. 23. in Math. *nihil eſt quod non obtineat oratio, etiamſi mille peccatis obnoxius ſis; ſed vehemens; ſed aſſidua. Non petere importunum eſt Deo, exactio ipſi grata eſt:* Hom. 35. in Joan. *Pudeat nos exemplo paralytici: ſi per octo dies rogaverimus, & non exaudimur, tepeſcimus:* & hom. 26. in Act. *Non ſic ignis ſordes pugnare ſolet, ut oratio nocturna ſordes peccatorum noſtrorum.*

Secunda pars probatur, ſcilicet ad orationem recurrendum, ut acceptis donis bene utamur; quia quamvis nemo virtutum donis malè uti poſſit, ea certè otioſa & ſine fructu relinquit, ſicut ſervus piger, qui abſcondit talentum domini ſui, Math. 25. niſi Deus continuo ſuo auxilio illum incitet inflammetque: *Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. de naturâ & gratia cap. 26. *niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere.* Sed quàm multa oculos mentis ab hâc luce avertunt! Tentatio ſiquidem eſt vita humana ſuper terram. Aut venit diabolus, & rapit quod digito Dei ſeminatum eſt, hoc eſt, gratiam ſanctificantem & virtutum dona: aut curæ & ſollicitudines ſæculi deſiderium cœleſtium ſuffocant; unde & virtutum habitus & ſacramenta ſæpiùs iterata ſine fructu & ſine actu remanent: aut innata ſuperbia, quæ etiam in rectè factis cavenda eſt, quod Dei eſt, humanæ tribuit induſtriæ: efficitque ut homo ſeſe extollendo graviùs pereat, quàm ſi nihil operaretur boni, ex S. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 27. Propterea ne in tantis periculis obdormiant juſti, mo-

net Dominus graviſſimis his verbis, Marci 13. *Videte, vigilate; & orate.* Et Math. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Apoſtolus quoque ejus clamat, Epheſ. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Quæ ſit autem illa armatura exponit v. 18. *Per omnem*, inquit, *orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantiâ.* His ſe texit armis contra ſtimulum carnis, 2. Cor 12. *Propter quod*, inquit, *ter Dominum rogavi*, hoc eſt, donec certus de Dei auxilio audiviſſet, *ſufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Quid ita?

Audi auctorem operis imperfecti, hom. 18. inter opera ſancti Chryſoſtomi. *Quoniam*, inquit, *Deus creaturam ſenſibilem armatam & munitam creavit; alios enim munivit veloci pedum curſu, alios armavit unguibus, alios velocibus pennis, &c. Hominem autem ſic diſpoſuit, ut virtus illius ipſe ſit, & in eo quòd infirmiorem eum fecit omnibus, in ipſo eum voluit fortiorem eſſe in ſe.* Adam perfectiſſimè ſanus, & propriæ virtuti dimiſſus, in Paradiſo proſtratus eſt: Job verò infirmus, ſed orationis præſidio vallatus, in ſterquilinio victor extitit. Unde Sanctus Chryſoſtomus homil. 29. in Geneſ. ait: *Ad preces confugio tanquam ad inexpugnabilem murum.* Homil. 30. *Magna arma ſunt preces.* Et Homil. de Moyſe: *Quis juſtorum non orando pugnavit? Cùm levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael; ubi autem ſubmiſerat, vincebat Amalech. Bellum Chriſtianis indictum hoc exemplo monſtratur, belli effectus, orationis inſtantiâ aperitur. Orat enim Moyſes & vincit: ceſſat & vincitur. Didicit Chriſtianus unde vincat & vincatur. Nec quiſquam poterit excuſare, qui hoſtem vincere noluit, dum orare ceſſavit.*

S. Auguſtinus eadem figura probat crebræ

orationis neceſſitatem, ſerm. 352. olim 27. folio 50. homil. *Orabat Moyſes, tunc extendebat manus, & deficiebat Amalech; & tuæ manus extenſæ ſint, ut deficiat Amalech tentator, & hujus itineris impeditor. Eſto vigil & ſobrius in orationibus.* Tùm oſtendit Juſtos ideo venialiter peccare, quia deficiunt ab oratione. *In manibus Moyſi ſervi Dei fortè alternatio tua fuit. Aliquando ille deponebat manus, & vincebat Amalech, aliquando erigebat, & ſuperabat Iſraël... Quid oramus ut dimittatur, niſi propter manus deficientes contra Amalech.*

Vera itaque patrum ſententia apud Caſſian. coll. 10. c. 13. parum & minùs quàm neceſſe ſit, illum orare, qui divinam opem non implorat, niſi eâ dici parte quâ genuflectere conſuevit; cùm enim dæmones ubique inſidientur virtutibus noſtris, corpus quod corrumpitur, continuò aggravat animam; ſuperbiâ ſive cupiditas, quæ etſi non dominetur injuſtis ſemper tamen ineſt, intentionem ad creaturas detorquere nitatur: corda noſtra identidem ad Deum ſublevare oportet, & inter operandum breviſſimas orationes raptim jaculari, ut loquitur ſanctus Auguſtinus, citatâ epiſtolâ 130. alioquin cœleſtium deſiderium tepeſcit, infuſæ virtutes areſcunt, nec jam Spiritu Dei, ſed noſtro agimur. *Porro non qui ſpiritu ſuo agunt, ſed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei: non quia ipſi nihil agunt, ſed ne nihil boni agant, à bono aguntur, ut agant.* Sanctus Auguſtinus conc. 27. in Pſalm. 118. *Poterat quidem nobis, & non orantibus dare, ſed oratione noſtra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. Tutiores autem vivimus, ſi totum Deo demus, non autem nos illi ex parte; & nobis ex parte committimus.* Idem lib. de Dono Perſeverant cap. 6. & 7. Scriptum eſt enim de diabolo ſub figurâ Behemoth. Job. 41. *non eſt*

ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei. Quare ubi vel avaritiâ, vel libidine, vel ambitione tentat, manus cum ipſo non ſunt conſerendæ, ſed ad Deum ſtatim confugiendum.

Tertia pars, quæ eſt de neceſſitate crebræ orationis ad perſeverandum, conſtat apud Theologos.

Probatur 1°. ex laudatis Scripturæ textibus, Luc 21. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini .... ſtare ante filium hominis*, Math. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.*

Probatur 2°. ex Patribus. Sanctus Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ, ſic ſcribit: *Hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus poſtulamus, ut ſanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratiâ ſumitur, ipſius protectione ſervetur.* Sanctus Auguſtinus lib. de dono perſev. à cap. 2. uſque ad octavum, ex oratione Dominica refellit Semipelagianos negantes perſeverantiam eſſe Dei donum, *hoc qui dicit* (inquit cap. 2.) *non meis diſputationibus refellendus, ſed Sanctorum orationibus onerandus eſt. An verò quiſquam eorum eſt, qui non ſibi poſcat à Deo, ut perſeveret in eo; cum ipſa oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur à Sanctis, nihil penè aliud quàm perſeverantia poſci intelligatur?* Et capite 6. ſic concludit. *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt, id eſt, ſupplicando impetrari.*

Confirmatur & explicatur doctrina catholica. Nimirùm duo complectitur perſeverantia. Primum eſt progreſſus in virtute, juxta illud Pſalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*, donec videatur *Deus Deorum in Sion.* Illud enim eſt diſcrimen inter perſeverantiam patriæ, & perſeverantiam viæ; quòd illa ſit firmitas & immobilitas in termino, hæc verò continuus motus

& progreſſus verſus terminum : quia viator eſſe deſinit, non ſolùm qui viam deſerit, ſed etiam qui in via ſubſiſtit, nec ulteriùs progredi intendit. Sec in hanc rem audiendus eſt ſtrenuus & perſeverans viator, cap. 3. epiſt. ad Philip. *Sequor autem*, inquit, *ſi quo modo comprehendam. . . . Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens me ipſum . . . Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Ibi Apoſtolus negat ſe eſſe perfectum, ſcilicet perfectione termini, quæ comprehenſorum eſt; ſed ſe dicit perfectum perfectione, quæ competit viatoribus, quæ in eo conſiſtit, ut ad bravium ſupernæ vocationis ſtrenuè & perſeveranter currant. Unde commune ſanctorum Patrum effatum, *In via Domini non proficere, deficere eſt.* Porrò in juſtitia ſic perſeveranter progredi, quid aliud eſt, quàm ex bonis Domini lucrum percipere, & acceptis ejus beneficiis fideliter uti? Et hoc novum Dei donum eſt, quod, ut mox probavimus, nonniſi aſſiduè orantibus obvenit.

Alterum in perſeverantia attendendum, eſt ſpecialis Dei protectio & efficax ejus auxilium quo juſtus indeclinabiliter & inſuperabiliter in via domini, vel ſemel initâ, vel poſt lapſum repetitâ uſque ad mortem ambulat. Magnum autem illud donum, quod præcipuè in perſeverantia ſpectatur, & ſine quo nemo in hoc rerum ſtatu ſalutem conſequitur, non eſt propoſitum nec promiſſum, tanquam merces determinata cujuſquam boni operis, per quod Juſtus confirmetur in gratia, certuſque ſit in eâ ſe uſque ad mortem perſeveraturum. Supereſt ergo ut continuò perſeverantiam petat. De fide quidem eſt juſtos habere jus ad vitam æter-

nam, quæ eſt hæreditas filiorum; mererique de condigno per bona opera incrementum gratiæ ſanctificantis & virtutum: ſed ſimile jus non acquirunt ad ſingulare illud donum per qualecunque opus, etiam heroïcum. Scriptum eſt enim, *qui ſtat, videat ne cadat:* (ſicut contigit nonnullis etiam poſt glorioſam nominis Chriſti confeſſionem;) ſed cum metu & tremore ſalutem ſuam operetur. Quid ita? Quia Deus eſt, qui operatur & velle & perficere, non pro meritis cujuſpiam, ſed pro bonâ voluntate, quam juſti ſibi conciliare debent vigiliis, laboribus, eleemoſinis, orationibus & oblationibus, ut docent Tridentini Patres ſeſſ. 6. cap. 13.

Ipſe quidem Spiritus illis teſtimonium reddit, quòd ſint filii Dei, Rom. 8. v. 16. atque eo titulo illis ingerit & fiduciam petendi, & ſpem obtinendi ſingulare illud donum. Quid enim non ſperent ab optimo parente, qui ſe ſentiunt filios? ſed quia in hoc ſtatu infirmitatis noluit illos emancipare cœleſtis Pater, quemadmodum emancipaverat Adamum utpote virum perfectum & robuſtum, oportet ut ſub ejus tutelâ ſe contineant, & precario modo ab ejus pietate ea ſupplices obtineant, ſine quibus ab hæreditate excluderentur.

Paragraphus VIII.

Utrùm Oratio habeat infallibilem effectum?

Tripliciter ſpectari poteſt Oratio 1°. Ut actus ſupernaturaliter bonus. 2°. Ut actus non ſolùm ſupernaturaliter bonus, ſed etiam laborioſus & pœnalis; eſt enim elevatio mentis in Deum, quæ non fit ſine luctâ cum ſenſi-

bus, & corporis defatigatione. 3°. Ut præcisè petitio eſt, quomodo ſpectatur deprecatio pauperis, quæ non tendit ad exhibendum diviti honorem & ſatisfactionem, ſed ſolùm ad impetrandam ab eo eleemoſynam. His præmiſſis ad propoſitam quæſtionem,

R. 1°. Oratio quatenus eſt actus ſupernaturaliter bonus in viatore, infallibiliter eſt meritoria, & quidem de condigno, ſi orans ſit juſtus; de congruo verò, ſi ſit peccator; quia habet omnes conditiones meriti à nobis recenſitas, ubi de Merito.

R. 2°. Oratio, quatenus eſt actus ſupernaturalis & laborioſus in viatoribus juſtis, certò eſt ſatisfactoria. Ita enim definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can 13. his verbis. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri ... jeſuniis, orationibus ... anathema ſit.* Et ratio eſt, quia ſatisfactio ex alibi dictis eſt dejectio rei coram perſonâ læſâ: Atqui talis eſt oratio hominis veniam à Deo per merita Chriſti deprecantis: Ergo talis oratio eſt vera ſatisfactio.

Dixi, *in viatoribus:* quia beati orando pro nobis, nec merentur nec ſatisfaciunt, utpote qui ſint in termino.

R. 3°. Quatenus præcisè eſt petitio, infallibiliter impetrat, ſi fiat ut decet, & cum conditionibus requiſitis.

Probatur, quia fidelis eſt Deus, ſeipſum negare non poteſt, 2. ad Timoth. 2. Atqui Deus non ſemel expreſsè promiſit ſe preces exauditurum, Pſalm. 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te.* Luc. 11. *Omnis enim qui petit, accipit,* Joann. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Clariora ſunt illa verba, quàm ut de promiſſione Dei orantibus facta dubitare

poſſimus. De fide eſt ergo orationem habere infallibilem effectum. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 65. expendens illa verba: *Benedictus, qui non amovit orationem meam & miſericordiam ſuam à me*, ſic ſcribit: *Securi de pollicitatione ipſius, non deficiamus orando. Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt à te amota miſericordia ejus.*

Dixi, ſi oratio fiat cum conditionibus requiſitis; quia ſicut ſacramenta novæ legis, quantumcunque per ſe efficacia, non habent effectum in iis, qui ponunt obicem; ſic nec oratio ubi deſunt conditiones requiſitæ: *Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis.* Jac. 4.

Q. 2°. *Quænam requiruntur conditiones, ut oratio infallibilem habeat effectum.*

R. Quatuor. Debet fieri 1°. piè: 2°. cum fiduciâ: 3°. pro ſeipſo orante: 4°. perſeveranter. Ita ferè S. Thomas a 15. ad 2. *Ponuntur*, inquit, *quatuor conditiones, quibus concurrentibus, ſemper aliquis impetrat quod petit; ſcilicet, ut pro ſe petat, neceſſaria, piè, & perſeveranter.* Et ad tertium addit: *Oratio principaliter innititur fidei quantùm ad efficaciam impetrandi.* Sed hæc fides vel ad pietatem reducitur, ſicut & ſecunda conditio, ut oratio ſit de neceſſariis ad ſalutem, vel ad fiduciam, ut mox patebit.

Paragraphus IX.

Quot requiruntur, ut oratio piè fiat?

R. Tria. Primò ex fide procedat neceſſe eſt, juxta illud Rom. 10. *Quomodo ergo invocabunt* (nempe ut omnipotentem & miſericordem) *in quem non crediderunt?* Et Matth. 21. *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, ac-*

cipietis. Et ratio eſt, quia orationis efficacia nititur promiſſione divinâ per Chriſti merita: Atqui promiſſio divina non movet, niſi credentes, ut per ſe patet, & docet Apoſtolus Rom. 4. ubi de Abrahamo ſic loquitur: *In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo.* Ergo. Porro non exigitur ea fides, quâ orans certò credat ſe conſecuturum orationis effectum; quia cùm promiſſio ſit conditionata, nempè ſi ponantur neceſſariæ conditiones, nec Deus revelaverit illas revera adeſſe; fidelis non poteſt eſſe certus fide theologicâ ſe impetraturum; hæc enim omnimoda certitudo pertinet ad fidem miraculorum, quâ Deus aliquando ſic movet animum, ut dubitare non poſſit de effectu. Hâc fide Apoſtolus Petrus claudo dixit, *ſurge & ambula*, Actor. 3. Fides ergo ad orationem requiſita in eo conſiſtit, ut orans ſecurus ſit de Deo, timidus de ſeipſo, ne ſcilicet aliquam è conditionibus ad orationem requiſitis prætermittat. Sed ille timor nedum precantis ardorem retundat, quin potiùs ejus ſollicitudinem excitat, ne deſit gratiæ, quæ orantibus offertur.

Secundò, ut honeſta & pia ſit oratio, oportet ut fiat attentè & devotè; peccatum quippe eſt orare negligenter, & cum voluntariâ mentis evagatione.

Tertiò, ad pietatem requiritur, ut oratio fiat de neceſſariis ad ſalutem: impium enim eſt petere quæ per ſe mala ſunt; quia gravis injuria Deo irrogatur, quaſi ipſe fons omnium bonorum, ſit etiam auctor peccati. Et ideò hujuſmodi oratio ſemper eſt mortifera, & peccatum mortale, ſicut & omne perjurium etiam in materia levi, quia par eſt injuria, aut etiam fortè gravior, ſive quis credat Deum poſſe eſſe au-

ctorem peccati vel leviſſimi; ſive teſtem adducat cujuſcunque falſi.

Q 2°. *Sed quid ſi petatur à Deo res indifferens?*

R. Vel petitur ex mera cupiditate propter terrenam felicitatem; vel ex charitate, tanquam medium à Deo electum, quo faciliùs vita æterna apprehendatur.

Si primum, res indifferens ſicut indecenter appetitur, ſic ſine pietate à Deo poſtulatur; *Nam ſi à ſecularibus abſtinere jubemur*, inquit ſanctus Chryſoſtomus homil. 42. in Joan. *quæ miſeria, quæ amentia eſt ea à Domino poſtulare?* Et ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 85. *Si invocas, ut veniat ad te pecunia*, putà ex ludo, *Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem deſideriorum.*

Utrùm autem talis oratio ſit mortifera & peccatum mortale, quæſtio eſt. Negat Suares lib. 1. de orat. cap. 17. ſed quidquid ſit, certum eſt non eſſe piam nec veram orationem, nec proinde impetratoriam. Tùm quia oratio ex dictis eſt decentium petitio: tùm quia Spiritus ſanctus, in quo clamamus, Abba (pater) non iſta poſtulat pro nobis: tùm denique quia nec petimus, niſi in nomine Salvatoris, nec quidquam à Deo obtinemus, niſi per ejus merita: Atqui *non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis*, ex ſancto Auguſtino tract. 102. in Joan. nec Chriſtus nobis meruit, ut cupiditates implere poſſimus, ſed ut ab iis liberemur. *Ipſe Salvator eſt*, inquit idem S. Auguſtinus tract. 73. in Joan. *non ſolùm quando facit quod petimus, verùm etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra ſalutem, non faciendo potiùs ſe exhibet ſalvatorem; novit enim Medicus quid pro ſuâ, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus. Et ideò contraria poſcentis non facit voluntatem,*

ut faciat ſanitatem. Quod ſi fecerit, non ut Salvator facit, quod eſt nomen ejus fidelibus ejus. Eſt quippe impiis & damnator non ſolùm Salvator, ſed etiam magiſter bonus docens quid petamus, ſcilicet, ne ſinat Deus nos ire poſt concupiſcentias noſtras. *Ad hoc pertinet*, pergit ſanctus Doctor, *ne nos inducas in tentationem: neque enim parva eſt tentatio, ſi contra tuam ſit cauſam tua poſtulatio.*

Si ſecundum, nempe ſi appetatur res indifferens ut medium, quo Deus nos perducere decrevit ad vitam æternam, piè, & in nomine Salvatoris peti poteſt, quia talis oratio fit & ſecundùm Dei voluntatem, ut patet: & per merita Chriſti, cùm Chriſtus nobis meruerit & ſalutem, & quidquid ad eam conducit.

At duo hîc diligenter ſunt obſervanda.

Primum, ad temporalia infallibiliter impetranda ſatis non eſt, quòd deprecans ea petat in ordine ad ultimum finem; ſed requiritur inſuper, ut Deus iis mediis velit illum acquiri. Cùm autem nobis non conſtet de divina voluntate, num per proſpera, an per adverſa ad felicitatem æternam nos perducere decreverit; ſequitur temporalia, ſi piè petantur, conditionatè ſemper eſſe petenda, ut diximus paragrapho primo. Et ex tali oratione hic ſaltem fructus infallibiliter percipitur ceteris conditionibus concurrentibus, ſcilicet paratum fore cor deprecantis, ut cum Apoſtolo dicat, 2. Corinth. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus*, &c.

Secundum, in hypotheſi etiam, quòd Deus rerum proſperitate nos regnum cœleſte conſequi velit, nihilominus oratio noſtra plerumque caret effectu; quia ſub obtentu ſalutis æternæ obumbratur negotium cupiditatis, no-

biſque orantibus ſæpè idem contingit, quod alimenta ſumentibus, nimirum ſicut edentibus & bibentibus causâ ſanitatis, adjungit ſe voluptas, ut ejus cauſa fiat, quod ſanitatis causâ nos facere dicimus & volumus: ſic deprecantium intentionem prævertit vitæ præſentis amor. Quia putet temporalia propter ſeipſa quærere, una omnium vox eſt, ea ſe poſtulare propter regnum Dei, & juſtitiam ejus. Sed fallax illa pietatis larva vel ex eo facilè deprehenditur, quòd idem ipſi, qui orationis dono ſe carere cauſantur, ac proptereà vel non petunt, vel frigidè & perfunctoriè petunt virtutes, putâ charitatem, humilitatem, quibus maximè indigent, & ſine quibus regnum Dei non acquiritur, ii, inquam, ipſi, ubi mala temporaliter premunt, aut impendent, intentiſſimè & prolixè Deum orant, votis & ſacrificiis miſericordiam Dei inceſſanter pulſant. Atqui ſi ad hujuſmodi preces fundendas incitaret eos regnum Dei & juſtitia ejus tanquam finis unice intentus, multò magis ab illis expeteretur, juxta vulgare Philoſophorum effatum; propter quod unumquodque tale eſt, & illud magis per ſe, hoc eſt, finem, propter quem media appetuntur, ampliùs appeti neceſſe eſt. Quod enim propter aliud diligitur, non tàm ipſum diligitur, quàm aliud, propter quod diligitur. Ergo cùm in pleriſque nulla aut penè nulla ſit orationis inſtantia pro obtinendis à Deo bonis ſpiritualibus, maxima verò pro conſequendis temporalibus; neceſſariò ſequitur temporalia ab iis plerumque non expeti propter ſpiritualia, ſed propter ſeipſa, ac proinde orationes eorum non eſſe apud Deum impetratorias, ut ſuprà monuit ſanctus Jacobus his graviſſimis verbis: *Petitis, & non accipitis, eo quòd*

malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris conſumatis, cap. 4. Temporalia autem in concupiſcentiis inſumere ſolent, quia ea petunt magis ex cupiditate, quàm ex cœleſtium bonorum deſiderio; & malè ſic petentibus *metuendum eſt, ne quod* (Deus) *poſſet non dare propitius, det iratus,* inquit S. Auguſtinus tractatu 73. in Joan.

Aliter itaque petimus panem noſtrum quotidianum, quo nomine intelliguntur neceſſaria vitæ præſentis ſubſidia, aliter regnum Dei, & juſtitiam ejus. Iſtud poſterius poſtulamus, ut nos ipſos ad illud deſiderandum acrius incitemus: valdè enim magnum eſt, & nos ad accipiendum parvi & anguſti ſumus. Ideo dicitur nobis, *dilatamini.* Nec tam citò datur, ut dilata deſideria creſcant; tantò quippe ſumemus capaciùs, quantò deſideravimus ardentiùs, ex ſancto Auguſtino epiſt. 130. aliàs 121. Priora verò Dominus & Magiſter noſter à Deo quærere docuit, non ut vehementiùs illa concupiſcamus, abſit, cùm illa ſæpè electis vel neget, vel etiam ſubtrahat, ſi nimis ad eadem efficiantur; ſed ut inde nos commonefaciamus Deum eſſe etiam talium bonorum auctorem, & ubi obvenerint, in ipſum per gratiarum actionem eſſe refundenda, non in propriam induſtriam, aut amicorum patrocinium. Enimverò idem Dominus noſter & Magiſter, qui panem quotidianum petere, & à malo liberari præcepit, ſimul prohibuit, ne ſolliciti ſimus quid manducemus, aut quo induamur; *ſcit enim*, inquit, *Pater veſter cœleſtis, quia his indigetis.* Tanquam ſi quis ægrotanti diceret: Quære duntaxat ſanitatem à Medico peritiſſimo, nec ſollicitus ſis de remediis; quia ſi primum efficaciter voluerit, remedia apponet prout judicaverit expedire. Sic Chriſtus, *Quæ-*

rite primùm, ait, *regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Non dicit, *deinde iſta quærite*, ne illinc avertamini, & duos fines vobis conſtituatis: ſed ait, *hæc omnia adjicientur vobis*, id eſt, conſequentur.

Paragraphus X.

Qualis debet eſſe orantis fiducia, ad infallibiliter impetrandum.

R. DUo extrema imprimis vitanda ſunt; nempe diffidentia, & præſumptio.

Diffidentia quidem, *Qui enim hæſitat* (Jac. 1.) *ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur;* quia non habet firmitatem & conſtantiam in petendo. *Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Hanc fiduciam exigit Chriſtus ab invocantibus ſe: *Confide fili*, ait Paralytico Matth. 9. *remittuntur tibi peccata tua.* Et duobus cæcis ibidem: *Secundum fidem veſtram fiat vobis.* Unde concludit Apoſtolus in hæc verba Heb. 4. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur: quoniam non eſt confuſio confidentibus in te*, Dan. 3. Propterea in collationibus Patrum, collat. 9. cap. 32. legimus ſignum futuræ impetrationis tum haberi, cùm Spiritus ſanctus movet ad petendum cum magna fiducia, & cum quâdam impetrandi ſecuritate. *Magna ſiquidem fides*, inquit ſanctus Bernardus, ſerm. 32. in cant. *magna meretur: & quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus poſſidebis.*

Præſumptio non minus cavenda eſt in oratione, quam diffidentia. *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Jac. 4. *Oratio humiliantis ſe penetrat calos.* Eccli. 35. *Reſpexit in orationem*

orationem humilium, & non ſprevit precem eorum, Pſal. 101. *Non derelinquis præſumentes de te; & præſumentes de ſe humilias*, Judith. cap. 6. *Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis*, Dan. 9. Tota ergo fiducia orantis nititur ſolâ Dei miſericordiâ. Oratio Phariſæi, Luc. 18. rejecta eſt, quia in ſuis virtutibus & meritis confidebat.

Dices: Gratia ſanctificans eſt fundamentum juſtis ſperandi auxilia ad ſalutem neceſſaria: Deus enim neminem deſerit, niſi priùs deſeratur ab eo. Ergo impetrandi fiducia repeti poteſt ex juſtitiâ deprecantis. Sic Ezechias 4. Reg. c. 20. *oravit Dominum, dicens, obſecro Domine, memento quomodò ambulaverim coram te, in corde perfecto.*

Confirmatur 1°. S. Joannes primæ Epiſt. cap. 3. docet naſci ex bonæ conſcientiæ teſtimonio fiduciam orandi & impetrandi: *Chariſſimi*, inquit, *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.*

Confirmatur 2°. Peccator ex nullo capite ſpem impetrandi concipere poteſt. Namque 1°. conſcientia indignum illum pronuntiat, qui à Deo exaudiatur, *iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, Pſal. 65. *Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia.* Sapient. 17. nec Deum apprehendit niſi ut iratum & extrema minitantem. 2°. Deus non modò non promiſit ſe exauditurum peccatores deprecantes, quin potiùs illos præmonuit rejiciendos: *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt:* Iſaïæ cap. 1. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Proverb. 1. *Oculi Domini ſuper juſtos, &*

aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Pſalm. 33. Antiochus intentiſſimè oravit Dominum, à quo miſericordiam non erat conſecuturus, 2. Machab. 9.

Nego conſeq. 1°. quia nullus abſque ſpeciali Dei revelatione poteſt eſſe certus de ſuâ juſtitiâ, ut definit Concil. Trident. ſeſſione 6. can. 13. 2°. Quamvis gratiæ ſanctificanti reſpondeant gratiæ ſufficientes; attamen non debetur illi donum perſeverantiæ nec auxilia efficacia & commodiora, quæ petunt juſti, & quibus indignos ſe meritò pronuntiant ob innumeras negligentias & offenſiones.

Ad primam confirmationem: Reſpondeo velle duntaxat Apoſtolum 1°. Bona opera & cordis munditiem diſponere ad ſpem concipiendam de Dei bonitate & miſericordiâ, & puſillanimitatem repellendam; quo ſenſu Ezechias ad ſperandum ſeipſum incitabat. Si enim Deus peccatores & inimicos prævenit in benedictionibus; quantò magis jam ſibi reconciliatos & auxilium ejus implorantes fulciet, ſublevabitque? 2°. Bona opera mereri, ſaltem de congruo, illam orationis fiduciam, quæ ſanè eximium Dei donum eſt. Hinc ſancti Patres communiter docent jejunium & eleemoſynam eſſe alas orationis. *Bona eſt oratio cum jejunio*, ait Angelus Tob. 12. & Iſ. 58. *Tunc* (cùm miſericordiam feceris) *invocabis me, & Dominus exaudiet.*

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, Quamvis peccator reverà, & propriæ conſcientiæ teſtimonio indignus ſit qui exaudiatur, nihilominùs fiduciam impetrandi ſumere poteſt ex triplici capite. 1°. Ex precandi voluntate, quam Deus ipſi inſpiravit. *Cùm videris*,

inquit ſanctus Auguſtinus ſuprà laudatus, in Pſal. 65. *non à te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt à te amota miſericordia ejus.* 2°. Ex infinitâ Dei bonitate. *Si de vobis in humilitate ſentitis,* ait ſanctus Bernardus ſerm. 11. in Cant. *ſentite & de Domino in bonitate.* Et auctor de verâ & falsâ pœnitentiâ cap. 5. inter opera ſancti Auguſtini: *Ille ſolus diffidat, qui tantùm peccare poteſt, quantùm Deus bonus eſt. Cum autem ſit nullus, qui hoc poſſit, timeat de ſe malo, præſumat de meliore; diabolus enim, & omnis nequitia minor eſt, quàm Dei miſericordia.* 3°. Ex divinâ promiſſione, quæ ſe extendit ad omnes etiam peccatores, Matth. 7. *Omnis enim, qui petit, accipit.* In quem locum ſic ſcribit auctor operis imperfecti, hom. 18. inter opera ſancti Chryſoſtomi: *Omnis, ſive juſtus, ſive peccator tantum petere non dubitet, quærere non negligat. Dicamus enim de Deo ſicut dixit de nobis: Si tantum amicos veſtros diligitis, quam mercedem habebitis? Si Deus tantum amicos ſuos exaudit, quam laudem bonitatis meretur?* Et Luc. 11. de peccatoribus ſpeciatim dicitur: *dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus* (id eſt inſtantiam & perſeverantiam) *ſurget & dabit.* Sic Publicanus exauditus eſt, Luc. 18. Ex quo loco ſanctus Auguſtinus tract. 44. in Joannem, refellit cæcum, qui dixerat Deum non exaudire peccatores: *Adhuc,* inquit, *inunctus loquitur; nam & peccatores exaudit Deus. Si enim Deus peccatores non exaudiret, fruſtrà ille Publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens diceret, Deus propitius eſto mihi peccatori. Et iſta confeſſio meruit juſtificationem, quomodo ille cæcus illuminationem.* Vera tamen eſt cæci propoſitio in ſenſu ab ipſo intento; nempe Phariſæi calumniabantur Chriſtum, quaſi ſeduceret turbas: cæcus qui ab illo viſum receperat, ipſis reponit, Deum non exau-

dire peccatores ad patranda miracula (v. g. ad illuminandum cæcum) quibus homines in errorem inducantur, quod veriſſimum eſt.

Textus oppoſiti in objectione intelliguntur de peccatoribus impœnitentibus, qui cùm nolint à peccato recedere, obnixè petunt liberari à malis ingruentibus, quibus Deus eos juſtiſſimè punit.

Inſtabis: Actor. 8. ait S. Petrus ad Simonem Magum; *Pœnitentiam itaque age ... & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Daniel ad Nabuchodonoſorem cap. 4. *Forſitan ignoſcet delictis tuis.* Ergo peccatores certam ſpem impetrandi habere non poſſunt.

Diſtinguo conſeq. Non poſſunt abſolutâ certitudine, Concedo: non poſſunt hypotheticâ, nempe ſi orent ut oportet, adhibitis conditionibus ad infallibiliter impetrandum requiſitis, Nego conſeq. *Nemo*, inquit Chryſoſtomus hom. de Moſe, *aliquando ad eum flens acceſſit, qui non quod poſtulavit accepit: nullus ab eo beneficia dolenter poſtulavit, qui non impetravit, quod voluit.* Itaque nec Apoſtolus, nec Propheta dubitant de Dei promiſſis in gratiam peccatorum & veniam deprecantium, ſed de ipsâ eorum oratione; namque peccatores plerumque non orant ſicut oportet: aut peccandi affectum retinent: *Non vult autem ſuam orationem audiri: qui putaverit præcepta Dei poſſe contemni*, ait ſanctus Chryſoſtomus: aut criminum ſuorum immanitate territi, de Dei miſericordiâ diffidunt, ideòque remiſsè petunt; & in petendo non perſeverant.

Paragraphus XI.

Utrùm ad infallibiliter impetrandum neceſſe ſit ut quis pro ſe ipſo petat?

R. Affirmat ſanctus Auguſtinus tract. 101. in Joan. *Exaudiuntur*, inquit, *omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuſlibet aliis: quia non utcunque dictum eſt, dabit, ſed dabit vobis.* Idem docet S. Thomas art. 7. ad ſecundum his verbis, *pro ſe orare ponitur conditio orationis: non quidem neceſſaria ad effectum merendi, ſed ſicut neceſſaria ad indeficientiam impetrandi. Contingit enim quandoque quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiamſi fiat piè, & perſeveranter, & de pertinentibus ad ſalutem .... Secundum illud Jerem.* 15. *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum; nihilominus tamen oratio meritoria erit oranti, qui ex charitate orat, ſecundum illud Pſal.* 34. *Oratio mea in ſinu meo convertetur:* id eſt, ſecundùm Gloſ. *etſi non eis proſit, ego tamen non ſum fruſtratus meâ mercede.* Et ratio eſt, quia qui pro ſe orat ut oportet, donum Dei pluris facit, ardenter deſiderat, de ſe ipſo non præſumit; & ſic diſponitur ad accipiendum: contra verò alii pro quibus oramus, ſæpius vel in virtute ſua confidunt, vel juſtitiam non ſitiunt; vel, quod pejus eſt, in peccatis ſordeſcunt, & terrenis inhiant, & gratiâ Dei indignos ſe reddunt. Quamobrem S. Chryſoſtomus hom. de progreſſu Evang. carpit divites, qui eleemoſynis pauperum preces ſibi conciliabant, cùm interim ipſi orare negligerent; docetque Sanctorum orationes nobis non prodeſſe ſicut noſtras. Et homil. 5. in Matth. *Habent vim pro nobis, & quidem maximam orationes ſuppli-*

cationeſque Sanctorum : ſed tunc profectò, cum nos quoque idipſum per pœnitentiam poſtulamus.

Negari tamen non poteſt quin utiliter oremus pro converſione peccatorum etiam impœnitentium; Deus ſiquidem Eccleſiæ donavit & Saulum precibus Sancti Stephani, & Auguſtinum lacrymis ſanctæ Monicæ; ſed ipſe diſcipulus quem amabat Jeſus, 1. epiſt. c. 5. non audet aſſerere hujuſmodi orationes eſſe exaudiendas: *Eſt peccatum ad mortem*, inquit, *non pro illo dico ut roget quis.* In quem locum ſic ſcribit ſanctus Bernardus, cap. ultimo de gradibus humilitatis : *Sed nunquid dicis, Apoſtole, ut quis deſperet ? Imò gemat, qui illum amat, non præſumat orare, nec deſiſtat plorare .... Sic melius tanquam non orantes oramus, ſic efficacius tanquam diffidenter confidimus.* Tùm de excommunicatis, qui à publicis Eccleſiæ ſuffragiis excluduntur, ſubdit : *Abſit autem à nobis ut etiam pro talibus, etſi palàm non præſumimus, vel in cordibus noſtris orare ceſſemus; etſi enim à communibus orationibus ipſi ſe excludunt, ſed ab affectibus omninò non poſſunt.* Sicut de nemine deſperandum quandiù vivit, ſit nemini negandum orationis ſuffragium, ex ſancto Thomâ art. 7. ad tertium : vult enim Apoſtolus 1. Tim. 2. fieri orationes pro omnibus hominibus, etiam Regibus ethnicis, quorum multi Eccleſiam perſequebantur : & quidem juxtà præceptum Domini : *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, Matth. 5.

Quæri poteſt, num oratio pro aliis, qui non ponunt obicem, habeat infallibilem effectum?

R. Habet; nititur enim promiſſione divinâ : Matth. 10. Chriſtus monet Apoſtolos, ut intrantes domum dicant, pax huic domui : *& ſiquidem*, inquit, *fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam.* Jac. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini; multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.*

1. Joan. 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccantis non ad mortem.* Porrò Deus eſt verax in promiſſis, & neminem fallit.

Paragraphus XII.

Utrum oratio ſine perſeverantiâ ſemper ſit inefficax?

R. PRimò, ſi oratio piè fiat, etiamſi non perſeveranter, ſemper habet aliquem ſpiritualem effectum. Ita ſanctus Chryſoſtomus in Pſalm. 126. ubi docet duplicem eſſe orationis effectum. *Primus*, inquit, *ſemper obtinetur, etiam cum adhuc oramus; ſcilicet animæ virtus: nam oratio animam elevat, emollit*, &c. De hoc effectu ſcribit hom. 52. in Matth. intelligendum illud: *Adhuc te loquente dicam, adſum: non expecto donec orationem finias; ſed confeſtim cum incipias, exaudio: quis enim adeò fuit paratus, & erectis continuè auribus aſtans, nequandò à filiis ſuis vocaretur? Nemo profectò. Deus autem paratus continuè ad vocem ſuorum eſt, nec unquam ut oportet vocatus non obaudivit.* Secundus orationis effectus *eſt conſecutio ejus rei, quam poſtulamus.* Et de hoc poſteriori effectu hîc duntaxat quæritur, an ſine perſeverantiâ obtineatur. Quare

R. Secundò, Deus nos etiam non petentes prævenit in benedictionibus ſuis, à fortiori jam petentibus aliquando poſtulata concedere non differt. Sic Daniel, ubi ſe dedit orationi, ſtatim exauditus eſt, Dan. cap. 5.

Dixi, *aliquando*; nam ſæpius perſeverantiæ datur, quod primæ petitioni negatum fuit; ut patet in Chananæâ, Matth. cap. 15. ac proinde certum non eſt omnem orationem ſtatim exaudiri. Itaque

R. Tertiò, oratio infallibiliter non impetrat, niſi ſit perſeverans. Probatur 1°. ex Scripturâ, Luc. 10. *Oportet ſemper orare, & non deficere*. Quod confirmat exemplo viduæ, quæ per importunas preces tandem fregit duritiam iniqui Judicis. Et cap 11. docet non ſolùm petendum, ſed & quærendum, & pulſandum donec aperiatur, quemadmodum ille, qui ab amico rejectus, nihilominùs perſeveravit pulſans, & propter improbitatem ſuam obtinuit panes quotquot habebat neceſſarios. Probatur 2°. ex Patribus. Sanctus Chryſoſtomus hom. 30. in Gen. ait: *Noſtrum ergo ſit opus continuis inſiſtere precibus, & non ægrè ferre, ſi differatur quod petimus: ſed longanimes eſſe. Neque enim renuens noſtras preces differt, ſed hâc arte ſedulos nos efficiens ad ſemetipſum attrahere vult*. Sanctus Nilus lib. de orat. cap. 32. *Ne petas à Deo imperioſè, quod ſtatim velis impetrare: vult enim te beneficio afficere in oratione perſeverantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui & uſu ejus detineri?* Sanctus Auguſtinus tract. 73. in Joan. *Quomodò intelligendum eſt, quodcunque petieritis hoc faciam? An fortè ſolis Apoſtolis hoc dictum debemus accipere? Abſit*. Et multis interjectis ſubdit: *Sanè quædam quamvis in nomine ejus petimus, non tunc quando petimus facit, ſed tamen facit; differtur enim quando petimus non negatur. Verumtamen orantes tanquam ſeminantes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus.*

Q. 2°. *Quare Deus differt precantium vota, adeo ut ſoli perſeverantes infallibiliter impetrent?*

R. Multiplici de cauſâ.

Prima; quia oratio imperfecta incipere ſolet, & perſeverantiâ perficitur. Sicut enim veſtis, quæ frigida induitur, primò calefit per nativum corporis calorem, ſed jam calefacta ipſum corporis calorem non ſolùm conſervat,

ſed auget, intenditque; ſic oratio, quæ ex fide per dilectionem operante naſcitur, ipſam fidem roborat, charitatis deſiderium exacuit: *Fides*, inquit ſanctus Auguſtinus ſer. 115. aliàs 36. de verbis Domini, *fundit orationem, fuſa oratio fidei impetrat firmitatem.* Ubi autem fons exuberat aquis, rivum rapidiùs fluere neceſſe eſt, ſic & orationem ex pleniori fide manantem. Verùm rariſſimam eſſe illam fidem, quæ ab orantibus exigitur, ut infallibiliter impetrent, docet Chriſtus ita concludens parabolam de viduâ apud iniquum judicem moleſtâ. *Veruntamen*, inquit, *filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?* Fidem, inquam ego, cum fiduciâ & charitate conjunctam, quæ exemplo viduæ ad orationis perſeverantiam determinet. Multi quippe orationem, quam initio aridam, & ſine devotionis ſucco experiuntur, citò impatientes deſerunt, cùm aſſiduitate & perſeverantiâ pingueſcere ſoleat, & jam perfecta infallibiliter obtineat.

Secunda, ut doni, quod poſtulamus, capaces ſimus, & ad illud capiendum diſpoſiti. Magnum enim eſt quod petimus, & non anguſti ſumus; quare dicitur nobis, dilatamini. *Petendo autem & quærendo creſcis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare, ut & tu diſcas magna magnè deſiderare*, Auguſtinus ſer. 61. aliàs 5. de verbis Domini.

Tertia, ideo differt Deus, ut nos in humilitate contineat per experientiam propriæ indigentiæ & infirmitatis. *Quid eſt*, inquit ſanctus Bernardus ſer. 4. in Pſalm. 90. *quòd inceſſanter orantes & ſupplicantes non poſſumus ad eam, quam deſideramus gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus aut inops factus eſt Deus, impotens aut inexorabilis? abſit hoc, prorſus abſit: ſed ipſe*

cognovit figmentum noſtrum, in quo ſcilicet facilè vermis ſuperbiæ gigni ſolet, tùm maximè, cùm optatis potimur. Hinc eſt quòd ipſa noſtra oratio interdum tepida eſt & penè nulla, ut non ſolùm fide, ſed & experientiâ diſcamus inſufficientes nos eſſe aliquid piè cogitare aut deſiderare ex nobis tanquam ex nobis. Sed in his omnibus Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, poſtulatque pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nam oratio, ex ſancto Auguſtino, gemitum habet, qui autem gemunt, miſeros ſe ſentiunt, nec elationis vitium incurrunt.

Quarta. Deus poſtulata ſtatim non concedit, ut in majori habeantur æſtimatione, & ſollicitiùs conſerventur: *Cùm aliquando tardiùs dat*, inquit ſanctus Auguſtinus cit. ſerm. 61. *commendat dona, non negat: diù deſiderata dulciùs obtinentur, citò autem data vileſcunt.* Veniæ facilitas peccandi occaſionem præbet, difficultas verò cautiores reddit.

Quintam profert ſanctus Chryſoſtomus expoſitione in Pſalm. 4. nimirùm quia Deus in differendo dono nos ſibi devincit, & veluti agglutinat. *Oratio*, inquit, *non parvum vinculum eſt dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui aſſuefacit, & ad ſapientiæ ſtudium nos deducit. Si enim qui cum magno aliquo viro multùm verſatur, ex ejus conſuetudine maximum fructum percipit, quantò magis qui cum Deo perpetuam habet conſuetudinem?*

Q. 3°. *Quandiù perſeverare debet oratio, ut infallibiliter impetret?*

R. Nec Scriptura, nec Traditio iſtud definiunt, ſed indefinitè duntaxat hortantur ad perſeverandum in orationibus. Unde in praxi hæc obſervanda ſunt 1°. Si oratio ſit de neceſſariis ad ſalutem, putà de præceptis adimplendis, tentationibus ſuperandis, ſine hæſita-

tione orationi inſtandum, quoadusque poſtulata ſimus conſecuti; de his enim præſertim intelligenda eſt Chriſti promiſſio: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis*, Marc. 11. 2°. Cùm ex prædictis denis nonnulla uſque ad mortem differantur, ut donum perſeverantiæ, omnimoda libertas à peccato, & perfecta primi mandati obſervatio; pro his orationi inſtandum uſque ad mortem. 3°. ſi quando advertimus nos orationis ope vitium aliquod profligaſſe, aut tentationem ſuperaſſe, non eſt propterea remittendum orandi ſtudium; quia Amalech adverſarius noſter adhuc ſtat in acie, vincitque ſi manus extendere ceſſemus. 4°. Si petatur aliquid temporale, ubi Deus poſtulatis annuit, jam petitio non eſt protendenda, ſed in gratiarum actionem convertenda ut patet. Ubi verò contrarium evenit, verbi gratiâ moritur propinquus, cujus ſanitatem obnixè precabamur, imitandus eſt David, qui auditâ filii morte, ſurrexit de terrâ, in quâ diù jejunus jacuerat deprecans cum lacrymis pro ejus ſalute, mutatâque veſte lugubri & lotâ facie ingreſſus templum Domini adoravit: tùm domum reverſus placido vultu diſcubuit 2. Reg. 12. Sed ſi Deus exaudire differat, perſeverandum in oratione: fortè enim differt ad fidei, ſpei, & patientiæ exercitium: fortè etiam, quia nondum idonei ſumus accipere. Pater non negat hereditatem filio adhuc parvulo, ſed ſervat donec creſcat & adminiſtrare valeat. Parvuli ſumus in Chriſto, quandiù terrenorum cupiditate detinemur: perſeveremus ergo orantes ut liberemur ab hoc malo; creſcat cæleſtium amor, quo grandiores jam effecti, haud dubiè accipiemus ab optimo patre temporalia, quatenùs ad ſalutem æternam expediunt: ait enim Chriſtus:

Marc. 10. *Nemo eſt qui reliquerit domum . . . propter me & evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc.* Quia nempe qui terrenorum affectu non detinentur, ea ſoli utiliter diſpenſant ad Dei gloriam & propriam ſuam ſalutem.

Hactenùs de oratione, de quâ prolixiùs agendum duximus, quia *verò novit rectè vivere, qui rectè novit orare*, ut dicitur hom. 4. l. 50. hom. S. Auguſtini, nunc autem in Appendice Serm. 5.

CAPUT V.

De Voto.

PARAGRAPHUS I.

Quid eſt Votum?

R. DEfinitur, promiſſio deliberatè Deo facta de meliori bono & poſſibili. Singulæ definitionis partes diligenter ſunt attendendæ; quia ex his facilè ſolvuntur innumeræ difficultates, quæ in praxi occurrunt circà votum.

Dicitur 1°. *promiſſio*, quo nomine intelligitur deliberata & ſpontanea fidei obligatio in gratiam alterius. Undè promiſſio tria includit. Primum, deliberationem; promiſſio enim eſt actus liber: libertas autem ſine rationis advertentiâ ſtare nequit. Secundum, propoſitum, ſeu voluntatis decretum: quo quis ſtatuit & decernit ſe quidpiam præſtiturum. Tertium, fidei obligationem, & quidem ſpontaneè, & ſine vi alteri factam, & ab eo acceptatam; quandiù enim acceptata non eſt, non cenſetur fides data, ſed oblata duntaxat. Fides autem oblata non parit obligationem, ſed revocari poteſt, data verò minimè, niſi in quibuſ-

dam caſibus; quos Theologi expendunt ubi de Contractibus.

Fides ergo data ligat, non verò oblata, multò minùs propoſitum quantùmcunque deliberatum. Porrò dubium non eſt quin Deus acceptet quod melius eſt: ac proinde promiſſio de meliori bono Deo facta nunquam ſuſpenditur, ſeu ſtatim obligat.

Dicitur 2°. *deliberatè*, propter rationem mox allatam. Ergo irritum eſt votum ex errore procedens; quia eſt ſine advertentiâ & debitâ deliberatione. Notandum tamen eſt ex dictis tract. de juſtitiâ & jure, ubi de cauſiscontractuum, triplicem eſſe errorem. Alius eſt circa ſubſtantiam actus, ut ſi ruſticus voveat peregrinationem ad loca ſancta putans paucis diſtare leucis. Alius eſt cauſa finalis, ſine quâ votum non fieret, ſic præſumpta paupertas Petri, qui reverà dives eſt, eſt cauſa finalis vovendi eleemoſynam in ejus gratiam. Alius denique eſt cauſa duntaxat impulſiva, quâ non ſtante nihilominùs fieret votum, ſed ex minori affectu: verbi gratiâ voviſti ſublevare Petrum pauperem præ aliis; quia tibi videtur pius, cùm non ſit. Votum non ſtat cum primo & ſecundo errore; quia ut ſic eſt involuntarium: bene cum tertio, cùm non deſit voluntarium & præcipuum vovendi motivum, nempe paupertas.

Dicitur 3°. *Deo facta*, quo diſtinguitur votum à promiſſione factâ creaturæ intellectuali; promiſſiones enim, quæ fiunt Sanctis, vota dici non poſſunt, niſi quatenùs ſub Sanctorum patrocinio ordinantur ad Deum, tanquam rerum omnium auctorem, eo ferè ſenſu, quo Novitii vota ſua emittunt non Superiori, ſed Deo in manibus Superioris. Unde patet votum cedere in honorem & cultum Dei, ac proinde eſſe actum religionis.

Dicitur 4°. *de meliori bono.* De bono quidem, quia promiſſio de re illicitâ repugnat divino cultui: de re autem indifferenti eſt cultus vanus ac proinde nec eſt votum, nec actus religionis. De meliori verò; quia promiſſio quæ impedit majus bonum, ſub hoc reſpectu de cultu Dei detrahit, nec poteſt eſſe illi grata.

Dicitur 5°. *& poſſibilis;* namque ineptè quis ſe obſtringeret ad id, quod præſtare non poſſet: *Diſplicet autem Deo ſtulta promiſſio*, Eccli. 5.

Dices: Jephte ab Apoſtolo Hebr. 11. inter Sanctos laudatus, ex voto filiam Deo immolavit. Jud. 11. Ergo votum poteſt eſſe de re illicitâ.

Nego conſequentiam: nam ex ſancto Hieronymo in cap. 7. Jeremiæ: Jephte in vovendo fuit imprudens, & in reddendo impius. Laudatur ergo non propter tale facinus, de quo probabile putat S. Thomas ipſum pœnitentiam egiſſe: ſed propter fidem, quâ victoriam à Deo obtinere meruit.

Confeſſarius hanc definitionem tanquam certiſſimam regulam aſſumet ad explorandum num pœnitentes ſint reverà voto aſtricti, ſicut nonnunquam falsò exiſtimant.

Primò, expendet utrùm pœnitens promiſſione ſe conſtringere intenderit, aut apud ſe duntaxat propoſuerit, & in animo decreverit quamvis firmiter, verbi gratiâ peregrinationem ſuſcipere, caſtitatem ſervare. Namque ad votum non ſufficit propoſitum, ut colligitur tùm ex Scripturâ, Deuter. 23. v. 21. & 22. *Si nolueris polliceri, abſque peccato eris .... facies quod promiſiſti*, Eccli. 5. *Si quid voviſti Deo, non tardes reddere; diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Tùm ex jure canonico, c. *Litteraturam*, tit. *de voto*, ubi habetur proponentem animo quòd religionis habitum eſſet aliquando ſuſcepturus, ſi plus in voto

non eſt proceſſum, tranſgreſſorem judicari non poſſe, ſi non impleat quod dixit. Confeſſarius autem minùs attendet ad verba pœnitentis, quàm ad intentionem. Simplex quippe propoſitum plerumque exprimitur per verbum, *promitto*: ſic qui elicit actum contritionis, promittit ſe non peccaturum de cetero, cùm tamen non voveat; aliàs per relapſum, verbi gratiâ in ebrietatem, dupliciter peccaret, nempe contra temperantiam & contra voti religionem, quod nemo dixerit. Verbum itaque *promitto*, quandoque aliud non ſignificat quàm *propono*, quod ad votum non ſufficit.

Sed quid ſi Confeſſarius ex verbis pœnitentis non poſſit certò colligere ejus intentionem?

R. Recentiores ſat communiter diſtinguunt. In dubio, inquiunt, nùm pœnitens fidem dederit, judicandum prò libertate pœnitentis, nimirùm non promiſiſſe; quia in dubio nullus eſt re ſuâ ſpoliandus. Secùs, ſi conſtaret de voto, ſed dubitaretur an fuiſſet impletum; quia qui agnoſcit debitum, probare tenetur ſe ei ſatisfeciſſe. Sed Vaſqueſius, & Generalis Miniſter ſocietatis Jeſu Thyrſus Gonzalez differt.7.parag.13. impugnant ejuſmodi diſtinctionem, utpote veteribus ignotam, contenduntque in utroque dubio ſtandum non pro libertate perſonæ, ſed pro religione voti, juxta illud effatum, *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, cap. *ad audientiam*, tit. *de homicidio*, & tit. *de ſponſalibus*, cap. *juvenis.*

Secundò, ſi conſtet Confeſſario factam fuiſſe promiſſionem, perpendet num fuerit deliberata, an ex errore. Ad votum autem major deliberatio non requiritur, quàm ad peccatum mortale. Quapropter ſicut qui ſciens & volens conſentit tentationi, peccat mortaliter, ſi materia ſit gravis, quamvis non attendat ad mul-

ta, quæ haud dubiè conſenſum ejus ſuſpendiſſent: ſimiliter voto tenetur, qui licèt ex præcipiti devotionis motu,liberè tamen Deo promiſit in his circunſtantiis, quæ ſi eas attentiùs perpendiſſet, à propoſito deterruiſſent; ſed hæc mentis levitas & præcipitatio ſolet eſſe diſpenſationis cauſa.

Tertiò, in hypotheſi quòd promiſſio fuerit deliberata, obſervabit inſuper Confeſſarius, num fuerit ſpontanea & minime coacta: nam jure canonico vis & metus cadens in conſtantem virum, & injuſte incuſſus,irritat votum.c.1. *de his, quæ vi & metu*: & cap. *Abbas*,& ex Trid. ſeſſ. 25. c. 16 de Regularibus.

Dixi 1°. *jure canonico*; nam jure naturali contractus ex gravi metu initi, non ſunt ipſo facto irriti, ſed irritandi duntaxat.

Dixi 2°. *metus cadens in conſtantem virum*; quia metus levis non cenſetur tollere ſpontaneum.

Dixi 3°. *& injuſtè incuſſus*; quia valet votum ex metu juſto Addo metum; *etſi injuſtus ſit*,modò non injiciatur ad vovendum,non irritare votum Hinc qui vovet ad vitandum naufragii periculum, vel manus latronis, voto aſtringitur, qui ſponte vovet; ſic & mulier in adulterio deprehenſa, cui judex mortis declinandæ viam aperit nempe ſi monaſterium ingrediatur, valide profitetur.

Quartò denique Confeſſarius advertet, utrùm res promiſſa 1°. ſit bona vel licita,aut ſaltem indifferens. 2°. contra majus bonum pugnet. 3°. ſit poſſibilis.

Defectu primæ conditionis non tenetur voto 1°. Mulier quæ vovit non nere die ſabbati in honorem beatæ Virginis; quia obſervatio illa vana eſt, nec confert ad Dei cultum. 2°.

Qui vovit eleemoſynam, ut captet vanam gloriam; quia votum eſt de re turpi. Secùs ſi vana gloria non ſit unicus ejus finis; nam in illâ hypotheſi corrigenda eſt turpis circumſtantia, & ſervandum votum ex alio fine honeſtum. 3°. Qui ſine motivo honeſto vovit non ingredi aliquam domum, quia res illa eſt prorſus indifferens.

Sed quid ſi contingat poſt votum emiſſum, honeſtum eſſe non ingredi domum illam?

R. Non aſtringetur voto; quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit, ex regulis juris in 6.

Utrùm autem liget votum de re bona propter finem indifferentem, verbi gratiâ jejunandi ad parcendum ſumptibus, non conveniunt Theologi. In dubio ſervandum jejunium mutatâ intentione.

Defectu ſecundæ conditionis votum contrahendi matrimonii, nullum eſt; quia continentia, contra quam pugnat votum illud, eſt quid matrimonio perfectius. Si tamen matrimonium cenſeretur remedium neceſſarium ad vitandam incontinentiam, eſſet voti materia; quia melius eſt nubere, quàm uri.

Defectu tertiæ conditionis irritum eſt votum ejus, qui vovit ſe nunquam peccaturum, quia ex dictis tract. de gratiâ omnia peccata ſine ſingulari Dei privilegio vitari non poſſunt. Valeret tamen votum non peccandi etiam venialiter ex propoſito & plenâ deliberatione; quia illud poſſibile eſt cum ordinariis Dei auxiliis. Sed leviter & ſine conſilio emittendum non eſt tale votum.

Q. 2°. *Qui abſolutè vovit omnia peccata venialia vitare, tenetur-ne vi voti vitare quæ poteſt?*

R. Non tenetur vi voti; quia omnia pecca-

ta venialia unum voti objectum conficiunt. Propter eandem rationem, qui vovit vel jejunare certo die vel Religionem ingredi, ſi neutrum omninò præſtare poſſit, non tenetur ſervare quod ipſi poſſibile ſupereſt, nempe vel abſtinere à carnibus, vel continentiam colere.

Dices: ex regulâ Juris in ſexto, utile per inutile non vitiatur: Ergo qui totum non poteſt, ad partem ejus poſſibilem tenetur.

Diſtinguo conſeq. Quando partes diviſim promiſſæ ſunt, nec intentione voventis conficiunt unum objectum, Concedo: quando collectivè, Nego conſeq. Reſponſio quibuſdam exemplis patefiet. Aliquis vovit abſtinere à carnibus per totam vitam, ſed non potuit quibuſdam diebus, quibus jacuit infirmus, vel ſervare perpetuam virginitatem, quam poſtea ſacrilegio violavit; reliquo vitæ ſuæ tempore abſtinentiam & continentiam ſervare debet; quia in illo voto ſinguli dies non collectivè, ſed diviſim computantur. Sed voverit ædificare Eccleſiam, ſi non habeat pecuniam niſi ad ponenda fundamenta, ad nihil prorſus tenetur; quia partes Eccleſiæ non diviſim, ſed collectivè promiſit.

Inſtabis C. *Quidem* de converſione conjugatorum, conjux qui alterâ parte invitâ religionem profeſſus eſt, non poteſt, vivente conjuge petere debitum, nec eâ mortuâ alias contrahere nuptias: atqui tria Religionis vota, ſcilicet paupertatis, continentiæ & obedientiæ non diviſim, ſed collectivè concipiuntur. Ergo.

Diſtinguo minorem. Concipiuntur collectivè ut plurimùm, Concedo: ſemper & in allato exemplo, Nego minorem. Conjux enim, de quo agitur in illo capite, præpoſtero amo-

re continentiæ religionem profeſſus eſt, ut medium aptum ad ſervandam continentiam, quam primo intendebat, ita ut continentia eſſet principale intentum: profeſſio verò acceſſorium. Porrò ſublato acceſſorio, principale ſervare debet quatenùs poſſibile eſt. Sed vice versâ acceſſorium non trahit ad ſe principale. Hinc qui vovit Religionem primò à ſe intentam, quam ingredi non potuit, non tenetur ſervare continentiam, quæ huic ſtatui annexa eſt. Contra verò qui vovit vel jejunare in cilicio, vel peregrinationem ſuſcipere, nudis pedibus; debet jejunare, vel peregrinationem ſuſcipere, ſi poſſit, quamvis cilicium induere, & nudis pedibus ambulare ſit ei impoſſibile.

Ceterùm ad vitandum errorem, in voti interpretatione duplex figitur regula.

Prima. Votum interpretandum eſt juxta voventis intentionem; namque votum ex ſancto Thomâ, eſt lex privata: Ergo ſicut lex publica juxta legiſlatoris, ſic & votum juxta voventis intentionem explicari debet. Sed ſi clara non ſit voventis intentio:

Secunda regula, interpretandum eſt votum juxta communem verborum intelligentiam & acceptionem. Hinc Sacerdos, qui vovit ſacrum, non ſatisfaceret ſtipendium accipiendo; quia ſecundùm communem intelligentiam & uſum, votum eſt de opere ſupererogationis.

Paragraphus II.

Quotuplex eſt Votum?

R. Triplex; perſonale, reale, & mixtum.

Q. 2°. *Quid eſt votum perſonale?*

R. Eſt votum aliquid agendi per ſe ipſum,

verbi gratiâ jejunandi, peregrinandi, Religionem ingrediendi: Ergo votum illud per alium impleri non poteſt; v. g. non ſatisfacis voto tuo, ſi alius pro te jejunet, aut peregrinationem ſuſcipiat. Ergo hujus voti obligatio non tranſit ad heredes, ut patet ex ejus deſcriptione.

Dices 1°. Circunferuntur quædam hiſtoriæ, animas defunctorum aliquando cum heredibus expoſtulaſſe, quòd vota perſonalia, olim cùm in corporibus degerent à ſe emiſſa, non adimplerent, teſtataſque ſe propterea in pœnis detineri. Ergo.

Nego conſeq. Namque 1°. hiſtoriæ illæ plerumque ſunt aniles fabulæ. 2°. ſint veræ hiſtoriæ, animæ illæ potuerunt & puniri propter præteritam negligentiam in perſolvendis votis; & conqueri apud viventes, qui cùm promiſiſſent ſe pro illis ſatisfacturos, promiſſis non ſteterunt. Sic Innocentius III. cap. *Licet*, tit. *de voto*, monet Hungariæ Principem teneri ſuſcipere peregrinationem Jeroſolymitanam, quam pater ejus olim voverat; *quia*, inquit, *tu, aſſumpto crucis ſignaculo te adimpleturum ſine dilatione quâlibet promiſiſti.* Sed in illâ hypotheſi heredes non tenentur ex voto, ſed ex fidelitate & contractu.

Inſtabis. Ex cap. *Quod ſuper*, eodem tit. ſi defunctus voviſſet peregrinationem ad terram ſanctam, nec ſuſcepiſſet, cogebantur ejus heredes ſolvere ſumptus quos vovens in ipsâ peregrinatione feciſſet. Ergo.

Nego conſeq. quia votum peregrinandi ad terram ſanctam non erat mere perſonale, ſed mixtum imò magis reale, quàm perſonale; cùm peregrinatio illa tenderet ad ſubſidium ferendum Chriſtianis ab infidelibus oppreſſis: ſubſidium autem illud eſt quid reale, & quatenus

à defunćto erat debitum, ſuppleri opportuit heredum expenſis.

Dices 2°. Conſtat ex variis Conciliorum decretis, ut Toletani 4. 6. 19. Vormat. & aliis, diſt. 20. q. 1. relatis, infantes etiam ante uſum rationis à parentibus fuiſſe Monaſteriis ita donatos, ut puberibus factis non liceret egredi, & matrimonium contrahere. *Quicunque à parentibus propriis in Monaſterio fuerit delegatus, noverit ſe ibi perpetuò manſurum; quia nefas eſt, ut oblatis à parentibus Deo filiis voluntatem fræna laxentur. Monachum aut paterna devotio, aut propria devotio facit.* Ergo.

Nego conſeq. Ad antecedens verò variæ ſunt Theologorum reſponſiones. Alii cenſent filios, ſicut poterant à parentibus vendi, ſic potuiſſe monaſteriis in perpetuum donari, ita tamen ut votis non altringerentur, niſi accedente propriæ voluntatis conſenſu; quia votum nullum eſt, niſi ex deliberatâ voluntate proficiſcatur. Alii contendunt omnia illa decreta intelligenda eſſe de filiis, qui jam rationis compotes tacitè vel expreſsè ratam habuerunt oblationem de ſe à parentibus factam: & ſuam ſententiam confirmant tùm ex ſancto Baſil. epiſt. ad Amphil. cap. 18. tùm ex Concilio Toletano ſecundo cap. 1. in quo ſic legitur: *His autem, quibus voluntas propria .... deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolis licentiam auferre non poſſumus.* Tùm ex Concilio Romano, Can. 32, ſub Leone IV. cujus hæc ſunt verba: *Qui inviti, ſine juſtæ offenſionis crimine, Monaſteriis ſunt intromiſſi, niſi volentes non teneantur.* Quod decretum confirmarunt Eugenius II. in alio Concilio Rom. Alexander III. & Clemens III. l. 3. tit. 31. c. 11. & 12.

Dices 3°, Extant in quibuſdam civitatibus

vota perſonalia, v. g. jejunandi, vel à carnibus abſtinendi certis diebus; quæ obligant & præſentes & futuros etiam renitentes. Ergo.

Diſtinguo antecedens. Obligant vi præcepti humani, præſertim accedente conſenſu Epiſcopi, Concedo; legitimâ enim autoritate talis lex imponi poteſt præſentibus & futuris, obligant vi voti, Nego antecedens; quia actio unius non poteſt eſſe materia voti alterius; ſed prior poteſt duntaxat vovere ſe procuraturum ut alter faciat.

Q. 3°. *Quid eſt votum reale?*

R. Eſt votum de re aliquâ, quæ non eſt actio, v. g. de calice offerendo Eccleſiæ, de eleemoſynâ faciendâ. Ergo ſic vovens per alium ſatisfacere poteſt, cùm votum illud directè cadat in bona voventis. Ergo obligatio ejus tranſit ad heredes, ſicut legata & alia debita, C. *Ex parte*, de cenſibus; & C. *ſi heres*, de teſtamentis, in quibus dicuntur heredes cogendi ad ſolvenda vota parentum; non tamen ultra vires hereditatis, ſalvâ quoque legitimâ heredis neceſſariâ, quam defunctus non potuit vovere juxtà illud ſancti Auguſtini, de vitâ Clericorum, quod refertur c. ultimo diſt. 17. qu. 4. *Quicunque vult, exheredato filio, heredem facere Eccleſiam, quæras alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum; imò propitio Deo, nullum inveniet.*

Q. 4°. *Quid eſt votum mixtum?*

R. Eſt votum de re aliquâ ſimul & de actione per ipſum voventem exercendâ; ut votum peregrinandi ad pium locum cum muneribus & donis ibi offerendis. Ergo votum illud eſt ſimul perſonale & reale. Quâ parte perſonale eſt, non obligat heredes, ſed quâ parte eſt reale, obligat. Non tenentur v. g. peregrinationem ſuſcipere, niſi polliciti fuerint, aut hac lege

heredes ſint inſtituti ; at munera ſolvere debent.

Q. 5°. *Quotuplex eſt votum perſonale?*

R. Duplex, ſcilicet ſimplex, & ſolemne.

Simplex eſt promiſſio ſine ſolemnitate Deo facta, putà jejunandi, ingrediendi Religionem, &c.

Solemne eſt traditio & conſecratio ſui ipſius divino cultui ; quod fit per Ordinis ſacri ſuſceptionem, vel profeſſionem in Religione approbatâ. Differunt ergo inter ſe illa duo vota, ſicut ſponſalia, in quibus ſponſi promittunt poteſtatem ſui corporis ; & matrimonium, in quo reverà tradunt.

Non levis hîc movetur difficultas, in quo præcisè conſiſtat voti ſolemnitas ; ad illam enim non videtur ſufficere ſui ipſius traditio, cùm in pluribus ſocietatibus & viri & mulieres cultui divino ſe tradant per vota, quæ nihilominùs ſimplicia reputantur.

Si reſpondeas ſocietates illas non fuiſſe ab Eccleſiâ approbatas, nec inter Ordines Religioſos recenſeri ; rectè quidem ſed opponetur Societas Jeſu, quam Greg. XIII. inter Ordines regulares annumeravit, declaravitque vota, quæ in illâ emittuntur poſt biennium probationis, pro ſimplicibus habenda.

Nec evades, ſi dixeris ideo vota illa non eſſe ſolemnia ; quia etſi profitentes Religioni aſtringantur, Religio tamen non eſt illis aſtricta, cùm poſſit illos expellere, & ſic expulſi matrimonium contrahere, hereditatemque cum fratribus dividere validè & licitè valeant, ſaltem extra Galliam. Namque inhabilitas ad matrimonium contrahendum, & dominium acquirendum, eſt accidentalis votorum ſolemnitati, utpote quæ poſterioribus ſeculis fuerit introducta

jure Eccleſiaſtico, ut monet idem ſummus Pontifex. Ergo dici non poteſt vota illa Soc. Jeſu ideo non eſſe ſolemnia; quia profitentes non efficiunt inhabiles ad contrahendum matrimonium.

Enimverò profeſſio vitæ perfectioris eſt juris divini, à Chriſto commendata, & ab initio naſcentis Eccleſiæ, & deinceps obſervata, ut conſtat ex Scripturâ, 1. Tim. 5. Concil. Carthag. iv. Can. 104. Euſeb. lib. 9. Hiſt. c. 32. Quis neget Monachos, qui ſub ſanctis Pacomio, Baſilio, & Benedicto Deo militabant, verè Religioſos fuiſſe, & vota ſolemnia emiſiſſe? Quidam tamen ex ipſis identidem è Monaſterio ejiciebantur, & ejecti matrimonium ſaltem validè contrahere poterant: Ergo inhabilitas ad contrahendum matrimonium, & dominium acquirendum, non videtur eſſentialis voti ſolemnitati.

Omiſſis variis Theologorum opinionibus, ad hanc difficultatem reſpondemus, ſolemnitatem voti eſſentialiter conſiſtere in traditione ſui ipſius cultui divino, ſimul & in acceptatione per Miniſtrum Eccleſiæ vices Dei gerentem, & nomine ejus acceptantem: cùm enim illa traditio ſit per modum contractûs quemdam ſtatum in Religione Chriſtianâ ſtabilientis, debet ſolemniter fieri. Solemnitas itaque voti duo neceſſariò complectitur, nempè traditionem, & acceptationem. Traditio ſine acceptatione eſt potiùs ſui ipſius oblatio, quàm traditio; ac proinde vota in ſocietatibus, quæ non ſunt ab Eccleſiâ inſtitutæ tanquam ſtatus Religioſi, non ſunt ſolemnia; quia Superior illarum non habet poteſtatem ea acceptandi nomine Dei.

Acceptari autem poteſt illa traditio, vel abſolutè, & veluti irrevocabiliter, ut ſit communiter;

muniter: vel conditionatè, ut in Societate Jeſu. Priori modo inhabilem perpetuò reddit ad contrahendum; ſed hæc ſolemnitas non eſt voto eſſentialis. Poſteriori modo inhabilitatem per ſe non inducit; abſolutè tamen ſufficere poteſt ad conſtituendum votum ſolemne.

Dixi 1°. *per ſe*; nam Scholarium vota in Societate Jeſu matrimonium non dirimebant, etiam manente ſtatu religioſo, ante Bullam Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*, in quâ ſtatuit illos eſſe ad contrahendum inhabiles, antequam à Societate ſint dimiſſi.

Dixi 2°. abſolutè ſufficere poſſe ad conſtituendum votum ſolemne; nam ex uſu Eccleſiæ, votum non cenſetur ſolemne, niſi perpetuam inducat inhabilitatem; unde Gregorius XIII. dicit vota Scholarium Societatis Jeſu eſſe ſimplicia; quia carent ſolemnitate Jure Eccleſiaſtico introductâ.

Sed quis poteſtatem habet acceptandi nomine Dei hujuſmodi traditionem?

R. Veriſimile eſt quòd primis ſeculis Epiſcopi in ſuâ Diœceſi id potuerint, ſaltem accedente tacito Eccleſiæ conſenſu; nec enim priſca cœnobia aliter coaluiſſe legimus. Sed ſucceſſu temporis hoc privilegium reſervatum fuit Summo Pontifici, præſertim ex quo inhabilitas ad contrahendum inducta eſt, & quidem meritò; ipſe enim eſt caput Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, ipſum imprimis repræſentans.

Ex his ſequitur 1°. Votum ſolemne eſſe perfectius ſimplici; quia totum hominem Deo conſecrat. 2°. Peccatum contra votum ſolemne gravius eſſe quàm contra votum ſimplex ceteris paribus, ideoque in confeſſione ſacramentali hanc circunſtantiam explicandam; quia Clericus aut Profeſſus alio longè perfectiori

modo conſtringitur; non enim aliquid duntaxat ad ſe pertinens vovet, ſed totum ſe Deo tradit & conſecrat.

Dividitur rurſus votum in temporale, quod eſt ad certum tempus, & perpetuum; in abſolutum, quod ſine conditione concipitur, ut voveo caſtitatem; & conditionatum, quod fit ſub aliqua conditione, ut voveo caſtitatem, ſi convaluero; nec obligat niſi impletâ conditione. In morale, quod ſpectat ad mores, tanquam ſtimulus ad virtutis ſtudium; & pœnale, quod fit in pœnam alicujus peccati, v. g. juramenti temerè prolati.

Paragraphus III.

Utrùm votum ſit actus honeſtus?

Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 13. diſtinguit inter vota; aliud emittitur tanquam medium utile, vel ad vitandum peccatum, ut ſi ebrioſus voveat abſtinentiam à vino; vel ad officia pietatis expeditiùs obeunda: aliud ordinatur ad cultum divinum, ut vota Monachorum. Fatetur vota primi generis eſſe honeſta, ſcribitque viduas, de quibus Apoſtol. 1. Timoth. 5. eâ mente voviſſe continentiam, ut expeditiùs fungerentur munere Diaconiſſarum; ſed contendit vota ſecundi generis eſſe ſuperſtitioſa & impia: Calvino in hâc parte concinit Lutherus lib. de votis Monachorum.

Petrus Martyr lib. de Cœlibatu & Votis longiùs progreſſus, docet votum pertinere ad cæremonias legis veteris, quibus continebatur populus in pietate rudis, quaſque Chriſtus abrogavit, utpotè pugnantes contra perfectionem legis Evangelicæ; namque vota, ſecun-

dùm hujus Apoſtatæ mentem, 1°. minuunt libertatem, quam Chriſtus nobis aſſeruit. 2°. Supponunt nos per profeſſionem Evangelii, quam in Baptiſmo emittimus, non eſſe perfectiſſimo vinculo Deo obſtrictos; aliàs ridiculus eſſet ſervus, qui cùm totum ſe domino debeat, voveret illi perfectam ſervitutem.

Status ergò controverſiæ non eſt, an votum ſecundùm ſe ſpectatum ſit actus licitus & honeſtus; id enim ultrò concedunt adverſarii, nec diffitentur Deum in Lege veteri multos tradiſſe vovendi ritus, iiſque voluiſſe coli. Catholici quoque non negant ritus illos, qui erant figuræ & umbræ futurorum, cum ipsâ Lege deſiiſſe; nec licere nunc Nazaræorum vota & ſimiles cæremonias obſervare. Sed controverſia in his duobus capitibus tota verſatur, 1°. Utrùm vota ſint adeò legis veteris propria, ut nulla in ſtatu legis Evangelicæ admitti debeant. 2°. Utrùm in hypotheſi quòd admittantur, ſuperſtitioſum ſit illa in Dei cultum convertere. Utrumque affirmant Novatores, Catholici contrà negant. Quare ad propoſitam quæſtionem

R. 1°. Votum eſt actus honeſtus, ſtatui legis Evangelicæ admodùm conveniens.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Marci 10. v. 29. Chriſtus laudat eos, qui propter eum reliquerint domum, patrem, matrem, & agros. Apoſtolus, qui multa pertulit ad abolendum uſum legalium; virginitatis & caſtitatis votum commendat, 1. Cor. 7. & de viduis, quæ illud non ſervabant, ſic ſcribit 1. ad Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Probatur 2°. ex traditione: Conc. Eliberitanum anno 305. de virginibus hæc habet can.

13. *Virgines, quæ ſe Deo dedicaverint, ſi pactum perdiderint virginitatis . . . placuit nec in fine dandam eis eſſe communionem.* Concil. Ancyranum & Carthagin. IV. teſtatur vota fuiſſe in uſu apud Chriſtianos. Sanctus Auguſtinus in illud Pſalmi 75. *Vovete & reddite Domino*, vult verba illa, etſi in veteri lege prolata, ad Chriſtianos pertinere. *Quid debemus vovere? credere in illum, ſperare ab illo vitam æternam, bene vivere ſecundùm communem modum . . . Hoc totum omnes vovere debemus. Sunt etiam vota propria ſingulorum: alius vovet Deo caſtitatem . . . alii virginitatem ipſam ab ineunte ætate vovent. Alii vovent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis advenientibus . . . . alius vovet relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in ſocietatem ſanctorum; magnum votum vovit.* Ergo in mente ſancti Doctoris poſſunt voveri res jam præceptæ, & non præceptæ. Tum multis docet grave eſſe peccatum, ſi votum, quamvis rei priùs liberæ, non impleatur. *Neſcio quæ caſtimonialis nubere voluit? Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia jam voverat Domino Deo ſuo . . . . Quid ait Apoſtolus de quibuſdam quæ voverunt & non reddiderunt?* Habentes, *inquit*, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Ad argumenta Petri Martyris facilis eſt reſponſio.

Ad primum, libertas Evangelii eſt libertas à peccato & à ſervitute legis veteris, non à juſtitiâ, quam docet Evangelium: *Liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*, inquit Apoſtolus Roman. 6. Non à quâcunque cæremoniâ: aliàs ipſi adverſarii nec diem Dominicam obſervare, nec Sacramenta Baptiſmi & Cœnæ retinere deberent.

Ad ſecundum, ſi perfectioni legis novæ,

quam in Baptiſmo amplexi ſumus, vota ſuperaddere non licet, nec Judæis vovere licuit, cùm in lege ſuâ audirent: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ mente tuâ, & ex totis viribus ſuis;* quid enim ultrà addi poteſt? Nihil ſani reſpondebunt adverſarii, quod nobis non faveat, & in illos facilè ſit retorquere: ſcilicet mandata quantumcunque perfecta non implentur niſi mediante voluntate, quæ, cùm ſit libera, vel remiſſiùs vel intenſiùs ad illa eniti poteſt. Propterea ſervus, quamvis omnes operas debeat domino ſuo, nihil abſurdi faciet, ſi ei polliceatur majorem diligentiam, & inſtantius obſequium; nec debitor, ſi ſcripturâ ſe aſtringat ad ſolvendum debitum; nec David ipſe fruſtrà juravit & ſtatuit, Pſalm. 118. cuſtodire judicia Dei, ad quæ jam tenebatur ex præcepto. Addo in lege Evangelicâ nullum eſſe virginitatis præceptum: *De virginibus præceptum Domini non habeo*, inquit Apoſtolus 1. Corinth. 7. Idem dici poteſt de abdicatione bonorum, quæ dicuntur fortunæ. Ergò argumentum Petri Martyris vota virginitatis & paupertatis non attingit, nedum convellat.

R. 2°. Votum eſt actus Religionis, & ad cultum Dei pertinens. Sequitur evidenter & neceſſariò ex præcedenti reſponſione; namque votum ex mox dictis eſt actus honeſtus & ſtatui legis Evangelicæ conſentaneus, fatente Calvino: atqui nec honeſtus foret, nec Evangelio conſentaneus, niſi ad Dei honorem & obſequium ordinaretur: *Neque ipſa virginitas*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. de Virginitate cap. 8. *quia virginitas eſt, ſed quia Deo dedicata eſt, honoratur.* Et Concil. Eliberitanum ſuprà laudatum, conſecrationem vocat propoſitum virginitatis. Enimverò profana fuit virginitas in Veſtali-

bus ; profana voluntaria paupertas in Crate ; profanæ virtutes morales in Philoſophis ; quia eis deerat vera Religio, quæ hujuſmodi virtutes ad Dei honorem & cultum referret. Calvinus ergò pugnantia loquitur, dum laudabile dicit votum, quatenùs inſervit ad componendos mores ; ſuperſtitioſum verò & impium, quatenùs aſſumitur ad colendum Deum.

Confirmatur : Promiſſio eſt teſtificatio quædam noſtræ obſervantiæ, & obſequii erga eum, cui promittimus ; namque per promiſſionem gratificamur alteri : atqui votum eſt promiſſio Deo facta de meliori bono, hoc eſt, de re ipſi gratiſſimâ : ergo votum eſt teſtificatio noſtræ reverentiæ erga Deum, ac proinde eſt verus Dei cultus & actus latriæ.

Objicit Calvinus illud Coloſſ. 2. *Ne tetigeritis, neque guſtaveritis . . . quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundùm præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione :* in Græco habetur, *in voluntario cultu*, quaſi ab hominibus excogitato. Ergo Apoſtolus damnat & rejicit omnem cultum, qui à Deo non fuerit præſcriptus, & ſpeciatim ſuggillat Monachorum vota his poſterioribus verbis, *quæ ſunt rationem* (id eſt ſpeciem) *habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate* (hoc eſt ſui dejectione) *& non ad parcendum corpori*, cui per fictas auſteritates ſubtrahunt neceſſaria ad victum & veſtitum. Ita ferè Beza & alii Calviniſtæ.

R. 1°. Argumento ad hominem : Calvinus & ejus aſſeclæ contra Anabaptiſtas contendunt juramentum, quod ſanè eſt actus Religionis & verus Dei cultus, à Chriſtianis aliquando poſſe aſſumi, licèt ex nullâ novi Teſtamenti Scripturâ colligi poſſit : ergò non omnis volunta-

rius cultus eſt ſuperſtitioſus & damnandus.

R. 2°. Vota Monachorum fundantur in Scripturâ, 1. Cor. 7. Apoſtolus conſulit virginitatem: *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Et ipſe Dominus, Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Et Marc. 10. laudat eos, qui omnia propter ipſum dimiſerint. Ergo vota Monachorum non ſunt hominum inventa, ſed à Chriſto ſaltem quoad ſubſtantiam inſtituta, licèt non præcepta.

R. 3°. Negando conſequentiam, quæ non eruitur ex verbis Apoſtoli, ſed ex læſo Novatorum cerebro. Nam vel ex ipsâ capitis lectione manifeſtum eſt Apoſtolum refutare quoſdam Hæreticos, nempè Simonem Magum, & ejus diſcipulos, qui Angelos Chriſto præferebant, docebantque per eos patere acceſſum ad Deum, & propterea ad eos confugiendum: ſicque novam religionem commenti, docebant vino, carne & venere abſtinendum. Ita S. Clemens Alex. lib. 3. Stromatum. S. Hieronymus epiſt. ad Algaſ. quæſt. 10. S. Auguſtinus epiſt. 149. aliàs 59. ad Paulinum, & alii.

Paragraphus IV.

Utrùm opus ex voto factum melius ſit?

R. Melius eſt ceteris paribus.

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ votum conſulit, & ad vovendum hortatur: conſilium autem & adhortationes ſunt de meliori bono, 1. Corinth. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Pſalm. 75. *Vovete & reddite Domino:* in quem locum ſic ſcribit S. Auguſt. *Non ſitis pigri ad vovendum,*

non enim viribus veſtris implebitis. Et in Pſalm. 131. *Qui te hortatur ut voveas, ipſe adjuvat ut reddas.*

Probatur 2°. triplici ratione, quam urget ſanctus Thomas 2. 2. q. 88. art. 6 Prima, quia opus quod procedit ex præſtantiori virtute, melius eſt: v. g. melius eſt ſublevare pauperem, quàm jejunare, quia miſericordia eſt præſtantior temperantiâ: Atqui opus ex voto procedit ex religione, quæ eſt omnium virtutum moralium præſtantiſſima. Ergò melius eſt operari, v. g. jejunare, caſtitatem ſervare ex voto, quàm ſine voto. Melius eſt, inquam, tùm intenſivè; quia major eſt honeſtas religionis, quàm temperantiæ: tùm extenſivè; quia in illo opere, v. g. jejunio duplex relucet bonitas, ſcilicet religionis & temperantiæ. Secunda: Melius eſt Deo plus offerre, & magis ei ſe ſubjicere: Atqui per votum homo plus offert Deo, & magis ei ſe ſubjicit. Qui enim ſine voto jejunat, v. g. aut caſtitatem ſervat, quendam veluti fructum Deo offert: qui verò hæc præſtat ex voto, & fructum & arborem ipſam conſecrat, inquit S. Thomas poſt S. Anſelmum: Ergo. Tertia: Sicut peccare mente obſtinatâ, aggravat peccatum; ſic benè agere ex voluntate obfirmatâ in bonum, perfectioris eſt virtutis: Atqui per votum voluntas immobiliter firmatur in bonum, æmulaturque pro virili beatorum immobilitatem: Ergo.

Dixi, *ceteris paribus*; nam operari ex voto, ſed remiſsè & ſine charitate, minus bonum eſt quàm operari ſine voto, ſed intenſiùs & cum charitate. Imò fieri poteſt, ut votum nihil conferat ad bonitatem actûs, ſi nempè voto aſtrictus, non agat ex motivo religionis.

Dices 1°. Eodem modo votum pertinet ad religionem, quo juramentum, ut patebit ex

cap. ſeq. Atqui opus ex juramento non eſt melius, quàm opus ſine juramento: Ergò nec opus ex voto.

Reſpondeo 1o. Negari poteſt minor; qui enim promiſſam pecuniam ſolvit ob reverentiam juramenti, quo ſe aſtrinxerat, ex motivo religionis operatur, ac proinde melior eſt ejus actio, tùm intenſivè, quia ex nobiliori motivo procedit: tùm extenſivè, quia in eâ duplex refulget bonitas, ſcilicet religionis & juſtitiæ.

Reſpondeo 2°. negando majorem; quia licèt juramentum & votum ſint actus religionis, ad illam tamen diverſimodè pertinent. Diverſitas autem illa repetitur ex diverſo fine utriuſque actûs. Juramentum quippe per ſe primò ordinatur ad confirmandam humanam veritatem, ſeu fidem datam proximo, cui duntaxat res promiſſa aſſeritur, non Deo, ac proinde ex juramento non redditur ſanctior aut melior ſolutio debiti; v. g. quam creditor vi juramenti à debitore extorquet. At votum (cùm ſit promiſſio Deo facta, & omnis promiſſio fiat in reverentiam & obſequium ejus, cui promittitur.) per ſe primò tendit in Dei honorem & cultum; res quoque per votum promiſſa Deo dedicatur, & quodammodo ſacra efficitur. Hinc votum per ſe primò à religione expetitur, & de eo dantur conſilia: contrà verò juramentum per ſe expetibile non eſt, nec conſulendum; imò prohibetur in novo Teſtamento, nec poteſt evadere licitum & religioſum, niſi præſuppoſitâ verâ neceſſitate: *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*, Matthæi 5. Non ait: malum eſt, nempe juramentum, quod ſimplici affirmationi aut negationi ſuperadditur; ſed, *à malo eſt*, id eſt, ex incredulitate & diffidentiâ al-

terius ortum habet, ſicut bellum, lites forenſes ex alienâ injuſtitiâ. Adhibetur ergo juramentum tanquam remedium ad ſanandam diffidentiam alterius, & terminandam omnem controverſiam; & eatenùs tantùm eſt actus religionis, quatenùs eſt ſolemnis teſtificatio Deum eſſe ſummam & infallibilem veritatem. Sed honorifica illa teſtificatio nihil excellentiæ & bonitatis influit in rem proximo promiſſam, ut diximus, & ſic corruit Achilles Armachani, qui, ut refert Thomas Valdenſis lib. 3. doct. fid. c. 21. docuit actum non fieri meliorem ex additione voti.

Dices 2°. Quod minuit libertatem operantis, minuit quoque bonitatem & meritum operis: Atqui votum minuit libertatem operantis, quia imponit operandi neceſſitatem. Ergo melius eſt non vovere, quàm vovere. *Sic abſtinere vel jejunare debemus*, ait auctor de vitâ contemplativâ libro 2. capite ultimo, *ut nos non vel abſtinendi vel jejunandi neceſſitati ſubdamus.*

Nego 1°. majorem; quia bonitas & meritum actûs præcipuè deſumuntur ex ejus motivo, & ex charitate, ex quâ proficiſcitur. Unde actus ille eſt melior & magis meritorius, qui elicitur ex nobiliori motivo & majori charitate, etiam in hypotheſi, quòd exiret cum minore libertate & indifferentiâ.

Nego etiam minorem, cujus confirmationem diſtinguo: Votum imponit operandi neceſſitatem, neceſſitatem, inquam, finis, quatenùs finis obtineri non poteſt, niſi impleatur votum, ſicut & alia præcepta, Concedo: neceſſitatem actûs, quaſi poſitâ obligatione voti & præcepti neceſſariò determinetur voluntas ad agendum, Nego minorem: nullus enim dixerit præcepta Dei, Eccleſiæ, & cujuſlibet

Superioris, hoc ipſo quo obligant ſubditos, minuere eorum libertatem & meritum. Quin imò opus præceptum ex ſuo genere, & ceteris paribus, melius eſt, quia habet fructum obedientiæ.

Cùm ergo conſilia dicuntur de meliori bono, non comparantur ad præcepta, ſed ad alia bona ipſis repugnantia: v. g. virginitas ad matrimonium, non verò ad humilitatem, obedientiam, charitatem; conſilia enim ſubſerviunt præceptis, & illa ordinantur, ut faciliùs & perfectiùs obſerventur; in præceptorum enim obſervatione conſiſtit vitæ chriſtianæ perfectio. Pluris interdùm quidem facimus, & magis liberum exiſtimamus opus ex conſilio, quàm opus ex præcepto vel voto ſuſceptum; quia qui non operatur niſi urgeat præceptum, præſumitur agere timore pœnæ, potiùs quàm amore juſtitiæ, & quodammodò coactus: quo ſenſu docet ſanctus Thomas intelligendum citatum locum ex libro ſecundo de vitâ contemplativâ. Porro ille defectus tribui debet voluntati malè affectæ, non præcepto aut voto, quod labentem voluntatem excipit, & ad bonum compellit. *Gaude jam tibi non licere*, ait ſanctus Auguſtinus Armentario, epiſt. 127. aliàs 45. *quod cum detrimento tuo liquiſſet: aggredere intrepidus, & dicta imple factis, & ipſe adjuvabit, qui vota tua expetit. Felix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit.*

Inſtabis: Vitanda ſunt peccandi pericula & occaſiones: Atqui vota ſunt pluribus ruinæ occaſio: Ergo removenda ſunt, nedum conſulenda.

Diſtinguo majorem: occaſiones proximæ, vel quæ ad malum per ſe inducunt, Concedo: remotæ, & quas per accidens ſequitur tranſgreſſio, & quorundam ruina, Nego majorem.

Aliàs removendæ eſſent leges tùm divinæ, tùm humanæ : *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.* Rom. 4. Porro obligatio ſervandi voti, non magis exponit peccati periculo, quàm obligatio parendi præcepto & legi.

Urgebis : Apoſtolus 1. Corinth. 7. v. 35. ſic hortatur ad continentiam, ut nolit quenquam ad illam obligari : *Hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam.* Ergo liberum cuique manere debet ſervare continentiam, & alia conſilia, utpotè ad ſalutem minimè neceſſaria.

Confirmatur ; nihil æquè expedit ad ſalutem, quàm ſervare Evangelium, eo modo quo nobis traditum eſt : Atqui admiſſis votis non ſervatur Evangelium eo modo, quo nobis traditum eſt ; per vota enim conſilia evadunt præcepta : cùm tamen Chriſtus illa diſtingui voluerit, & hâc diſtinctione ſecuriùs ſaluti noſtræ conſuluerit : Ergo votis aſtringi non expedit.

Diſtinguo conſeq. liberum cuique manere debet ſervare conſilia antecedenter ad votum, ita ut nullâ lege publicâ & ad omnes ſpectante præcipiantur, Concedo : conſequenter ad votum, quod eſt quædam lex privata, quam utiliter quiſque ſibi imponere poteſt, & reverà ſibi impoſuerunt, quas laudat Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. Nego conſeq. Et hâc diſtinctione patet reſponſio ad confirmationem. Nimirùm Chriſtus in Evangelio non præcepit, niſi quæ ſunt omnibus ad ſalutem neceſſaria. Ex his autem quæ libera reliquit, alia poſſunt Superiores legibus ſuis ſancire, prout ſpectatis circunſtantiis temporum, locorum, & perſonarum expedire videbitur ; alioquin nullæ leges præter Evangelium eſſent admittendæ : alia privatis in

legem ſibi propriam aſſumere licet, ſi iis faciliùs & ſecuriùs ſaluti ſuæ conſulant.

Fatendum tamen eſt & leges Superiorum, & vota privatorum fore in laqueum: leges quidem ſi aut difficiliora præcipiant, aut ſua multitudine onus ſubditis graviſſimum evadant, quemadmodùm de Scribarum præceptis dixit Chriſtus Matth. 23. v. 4. vota quoque, ſi voventes non ſint idonei ad illa implenda, prævideanturque tranſgrediendi pericula non ita remota. Quare ſicut Prælatus non debet quidquam ſtatuere, priuſquàm expenderit regionis mores, ſubditorum indolem, & diſpoſitiones, ſpemque conceperit omnibus perpenſis, plebem facilè obſecuturam, alioquin deſtrueret ubi ædificare intendit: ſic privatus quilibet priuſquàm voto ſe aſtringat, præſertim perpetuo, examinet neceſſe eſt, utrùm Deus hanc perfectionem ab ipſo expetat: *unuſquiſque enim proprium donum habet, unus quidem ſic, alius verò ſic*, 1. Cor. 7. Deinde non ſoleat eſſe conſtans & firmus in propoſito ſemel ſuſcepto, an contra expertus ſit ſe leviter conſilium inire, & mutare: denique num difficilior ſit illi expetita perfectio, tùm propter vitioſos habitus olim contractos, tùm propter multa, quæ extrinſecùs circunſtant, quæ cùm in propriâ causâ per nos ipſos ſatis elucidare non poſſimus, operæ pretium eſt ut nullus voto ſe obliget, ſaltem perpetuo, niſi ex prudentis viri conſilio.

Paragraphus V.

Utrùm votum obliget?

R. De fide eſt votum obligare. Probatur 1°. ex Scripturâ Deuter. 23. *Quod ſe-*

mel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Domino tuo. Eccleſ. 5. *Quodcunque voveris, redde, multòque melius eſt non vovere; quàm poſt votum promiſſa non reddere.* 2°. Ex Traditione. Sanctus Auguſtinus citatâ epiſtolâ 127. ad Armentarium, ſic ſcribit: *Quia jam voviſti, jam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet.* Conc. Eliberit. & IV. Carthag. pœnitentiæ ſubjiciunt mulieres, quæ caſtitatis votum violaverant. Denique in Decreto, & extrà, tit. *de Voto*, plura de voti obligatione habentur. Hanc rationem affert ſanctus Thomas art. 3. quia omnis promiſſio jure naturali obligat: Atqui votum eſt promiſſio Deo facta, cui maximè obligamur: Ergo votum eſt maximè obligatorium.

Q. 2°. *Quanta eſt voti obligatio?*

R. Cùm votum ſit quædam privata lex, & ſpecies quædam contractûs, de obligatione voti judicandum, ſicut de obligatione legis publicæ & contractûs: Atqui lex publica ſicut & contractus in materiâ levi obligant duntaxat ſub peccato veniali; in gravi verò ſub mortali: Ergo pariter obligatio voti in materiâ levi eſt ſub peccato veniali; in gravi verò eſt ſub mortali. Unde Apoſtolus 1. Timoth. 5. de viduis, quæ caſtitatis votum perfregerant, ait: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Sanctus Auguſtinus citatâ epiſtolâ 127. adhortans Armentarium, qui caſtitatem voverat, ſic habet: *Nunc verò, quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam juſtitiam invito, ſed à magnâ iniquitate deterreo.* Et Conc. Eliberit. can. 13. ſubjicit pœnitentiæ uſque ad mortem virgines, quæ, ut loquitur, *pactum virginitatis perdiderant.*

Dices: Violatio voti eſt ſacrilegium, cùm ſit

contra Religionem : Atqui omne ſacrilegium eſt peccatum mortale, etiam in materiâ levi: Ergo & omnis violatio voti.

Nego minorem, ut patet de levi irreverentiâ in loco ſacro.

Inſtabis: Falsò jurare, etiam in re leviſſimâ, ſemper eſt mortale: Ergo & votum violare.

Nego conſeq. ratio diſparitatis eſt, quòd gravis fiat Deo injuria, dum invocatur ad teſtandum id eſſe verum, quod falſum eſt: at cùm votum obliget per modum legis & promiſſionis, lex verò & promiſſio non obligent ſub mortali in materiâ levi, evidens eſt tranſgreſſionem voti in materiâ levi eſſe duntaxat venialem. Ergo qui contra votum dandi in eleemoſynam ſingulis diebus unum aſſem, vel nunquam peccandi venialiter ex propoſito, ſemel aut bis omiſit ſolvere, vel peccavit venialiter ex propoſito; non eſt reus peccati mortalis propter levitatem materiæ : ſecùs, ſi abſolutè decreviſſet à voto totaliter recedere; quia objectum alterutrius voti collectivè ſumptum, eſt materia gravis.

Q. 3°. *Quandonam implendum eſt votum?*

R. 1°. Impleri debet tempore ſecundùm voventis intentionem præſcripto; quia non ſolùm res promiſſa, ſed & tempus præſcriptum eſt materia voti; utrumque enim promiſit.

Quid ſi eo tempore, vel ex impotentiâ, vel ex negligentiâ votum non reddiderit?

R. Vel tempus illud principaliter definivit, v. g. ob ſolemnitatem feſti Corporis Chriſti vovit jejunare ejus vigiliâ : vel definiit tanquam terminum, ultrà quem noluit differre voti executionem : v. g. vovit peregrinari ad locum ſanctum, ſtatim poſt finitam vindemiam. Si primum, non eſt obligatio implen-

di votum termino elapſo, nec etiam præveniri poteſt terminus, ſi prævideatur impedimentum, ſicut non ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam die feſto, qui pridiè vel poſtridiè ſacro intereſt; quia tales actus religioſi præſcripti ſunt in honorem feſtivitatis. Si ſecundum, manet obligatio implendi voti, ſicut & reſtituendi quando reſtitutio facta non eſt tempore definito; quia, ut ſupponitur, definitum eſt tempus, ne differretur voti executio & debiti ſolutio: atque ob eandem rationem præveniri debet terminus, cùm ſecutura prævidetur impoſſibilitas implendi voti, quemadmodum tenetur ſacro intereſſe horâ nonâ, quâ elapsâ, nulla ſpes ſupereſt præcepto ſatisfaciendi. In dubio autem nùm terminus appoſitus ſit ad finiendam obligationem, an non ad differendam, poſſeſſio ſtat pro voto, & in ejus favorem præſumendum.

R. 2°. Si vovens nullum præfixit terminum, ſed abſolutè vovit, v. g. peregrinationem, jejunium, eleemoſynam, votum, quamprimùm commodè moraliter poteſt, debet impleri, niſi cauſa legitima ſubſit; quia res abſolutè promiſſa, ſtatim obligationem parit, & exigi poteſt: atqui Deus ſtatim exigit rem ſibi promiſſam. Deuteron. 23. *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Q. 4°. *Si ea mutatio fiat in materiâ voti, quam ſi prævidiſſet vovens, votum non emiſiſſet, tolliturne obligatio? v. g. vovit quis Eccleſiam ædificare, ſed poſtea res familiaris ſic imminuta eſt, ut jam ſine gravi incommodo ædificare non poſſit.*

R. Vel mutatio eſt ad tempus, vel eſt perpetua. Si primum, ſuſpendit duntaxat obligatio-

nem, v. g. poſtquam corporalis infirmitas deſierit, peregrinationem ſuſcipiet. Si ſecundum, tollit omninò; quia ex dictis votum interpretandum eſt ſecundùm voventis voluntatem: Atqui voluntas voventis non eſt obligare ſe, eâ mutatione interveniente, quâ voti executio redderetur difficilior. Ergo.

Q. 5°. *Quinam voto obligari poſſunt?*

R. Omnes, & ſoli qui rationis ſunt compotes, dummodo votum ſit de materiâ, de quâ diſponere poſſint.

Conſtat ex dictis, ſolos rationis compotes vovere poſſe; quia votum eſt deliberata promiſſio, cujus capaces non ſunt uſu rationis deſtituti. Quod autem poſſint omnes, cujuſcunque ſint ætatis & conditionis, declaratur inductione.

Primò; impuberes, ubi eum rationis uſum attigerunt, quo poſſint peccare mortaliter, voto ſimplici obligàri poſſunt, cùm ſufficienti libertate polleant, nec ullo jure poſitivo inhabiles reddantur, ut monet Gloſſa in cap. *Mulier* 21. q. 2. Hæc ratio à fortiori concludit pro puberibus, quia in eis ratio magis viget. Pubéres autem dicuntur, qui compleverunt ætatis annum decimum quartum, ſi ſint maſculi; & duodecimum, ſi fœminæ.

Nec dicas omnia impuberum vota irritari poſſe à parentibus; nam ſequitur duntaxat vota illa quæ per ſe obligant, tùm non obligatura, cùm irritata fuerint. Unde S. Thomas art. 8. & 9. docet vota ſubditorum non eſſe firma.

Dixi, *voto ſimplici*; quia jure Eccleſiaſtico impuberes inhabiles redduntur ad vovendum ſolemniter, ut colligitur ex cap. *Non ſolùm*, de Regularibus in ſexto, ubi requiritur pubertas ad ſic vovendum. Quin jure novo puberes pro-

feſſionem emittere non poſſunt ante annum decimum ſextum expletum : ita ſanxit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 15. *de Regularibus.*

Secundò, Religioſi voto ſe conſtringere poſſunt ; quia votum eſt actus honeſtus, poteſtque conferre ad perfectionem, quam Religioſi profeſſi ſunt.

Dices : cap. *Monacho* 20. quæſt. 4. dicitur : *Monacho non licet vovere ſine conſenſu Abbatis : ſi autem voverit, frangendum erit.* Et ſanctus Baſilius cap. 28. *Conſtit. Monaſtic.* ſtatuit non licere Monacho aliquid agere aut exequi ſine Antiſtitis ſui ſententiâ. Et hanc rationem præmittit, quia Religioſus nec ad punctum quidem temporis habere debet poteſtatem ſui ipſius. Quod adeò verum eſt, ut vota ante emiſſa per ipſam profeſſionem deſinant obligare. Ergo.

Nego conſeq. ex antecedente enim colligi poteſt duntaxat, 1°. Religioſum, ne temerè & leviter voveat, debere Superiorem conſulere, & ex ejus ſententiâ agere, quod eſt veriſſimum. 2°. Votum non ligare, ubi contradixerit Superior : quod verò prius ligaret, ſatis clarè indicat citatum caput *Monacho* ; ait enim, *ſi autem voverit, frangendum erit.* Ergo priùs extabat voti vinculum, cùm frangi non poſſit, quod nunquam fuit. 3°. Religioſum nec ad punctum temporis habere dominium propriæ voluntatis ; quia ſemper obedientiæ vinculo ſic aſtrictus manet, ut nunquam de ſe abſolutè diſponat, ſed in omni propoſito virtualiter includatur hæc conditio, ſi Prælatus non contradixerit, ut docet ſanctus Thomas art. 8. ad quartum. Porro ſicut poteſt ex privato pietatis affectu, Orationem Dominicam aliquoties recitare, in terram ante Crucifixi imaginem procumbere illæſo obedientiæ voto,

quidni & vovere? 4°. Priora vota per profeſſionem extinguuntur, licèt eidem contraria non ſint; quia ex diſpoſitione Eccleſiæ in aliquid perfectius commutantur.

Tertiò, ſervi & conjuges voti obligationem contrahere poſſunt; quia de nonnullis diſponere poſſunt, abſque cujuſquam injuriâ, verbi gratiâ propriæ ſaluti conſulere quibuſdam pietatis actibus. Ergo illos vovere poſſunt.

Dices: can. *Manifeſtum* 33. cap. 5. de uxore dicitur: *Nulla vota ejus, quæ abſtinentiæ causâ voverit, reddantur ab eâ, niſi auctor vir fuerit permittendo.* Ergo uxor voto non tenetur.

Diſtinguo conſeq. voto quod eſt in præjudicium viri, Conc. nullo voto, Nego conſeq. Agitur enim in illo capite de abſtinentiâ, cui maritus contradicere poteſt, utpotè ſocietati conjugali contrariæ. Excepimus autem in noſtrâ reſponſione vota, quæ fierent à ſubditis in materiâ, de quâ non liceret diſponere abſque Superiorum præjudicio; horum enim nulla eſt obligatio; niſi accedat conſenſus Superioris.

Paragraphus VI.

Utrùm tolli poſſit voti obligatio?

R. Poteſt, & quidem quatuor modis. 1°. Defectu impletæ conditionis. 2°. Irritatione. 3°. Diſpenſatione. 4°. Commutatione.

Q. 2°. *Quare obligatio voti tollitur, ubi non impletur conditio?*

R. Quia votum ex dictis non obligat, niſi ſecundùm intentionem voventis: Atqui vovens noluit obligari niſi ſub conditione à ſe appoſitâ: Ergo ſi non ponatur conditio, voto non tenetur: v. g. vovit quis ingredi Religionem,

vel perpetuum famulatum in aliquâ ſocietate; ſolvitur hujus voti vinculum, ſi non admittitur Monaſterio, vel jam admiſſus in illâ ſocietate, poſtea dimittitur.

Duo tamen hîc ſunt obſervanda.

Primum, ſi primaria & principalis intentio voventis fuerit determinata ad hunc locum, vel ad hanc perſonam, v. g. ingredi hoc Monaſterium vel hunc Ordinem, dotare hanc Eccleſiam ſub tali conditione, dare huic pauperi, &c. liberatur ab obligatione voti, ſi Monaſterium vel Ordo nolit ipſum recipere, ſi Eccleſia illa rejiciat conditionem appoſitam, ſi pauper jam utcunque ſublevatus promiſſi ſolutionem non expetat. Si verò principaliter intendit Religionem ingredi, partem bonorum ſuorum Eccleſiæ vel pauperibus largiri, & conſequenter hoc Monaſterium vel hunc Ordinem, hanc Eccleſiam vel hunc pauperem delegit, adhuc voto ſuo tenetur; quia ſimpliciter & abſolutè voluit ſeipſum vel res ſuas Domino conſecrare. Ita S. Thomas art. 3. ad ſecundum.

Secundum, ſi per dolum, fraudem vel minas voventis non impletur conditio, v. g. de induſtriâ moleſtum ſe exhibet in novitiatu, vel in ſocietate, ut hâc arte dimiſſionem obtineat, manet voti obligatio; quia ipſemet vovens impedit quominùs ponatur conditio, quin factus eſt voti tranſgreſſor & gravis peccati reus, eo ipſo quo ineptum ſe ad ſatisfaciendum reddere voluit.

Q. 3°. *Quæ vota irritari poſſunt?*

R. Quæ ſunt in præjudicium tertii. Talia autem cenſentur, quorum materia, vel cauſa efficiens; nempe perſona voventis eſt ſub poteſtate dominativâ alterius, qui voto non conſenſit; Deus enim non acceptat oblationes cum

alterius injuriâ, ut habetur Eccli. 34. & de votis ſpeciatim, Num. 30. v. 6. *Si contradixerit pater, & vota & juramenta ejus* (filiæ) *irrita erunt.* Et v. 14. *Si voverit* (uxor) *& juramento ſe conſtrinxerit, ut per jejunium, vel ceterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam, in arbitrio viri erit, ſive faciat, ſive non faciat.*

Dixi, *ſub poteſtate dominativâ*, juxta quam unus ita ab alio dependet, ut non poſſit ſine ejus injuriâ de ſeipſo, vel de re ſua, contra ejus voluntatem diſponere, ut famulus de operationibus ſuis, quas locavit. Namque poteſtas juriſdictionis non ſufficit ad irritanda vota, niſi indirectè, quatenùs prohibendo rem, quæ erat voti materia, reddit illam illicitam, & ita indirectè ſolvit voti vinculum: ut ſi Prælatus peregrinationes certo die ad ædem ſacram, in quadam ſylvâ erectam prohibuiſſet, propter ſcandala, quæ ex concurſu populi oriri ſolent, qui eo die illuc peregrinari voviſſet, voto non teneretur, quia eſſet de re illicitâ. Ergo ſummus Pontifex non poteſt irritare omnium fidelium vota; quia non habet poteſtatem dominativam in omnes fideles: quis enim credat cujuſlibet fidelis voluntatem & pecuniam ſummo Pontifici ſic eſſe ſubjectam, ut non poſſit diſponere de ſuâ pecuniâ, & de actionibus quibuſcunque, niſi dependenter ab ejus conſenſu?

Q. 4°. *Quinam ergo poſſunt irritare vota?*

R. 1°. Superiores Religioſorum poſſunt irritare omnia ſubditorum vota, tùm realia, tùm perſonalia, excepto voto ſtrictioris Religionis; quia ex ſancto Baſilio ſupra, & S. Thomâ 2. 2. q. 88. art. 8. Religioſi per votum paupertatis & obedientiæ abdicarunt jus omne diſponendi tùm de rebus quibuſlibet, tùm de ſeipſis, & cuncta in Superiorum poteſtatem tranſtulerunt,

Dixi, *excepto voto ſtrictioris Religionis*; poſſunt enim ad eam tranſire, petitâ & non obtentâ Superiorum licentiâ, ex can. *Licet*, *de Regularibus*. Si tamen ſubſit ſuſpicandi locus propoſitum vitæ perfectioris temerè fuiſſe conceptum, judicium Superioris eſt requirendum, ne, ut dicitur eodem capite, Angelus Satanæ in Angelum lucis ſe transformaverit. Hinc eſt, quòd quidam Religioſi Ordines privilegium à Sede Apoſtolicâ obtinuerint, quo ſubditorum profeſſio in ſtrictiori Religione declaratur nulla, ſine prævio conſenſu Præpoſiti Generalis, vel ſummi Pontificis.

Porrò cùm ſummus Pontifex ſit ſupremus Religioſorum Prælatus, cui non minùs obedientiam ſpondent quàm ſuis Superioribus, à fortiori poteſt irritare omnia eorum vota.

Prælati Regulares habent-ne eandem poteſtatem circa vota Novitiorum?

R. Minimè; quia Novitii adhuc ſunt ſui juris. Poſſunt tamen Prælati ſuſpendere executionem votorum perſonalium, quatenùs impediunt obſervantiam Regularem, manente ſemper voti obligatione, cui Novitius ſatisfacere tenebitur, ſi contingat ipſum non profiteri.

R. 2°. Pater irritare poteſt omnia vota filiorum impuberum, tùm realia, tùm perſonalia, ex canone *Puella* 20. q. 2. Hæc diſpoſitio fundatur in jure naturali, quo filii, quandiù propter rationis imbecillitatem ſeipſos regere non poſſunt, regi debent à parentibus, adeò ut ſine horum conſenſu pacta illorum firmitatem non obtineant. Quemadmodùm autem contractus puberum ante vigeſimum quintum annum initi, per leges civiles reſcindi poſſunt, quia minor ætas non præſumitur ſatis matura ad contrahendum, præſertim de re gravi, qua-

lis eſt immobilis : ſic lege eccleſiaſticâ meritò cautum eſt vota filiorum non fore firma ante annum vel decimum quartum, ſi maſculi ſint, vel duodecimum, ſi fœminæ, niſi accedat conſenſus patris ; cùm Deus ipſe in lege veteri ſimilia ſanxerit, cit. cap. 30. Num. Quod ſi pater ſit defunctus, vel amens, vel longiſſimè abſens, hæc poteſtas tranſit ad avum, deinde ad tutorem : denique ad matrem, in defectum patris, aut tutoris, & omnium aſcendentium in ſextu virili.

Dixi 1°. *Omnia vota impuberum ;* nam pater non poteſt directè irritare vota perſonalia filiorum puberum, v. g. votum ſervandæ caſtitatis, ingrediendæ Religionis, fundendæ longioris orationis, &c. quia in filio majoris ætatis eſt perfectus uſus rationis, ac proinde libertatis, quæ naturaliter homini competit. In eo autem conſiſtit uſus libertatis, quòd homo ſit dominus ſuarum actionum, & de his diſponere poſſit. Contra verò impubes, cùm nondum ſit rationis & libertatis naturalis perfectè compos, non habet plenum dominium ſuarum actionum, nec de iis diſponere poteſt, niſi dependenter à voluntate patris, cum quo una reputatur perſona.

Dixi 2°. *tùm perſonalia ;* nam realia pater directè irritare poteſt ; quia filius vel non habet bona propria ; vel ſi habeat, adminiſtratio eorum, quandiù emancipatus non eſt, penès patrem eſt, exceptis duntaxat bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus : ergo in his votis dependet à voluntate patris, quæ niſi acceſſerit, omninò irritari poſſunt, ſicut & alii ejus contractus reſcindi.

Dicitur 3°. *Pater non poteſt directè irritare vota perſonalia filiorum puberum ;* nam poteſt indirectè, quatenùs eorum executio vergit in præjudi-

cium familiæ, cui præeſt pater, & in quâ jus habet continendi & regendi filium, donec emancipetur.

Illud autem diſcriminis eſt inter irritationem directam & indirectam, quòd prior prorsùs extinguat votum, ita ut obligatio ejus nunquam reviviſcat; quia hæc irritatio directè cadit in votum, efficitque ut non cenſeatur factum, ſi pater contradixerit. Nam in votis directè irritabilibus intelligitur hæc conditio, ſi conſenſerit pater, aut quivis alius habens poteſtatem directè irritandi: conditione autem non impletâ, nulla eſt promiſſio, nulluſve contractus. Poſterior verò irritatio, nempè indirecta, afficit duntaxat materiam voti, ipſo voto il'æſo & permanente. Unde hæc indirecta irritatio eſt potiùs ſuſpenſio executionis, quàm voti extinctio.

Ex his ſequitur 1°. votum ingrediendæ Religionis à filio pubere nondum emancipato emiſſum, poſſe ſuſpendi à patre; quia pater jus habet illum regendi, & operibus ejus utendi, ſed filius major effectus voto ſuo ſatisfacere tenebitur. Idem dicendum de votis perpetuis, v. g. peregrinandi quotannis ad quemdam locum ſanctum, abſtinendi à carnibus toto vitæ tempore; pater enim poteſt duntaxat impedire horum votorum executionem, quandiù ipſi ſunt incommoda. 2°. Vota perſonalia puberis ad tempus minoris ætatis determinata, v. g. peregrinandi, jejunandi, & cetera quæ nocent rei domeſticæ, vel ſubtrahunt filium paternæ poteſtati, per prohibitionem patris prorsùs extingui; quia per illam materia hujuſmodi votorum redditur illicita, utpotè prohibita. 3°. Patrem irritare non poſſe, ſive directè, ſive indirectè, vota perſonalia filii puberis, quæ nullatenùs

detrimentum

detrimentum afferunt ejus poteſtati, quales ſunt breves orationes, conſueta Religionis officia.

Pater poteſt-ne irritare vota perſonalia, quæ filius jam pubes factus ante pubertatem emiſerat?

R. Diſtinguendum eſt: vel filius poſt pubertatem adeptam illa confirmavit, vel non. Si primum, pater irritare non poteſt, niſi indirectè, nempe ſi ei damnoſa ſint, juxtà prædicta; quia votum perſonale puberis non eſt irritabile: Atqui confirmatio voti præcedentis eſt novum votum à pubere emiſſum. Ergo. Si ſecundum, irritare poteſt, addunt nonnulli Theologi, etiamſi filius fuerit emancipatus; quia Vota illa emiſſa ſunt à perſonâ dependente, & cum conditione tacitâ: ſi pater conſenſerit: Atqui pater non conſenſit, imò reſiſtit, ut ſupponitur. Ergo.

Extenditur-ne illa poteſtas ad tutorem?

R. Minimè: quia filius-familias, poſt pubertatem adeptam caret tutore, ſed curatore ſolùm indiget. Hoc autem diſcrimen eſt inter tutorem & curatorem, quòd tutori perſona ipſa impuberis commiſſa eſt; curatori verò bona puberis duntaxat. Quare cùm tutor, adveniente pubertate, deſinat eſſe tutor, & vicarius paternæ poteſtatis, incipiatque eſſe ſolummodo curator, non poteſt irritare hujuſmodi vota, quemadmodùm pater, qui ſemper eſt pater.

Si pater ſemel conſenſerit in votum filii impuberis poteſt-ne illud irritare?

R. Non poteſt directè, & quoad obligationis vinculum; quia conditio incluſa in voto impuberis, nempe, ſi pater conſenſerit, impleta eſt, & votum evaſit perfectum & abſolutum. Poteſt indirectè, & ratione materiæ pertinen-

tis ad jus paternum, & quæ poſſit ipſi damnum afferre; quia confirmatio voti ex hâc parte, eſt quædam licentia duntaxat ad utendum re ſibi ſubjectâ, quæ ad nutum revocabilis eſt, ut colligitur ex C. *Manifeſtum*, 33. q. 5.

Excipe, niſi votum ſit in gratiam tertii, & acceptatum, namque illo inviro pater conſenſum revocare non poteſt.

Tertiò. Domini irritare poſſunt ſervorum vota, quatenus, & non aliàs, vergunt in eorum detrimentum, & debitum obſequium minuunt. Reſponſio facilè intelligitur & probatur ex præcedenti de irritatione & ſuſpenſione votorum, quæ fiunt à puberibus.

Quartò. Maritus poteſt irritare & ſuſpendere uxoris vota, etiam ante matrimonium emiſſa, & uxor viciſſim mariti, quandò nocumentum afferunt ſocietati conjugali, ut longiores peregrinationes, abſtinentiæ, quæ tædium alteri conjugi pariunt, C. *Manifeſtum* 33. q. 5. ut patet ex dictis.

Advertes autem 1°. cùm ad maritum pertineat gubernatio domûs, & adminiſtratio rei familiaris, vir enim eſt caput mulieris, 1. Cor. 11. plura uxoris vota irritare poteſt, aut eorum executionem ſuſpendere, juxta prædicta, quàm uxor mariti. 2°. exceptio peregrinationis Jeroſolymitanæ in ſubſidium terræ ſanctæ, quam vir ſine conſenſu uxoris olim ſuſcipere poterat, ex cap. *Quod ſuper his*, de voto locum hodiè non habet; quia non fiunt hujuſmodi expeditiones. 3°. In his, quæ thorum ſpectant, cùm vir & mulier ſint pares, ex cap. *Gaudemus*, de divort. ſicut enim mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir, 1. Cor. 7. neuter conſummato matrimonio continentiam vovere poteſt ſine alterius

conſenſu. Dico, *conſummato matrimonio*; nam ante conſummatum alter poteſt Religionem ingredi, & in eâ profiteri independenter ab alterius conſenſu, cap. *ex publico*, de converſione conjugatorum ubi dantur duo menſes ad deliberandum. 4°. Ambo conjuges ex communi conſenſu continentiam vovere poſſunt, etiam conſummato matrimonio; atque in hâc hypotheſi neuter debitum petere, aut petenti reddere poterit, niſi obtentâ diſpenſatione propter grave incontinentiæ periculum. Ita Theologi communiter ſentiunt, colligiturque ex C. *Quod Deo*, 33. q. 5. ubi ſic habetur, *Quod Deo pari conſenſu ambo voveratis, uſque in finem reddere ambo debuiſtis; à quo propoſito ſi lapſus eſt ille, tu ſaltem inſtantiſſimè perſevera.* Deprompta ſunt illa verba ex S. Auguſt. ep. 262. aliàs 199.

Q. 5°. *Quid ſi alter conjugum non voverit quidem, ſed alterius voto conſenſerit, poterit-ne revocare conſenſum, quemadmodum ſupra diximus de patre reſpectu filii?*

R. 1°. Non poteſt irritare illud votum; quia, ut jam diximus, vir & mulier, quoad thorum ſunt pares, nec maritus in hâc parte plus juris habet, quàm uxor. Unde Gratianus in C. *Manifeſtum*, 33. q. 5. ſic ſcribit: *Si autem conſenſu alterius eorum, ab altero promiſſa fuerit* (uxor) *& poſtmodum in irritum reddere voluerit, qui promiſit, non valet; quia in debito conjugii æquè mulier poteſtatem habet viri, atque vir mulieris. Atque adeo, ſi quilibet eorum alterum à ſuo jure abſolverit, ad præteritam ſervitutem eum revocare non poterit.* Ergo qui vovit, nec licitè poteſt petere debitum, nec, ſi alteri ſuperſtes fuerit, ſecundas nuptias contrahere.

R. 2°. Certum eſt peccare etiam graviter, ſi ſine causâ conſenſum revocet; ſic enim Deus

ipſe loquitur Num. 3. v. 15. & 16. *Si audiens vir tacuerit .... quidquid voverat* (uxor) *& promiſerat, redde .... ſin autem contradixerit, poſtquam reſcivit, portabit ipſe iniquitatem ejus.* Et ratio eſt, quia non ſine Dei injuriâ res ipſi promiſſa & dicata ad uſus profanos revocatur, ubi nulla occurrit neceſſitas, aut juſta cauſa, qualis eſſet, ſi unus ſine alterius conſenſu continentiam voviſſet: cùm enim votum illud ſit in præjudicium alterius, hic debitum licitè exigere poteſt, & vovens tenetur reddere; quemadmodùm liceret tibi repetere rem tuam, quam aliquis ſine tuo conſenſu Eccleſiæ obtuliſſet, & ad illam tibi reſtituendam compellere poſſes. Sed quæſtio eſt de voto, in quod alter conjux conſenſit, an vovens poſſit debitum reddere exigenti. Itaque

R. 3°. Communior eſt Theologorum ſententia, conjugem in hac hypotheſi non poſſe licitè reddere debitum. 1°. Id indicant laudata ſancti Auguſtini verba, *à quo propoſito ſic lapſus eſt ille, tu ſaltem inſtantiſſimè perſevera.* Et Gratiani, *Si quilibet eorum alterum à ſuo jure abſolverit, ad præteritam ſervitutem eum revocare non poterit.* 2°. Quia qui voto aſtrictus eſt, peccat, ſi contra votum quidquam attentet abſque ſufficiente causâ, quæ illum excuſare poſſit: Atqui conjux, qui vovit continentiam, aſtrictus eſt voto, quod alter irritare non poteſt, ut jam probavimus; nec petitio alterius eſt juſta ratio & cauſa ſufficiens vacandi rebus venereis; cùm ille poſt conſenſum datum jus petendi non retineat. Attamen ſi rixæ propterea orirentur, diſpenſatio à Superiore eſſet requirenda.

Dices: Stante continentiæ voto, ambo remanent conjuges, ac proinde matrimonio licitè uti poſſunt. Hinc Celeſtinus Tertius, cap.

Chariſſimus, de converſione conjugatorum, obligat Reginam Sueviæ ad reddendum debitum conjugale marito petenti, quamvis cum conſenſu illius continentiam voviſſet. Deinde Theologi conveniunt, maritum, qui uxori licentiam dedit vovendi calicem, poſſe revocare conſenſum, quidni & ille, qui conſentit in ejus continentiæ votum?

Reſpondeo ad ſingula.

Ad primum, reverâ conjuges remanent: ſed inde ſolummodò concludi poteſt eum, qui continentiæ votum violat, non eſſe fornicarium aut adulterum.

Ad ſecundum, expreſsè habetur cap. *Chariſſimus*, maritum ad tempus conſenſiſſe in votum uxoris, ac proinde non erat in perpetuum libera à debito reddendo.

Ad tertium, diſparitatem jam attulimus inter votum offerendi calicem & votum ſervandi omnimodam continentiam; prioris quippe materia eſt ſub poteſtate & diſpoſitione mariti, utpote rerum domeſticarum adminiſtratoris & domini. Unde ſicut maritus, qui apud ſe ſtatuiſſet calicem offerre Eccleſiæ, conſilium mutare poſſet, & irritum reddere: ſic & conſenſum uxori datum revocare, & votum exinde ab ea emiſſum irritare. Sed poſterioris voti materia non ſubjacet poteſtati dominativæ mariti; quia, ut diximus, in his quæ thorum ſpectant, ambo conjuges æquales ſunt, & conſenſus mariti in votum uxoris ſe habet veluti contractus duorum, à quo unus reſilire nequit, niſi alter conſenſerit. Uxor autem ſine peccato non poteſt conſentire diſſolutioni ejuſmodi contractûs, & marito remittere jus quod abdicavit, nempe utendi corpore ipſius; quia per votum Deo dicata & obligata manet.

Q. 6°. *Eſt-ne neceſſaria cauſa, ut ſuperior ſubditi votum irritare poſſit?*

R. 1°. Ut licitè fiat irritatio, aliquando cauſa requiritur; quia Superioribus poteſtatem Dominus dedit, non in deſtructionem, ſed in ædificationem, 2. Cor. 13. v. 10. Peccat ergo Superior, 1°. ſi ſine honeſtâ ratione ſubditi votum, cui conſenſerat, irritet. Deinde ſi votum, cui conſenſum non dedit, prudenter ſit emiſſum, ſine ullo ejus præjudicio, & in manifeſtam utilitatem ſive Eccleſiæ, ſive ipſiuſmet voventis, qui alioquin propriæ ſaluti ſatis non conſuleret.

Dixi; *cauſam aliquando requiri;* nam abſolutè loquendo non requiritur; ſed ſatis eſt ad licitam irritationem, quòd confirmandi voti nulla appareat, vel neceſſitas, vel ſufficiens utilitas.

R. 2°. Ut votum validè irritetur, non alia requiritur cauſa, quàm Superioris voluntas; quia, ut ſupponitur, dominus eſt rei, quam ſubditus vovit: quia dominus de re ſuâ pro libito validè diſponit. Ergo hoc diſcrimen eſt inter voti irritationem & diſpenſationem, quòd irritatio ſine juſtâ causâ ſit valida: diſpenſatio verò prorſus nulla. Ergo ſubditus tutâ conſcientiâ parere poteſt & debet ſuperiori votum irritanti, diſpenſanti verò minimè: quod diligenter notandum eſt.

Q. 7°. *Quare ad licitè & validè diſpenſandum, neceſſaria eſt juſta cauſa?*

R. Quia ſuperior diſpenſans non eſt dominus rei vel actionis, quam inferior vovit, ſed ſe gerit duntaxat tanquam Dei interpretem, cui res ſive actio per votum promiſſa & dicata debetur jure naturali & divino. Unde eatenùs diſpenſat, quatenùs perpenſis & levitate, ex quâ votum emiſſum eſt, & nimiâ executionis diffi-

cultate, & ruinæ periculo, quod ſubditus declinare nequit; ſaltem moraliter, auctoritate divinitùs acceptâ, judicat Deum remittere fidem ſibi datam.

Dixi: *& ruina periculo, quod ſubditus declinare nequit, ſaltem moraliter.* Nam ſi voti pœnitens liberè & malâ fide in hujuſmodi anguſtias ſe conjiciat, nec pro virili allaborare velit, ut votum impleat, diſpenſatio ruinæ periculum non amovebit, ſed exaggerabit. Ita Gloſſa in cap. *Non eſt voti*, tit. de voto, *non eſt ſecurus quoad Deum, cum quo Papa diſpenſat, niſi ſubſit cauſa diſpenſandi. Habebit tamen exceptionem quoad Eccleſiam; ſed quoad Deum ſibi allegatio non valebit, ubi judicabitur eo teſte, quo judice.* Et ſanctus Thomas art. 12. ad ſecundum. *In manifeſtis*, inquit, *diſpenſatio Prælati non excuſaret à culpâ, putà ſi Prælatus diſpenſaret cum aliquo ſuper voto de ingreſſu Religionis, nullâ apparente causâ obſtante.*

Q. 8°. *Exiſtit-ne in Eccleſiâ diſpenſandi poteſtas?*

R. 1°. Negat Gloſſa in C. *Non eſt voti*, ubi ſic habet: *Papa in votis non diſpenſat, ſed declarat*, ſcilicet votum in quibuſdam circunſtantiis non obligare; quia vel defuit ſufficiens deliberatio in vovente, vel votum eſt rei illicitæ, aut inutilis, aut majoris boni impeditivæ. Hanc ſententiam amplexi ſunt graves Theologi, inter quos numeratur S. Bonaventura in 4. diſt. 38. quæſt. ult. Et ratio eorum eſt, quia Diſpenſatio definitur, relaxatio juris ab habente poteſtatem legitimè facta: Atqui obligatio voti, cùm ſit juris naturalis & divini, non poteſt relaxari: Ergo in voto nulla poteſt eſſe diſpenſatio propriè dicta, quemadmodùm nec in lege naturali; ſed declaratio duntaxat & explicatio, ubi & quando votum, aut aliquod legis naturalis præce-

ptum, v. g. reſtituendi, eleemoſynam dandi, non obligat. Porrò cùm hæc explicatio poſſit haberi à peritis & ſapientibus, ſequeretur ex illa ſententia in dubiis & difficultatibus, quæ occurrunt circà vota, conſilium à ſapientibus duntaxat expetendum, ſicut & in omnibus aliis dubiis, ac fruſtrà ad Prælati auctoritatem recurri, quod eſt contra univerſalis Eccleſiæ praxim. Quare juxtà communem Catholicorum doctrinam,

R. 2°. Exiſtit in Eccleſia circà vota diſpenſandi auctoritas. Probatur 1°. ex Scriptura Matth. 18. omnibus Apoſtolis dicitur: *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*, Et cap. 16. ſpeciatim ſancto Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* 2°. Ex traditione Eccleſiæ, quæ ſemper uſa eſt hâc poteſtate, ut patet ex toto titulo *de voto*, 3°. ratione; quia ſicut lex generalis patitur diſpenſationem, quando ejus obſervatio, quæ generatim bona eſt, in particulari caſu noxia eſt ſubdito, aut majoris ejus boni impeditiva; ita votum, quod eſt quædam lex privata, diſpenſationem admittit, in quantum ejus materia generatim bona, huic privato in tali caſu non utilis judicatur. *Et ideò*, inquit S. Thomas art. 10. *neceſſe eſt quod determinetur in tali caſu votum non eſſe ſervandum. Et ſi quidem abſolutè determinetur, dicitur diſpenſatio voti: ſi autem pro hoc quod ſervandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti.*

Ceterùm Prælatus relaxans votum, non diſpenſat in jure naturali, ſed tollit id undè naſcebatur jus naturale, nempe votum, quod parit obligationem juris naturalis. Et hoc explicatur exemplo tùm creditoris, qui miſericorditer condonat debitori indigenti; tùm promiſſarii, qui gratis remittit rem ſibi promiſſam.

Neuter per hujuſmodi indulgentiam diſpenſat in jure naturali, ut per ſe patet; ſed creditor extinguit debitum, & promiſſarius reſcindit contractum promiſſionis; unde ſequitur nullam ſupereſſe obligationem, & debiti ſolvendi, & contractûs implendi. Similiter Prælatus nomine & auctoritate Dei, cujus miniſter eſt, & gerit vices, votum juridicè tollit, promiſſionem Deo factam remittit, & conſequenter ceſſat voventis obligatio.

Q. 9°. *Quinam in votis diſpenſare poſſunt?*

R. Jure ordinario ſoli habentes juriſdictionem in foro externo; quia illa diſpenſatio pertinet ad externam Eccleſiæ gubernationem, ſicut indulgentiarum conceſſio, & excommunicandi poteſtas. Unde non requiritur in diſpenſante ſacerdotium, ſicut nec in cenſuras ferente, ſed ſufficit juriſdictio, quæ ſimplici Clerico competere poteſt.

Dixi *jure ordinario;* nam ex delegatione inferiores Clerici diſpenſare poſſunt.

Ex his ſequitur, ſummum Pontificem diſpenſare poſſe in omnibus votis omnium fidelium; Epiſcopum vero & alios juriſdictionem epiſcopalem habentes in votis ſubditorum, iis votis exceptis, quæ ſunt reſervata ſummo Pontifici.

Dices, ex S. Thoma art. 11. Summus Pontifex diſpenſare non poteſt in votis ſolemnibus. Favet tùm caput *cùm ad Monaſterium,* de ſtatu monachali, tùm ratio ipſa naturalis; quia quæ Deo conſecrata ſunt, ut calix, in uſus profanos converti nequeunt. Adde voto Religionis nullum majus eſſe bonum, quod Deo magis acceptum præſumi poſſit: Ergo ſummus Pontifex in omnibus votis diſpenſare non poteſt.

R. Hic quidem oppoſitæ ſunt Theologo-

rum ſententiæ : noſtram , quæ videtur communior , priùs docuit S. Thomas in quartum diſt. 28. qu. 1. art. 4. quæſtiunculâ 1. ad ſecundum , ſed poſteà mutavit citato art. ductus auctoritate laudati capitis *cùm ad Monaſterium*, quamvis in eo legatur duntaxat abdicationem proprietatis , & perpetuam continentiam ita annexam eſſe ſtatui monachali, ut ſine iis etiam ex indulgentiâ ſummi Pontificis ſtatus ille conſiſtere nequeat , quod veriſſimum eſt. Sed ſummus Pontifex ex plenitudine poteſtatis, poteſt extrahere quempiam ex ſtatu monachali ad contrahendum matrimonium , quo & Religio & pax in regno firmarentur ; illud enim cenſetur magis bonum , & Deo magis acceptum. Nec repugnat rem Deo ſacram , propter urgentem & publicam neceſſitatem in uſus profanos converti etiam fatentibus Patronis oppoſitæ ſententiæ ; qui docent in ſimplex caſtitatis votum diſpenſationem cadere , etiamſi votum illud hominem divino obſequio mancipet. Denique cùm votorum ſolemnitas inducta ſit jure eccleſiaſtico, ut paragr. 2. diximus , cur non eodem jure tolli poſſet ?

Q. 10°. *Quænam ſunt Vota ſummo Pontifici reſervata ?*

R. Quinque numerantur, præter ſolemnia , peregrinatio ad loca ſancta Jeroſolymitana , ad limina Apoſtolorum , ad ſanctum Jacobum Compoſtellanum, votum Religionis, & votum caſtitatis. Vota autem illa magis reſervata ſunt ex conſuetudine , quæ habet vim legis , quàm ex ullo Canone aut Decreto. Citatur quidem pro voto peregrinandi Jeruſalem c. *ex multa*, de voto ; ſed ibi ſermo eſt de peregrinatione in ſubſidium Terræ ſanctæ. In extravagante *Etſi Dominicis*, de pœnitentiis & remiſſionibus non

diſpenſatio, ſed commutatio trium prædictarum peregrinationum reſervatur ſummo Pontifici.

Q. 11°. *Omne caſtitatis votum eſt-ne reſervatum?*

R. Minimè; ſed illud duntaxat, quod eſt perpetuum, certum, & abſolutum abſtinendi ab omni re venereâ, idque probatur ex vulgari axiomate, *Odia ſunt reſtringenda, & favores ampliandi;* Atqui reſervatio eſt odioſa & contra jus commune Epiſcoporum. Ergo ſicut caſus non cenſetur reſervatus, niſi actus peccaminoſus fuerit completus & conſummatus; ita nec votum, niſi fuerit plenum & perfectum.

Ergo Epiſcopus diſpenſare poteſt, 1°. in voto ſervandi caſtitatem ad tempus. 2°. Non petendi debitum conjugale. 3°. Non nubendi, ſi intentio voventis duntaxat fuerit vitandi impedimenta ſalutis, quæ ex matrimonio ſolent oriri; nam ſi ex amore caſtitatis intendiſſet abſtinere ab omni re venereâ, votum foret reſervatum. 4°. In dubio an votum ſit reſervatum, v. g. num votum non nubendi emiſſum fuerit ex deſiderio ſervandæ caſtitatis, aut vitandi peccatorum pericula. 5°. In voto ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, cui annexa eſt perpetua continentia. 6°. In voto vel pœnali, v. g. ſi luſero, Religionem ingrediar; vel conditionato, putà, ſi è pugnâ victor rediero, virginitatem colam. Et horum ratio eſt, quia hujuſmodi vota ſunt imperfecta, nec procedunt ex pleno caſtitatis affectu.

Q. 12°. *Quid ſi impletâ conditione votum tranſierit in abſolutum, poterit-ne Epiſcopus diſpenſare?*

R Affirmat Sanchez cum quibuſdam aliis, quos appellat lib. 8. de matrim. diſput. 1°. quia ſpectanda eſt primordialis voluntas, quæ in vovente non fuit undequaque libera, ſed quo-

dammodò extorta : ob quam cauſam plures Theologi docent, Epiſcopum diſpenſare poſſe in voto continentiæ, ſi fuerit emiſſum ex metu injuſtè incuſſo, etiamſi non caderet in conſtantem virum. Sed tutior eſt communis Theologorum ſententiâ negans; quia conditione impletâ votum eſt perfectum. Limitant tamen plures ex his Theologis, ut Henriquez lib. 7. c. 3. & Toletus lib. 4. c. 18. & alii, niſi conditio ſit merè pœnalis; quia votum in illâ hypotheſi potiùs procedit ex timore, quàm ex amore ſervandæ caſtitatis.

Q. 13°. *Poteſt-ne aliquando Epiſcopus diſpenſare in votis reſervatis?*

R. Certum eſt poſſe, ſi adſit diſpenſandi neceſſitas aut ratio, nec pateat facilis aditus ad ſummum Pontificem; quia conſuetudo non habet vim legis, niſi ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, ex cap. *Cum tanto*, tit. de conſuetudine: Atqui hæc votorum reſervatio, quæ ex uſu & conſuetudine repetitur, vergeret in detrimentum & periculum animarum, niſi Epiſcopus aliquando diſpenſare poſſet. Ergo. Attamen quia Epiſcopus ſatis conſuleret ſaluti ſubditorum, ſi ad tempus obligationem voti ſuſpenderet: v. g. ſi liberum uſum matrimonii concederet conjugi voto caſtitatis aſtricto, in illo voto abſolutè diſpenſare non poſſet; ſed conjux poſt mortem alterius conjugis à ſecundis nuptiis abſtinere teneretur.

Q. 14°. *Vicarius Generalis poteſt-ne idem in votis reſervatis, quod ipſe Epiſcopus?*

R. Poteſt, dummodò in illius mandato conceſſa ſit ſpecialis poteſtas diſpenſandi in votis, in quibus ipſe Epiſcopus diſpenſare poteſt; nam poteſtas diſpenſandi non tranſit cum generali mandato. Ex Rebuf. in praxi, tit. de formâ vicariatûs, n. 44.

Q. 150. *Licet-ne commutare votum ſine Superioris auctoritate?*

R. 1°. Certum eſt licere, ſi mutetur in aliud evidenter melius, & ſaluti voventis utilius; quia ut habetur cap. *Pervenit*, de jure jurando, non propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius commutat. Quare qui vovit nubere ad vitandam fornicationem, poteſt propriâ auctoritate, mutato conſilio, vovere ingredi Religionem.

R. 2°. Æquè certum eſt ad commutationem in quid minus requiri Superioris auctoritatem; quia hæc commutatio eſt quædam voti relaxatio & diſpenſatio, quæ ex dictis fieri nequit ſine Prælati poteſtate. Controvertitur ſolùm in ſcholis de commutatione in bonum æquale.

R. 3°. Commutatio voti in bonum æquale fieri non poteſt privatâ auctoritate; tùm quia jura non permittunt privatis commutare vota ſua, niſi in aliquid melius, ut patet ex tit. cap. *Pervenit*, & cap. *Scripturæ*; tit. *de voto*; tùm quia privatus quiſque facilè decipitur in propriâ causâ; æquale quippe aut melius hoc loco potiùs repetendum eſt ex affectionibus voventis, quàm ex voti objecto. Quis enim crederet ſibi liberum eſſe commutare votum jejunandi, aut abſtinendi à carnibus ſingulis vitæ ſuæ diebus, in votum ſimiliter orandi; quia oratio eſt quid jejunio aut abſtinentiâ præſtantius; illud certè melius & Deo acceptius hîc cenſetur, quod ſaluti noſtræ magis congruit, cupiditates noſtras efficaciùs refrænat, & carnem ſpiritui, ſpiritumque Deo perfectiùs ſubjicit. Illud autem naturæ corruptæ magis repugnant, ac propterea difficiliùs experimur. Unde periculum eſt, ne ex illâ naturæ repugnantiâ inclinemur ad judicandum æquale eſſe

bonum noſtræ indoli & propenſioni accommodatum, quod reverà eſt minus, nec æquè Deo gratum.

Q. 16°. *Quinam vota commutare poſſunt?*

R. Qui diſpenſandi habent poteſtatem, ſive ordinariam, ſive delegatam; quia qui poteſt majus, poteſt & minus in eâdem ſpecie ex regula 57. de regulis Juris in ſexto. Atqui majus eſt abſolvere à toto voto, quod fit in diſpenſatione, quàm abſolvere ab ejus parte: porrò qui commutat votum, partem voti duntaxat remittit: Ergo.

Q. 17°. *Mutato ſemel voto reſervato, v. g. caſtitatis perpetuæ, in materiam non reſervatam, putà, peregrinationem, Epiſcopus, vel ab ipſo delegatus, poteſt-ne diſpenſare in illâ materiâ; vel illam commutare?*

R. Poteſt; quia in hâc hypotheſi nulla ſupereſt reſervatio.

Q. 18°. *Licet ne illi, cujus votum commutatum eſt ad prius redire?*

R. Licet; quia commutatio eſt quædam indulgentia, cui vovens renuntiare poteſt.

Q. 19°. *Requiritur-ne cauſa ad commutationem?*

R. Certum eſt requiri, ſi commutatio fiat in minus bonum, alioquin non ſolùm eſſet illicita, ſed etiam invalida. Patet ex dictis de diſpenſatione.

Q. 20°. *Quid obſervare debet Confeſſarius, ſi quando delegetur ei facultas diſpenſandi in votis, aut ea commutandi, ut tempore Jubilæi?*

R. Imprimis attendat neceſſe eſt verba Reſcripti aut Bullæ, ne quidquam præſumat ultrà poteſtatem ſibi conceſſam, v. g. diſpenſare, ubi permittitur ſolùm commutare, vel etiam commutare in opus aliud, vel minus quàm ipſi præſcribatur. Deinde expendat num ſit juſta

diſpenſandi aut commutandi cauſa ; quia ex dictis nulla eſt diſpenſatio aut commutatio ſine ſufficienti causâ. 3°. Attendat quid voventi expediat, ſpectatâ ejus conditione, ætate, inopiâ, infirmitate, &c. 4°. Videat utrùm votum ſit in favorem tertii, ſive privati, ſive Eccleſiæ, & jam acceptatum ; quia ſine illius conſenſu relaxari aut commutari nequit. Denique rationem habeat voti commutandi, ut quantùm ſinit pœnitentis conditio & facultas, opus proportionatum imponat. Ita Concilium tertium Mediolanenſe. *Epiſcopus*, inquit, *in Confeſſarios Sacerdotes interdum admoneat, ut ſi quandò eis licebit pœnitentiam vota commutare, ne ea illi commutent, niſi in alia majora pietatis opera, vel Deo graviora, vel ſaltem quæ tantidem valeant. Quâ in re judicandâ rationem habeant & ſumptuum & laborum & moleſtiarum & omnium denique incommodorum, quæ pœnitentes perpeſſuri erant, ſi votum, quod ſanctè conceperant, re ipsâ præſtitiſſent* ; quæ deſumpta videtur ex Cap. *de peregrinationis voto*, tit. *de voto*, ubi Alexander III. vult cum voto comparandam compenſationem, *an*, inquit, *melior fuerit, & Deo magis accepta : & ſecundùm hoc, habet exinde diſpenſare.*

Q. 210. *Confeſſarius, elapſo Jubilæi tempore, poteſtne commutare votum illius, qui omnia præſtitit ad lucrandam indulgentiam?*

R. Non poteſt, niſi tempore Jubilæi inchoata fuerit voti commutatio, quia poſt Jubilæum non habet juriſdictionem circa votorum commutationem.

Dixi, *niſi tempore Jubilæi inchoata fuerit voti commutatio ;* quemadmodum enim Confeſſarius poſt Jubilæum à reſervatis validè abſolvit pœnitentem, qui vel ea inculpatè oblitus eſt, vel juſtâ de causâ dilatus ; ſic poteſt commutare

vota, quæ tempore Jubilæi, ſive diſtinctè & expreſsè, ſive generatim & confusè commutare voluit, ut ſi capiendi conſilii causâ pœnitentem ad aliud tempus remiſiſſet, vel ſi intendiſſet commutare omnia pœnitentis vota, & poſt elapſum Jubilæi tempus pœnitens exponat, ſe unum ex illis fuiſſe oblitum.

CAPUT VI.

De Juramento.

Paragraphus I.

Quid eſt Juramentum?

R. Definitur, conteſtatio, ſive invocatio divini nominis ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam. *Quid eſt jurare per Deum*, inquit S. Auguſtinus ſer. 180. aliàs 28. de verb. Apoſt. *niſi, teſtis eſt Deus?*

Juramentum autem, ſecundùm etymologiam, à jure deducitur; vel quia jurans, ex ſanćto Auguſtino, cit. ſerm. jus veritatis reddit Deo, cui propriè competit patrocinium veritatis ſuſcipere; vel quia jure introductum eſt, ut homines dicta ſua & facta teſtimonio divino confirment, ut docet S. Thomas hìc art. 1. vel denique, quia quod juratur, pro lege habendum eſt, & veluti jus ſanctè ſervandum, Digeſtis *de Jurejurando*, paragrapho 4. lege quintâ.

Enimverò cùm homines & falli & fallere poſſint, recurrendum fuit ad teſtimonium Dei, quem nihil latet, & qui mentiri non poteſt. In teſtem autem advocatur, non ut hìc & nunc dicti veritatem aliquo miraculo manifeſtet; hoc

enim non fieret ſine peccato, quod dicitur Dei tentatio, ſed quando ei placuerit, ſive in hâc vitâ, ſive in alterâ cùm illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, ut dicitur 1. Cor. 4.

Ergo qui ex quodam iræ aut impatientiæ impetu nomen Dei proferunt abſque ullâ affirmatione vel negatione, propriè non jurant, ſed potiùs blaſphemant, ut infra dicetur; quia jurare eſt alicujus dicti veritatem teſtimonio divino confirmare.

Q. 2°. *Quotuplex eſt juramentum?*

R. Duplex, nempe ſolemne & ſimplex. Primum fit cum aliquâ ſolemnitate, v. g. contactu Evangelii, aut alterius rei ſacræ, ut majori cum deliberatione, reverentiâ, ac timore præſtetur. Secundum profertur abſque ſolemnitate. Si jurandi voluntas verbis duntaxat exprimitur, juramentum dicitur verbale: ſi aliis ſignis, putà manûs elevatione, contactu Evangelii, dicitur reale vel corporale: ſi ad actionem corporalem verba accedant, dicitur mixtum. Si præſtetur in judicio; judiciale nuncupatur: ſi extra judicium, extrajudiciale vocatur.

Q. 3°. *Quomodò Juramentum iterùm dividitur?*

R. Dividitur 1°. in explicitum & implicitum. Explicitum dicitur, quando divinum teſtimonium invocatur expreſsè dicendo v. g. *Deum teſtor*: implicitum verò, ſi invocetur tantùm implicitè, ut in his formulis: *Vivit Deus, per Deum.* Imo neceſſe non eſt exprimi divinum numen; nam qui jurat per Cœlum, per Evangelia, per Templum, per Fidem Chriſtianam, quatenùs Deus in eis præſidet, & relucet; eorum auctorem in teſtem cenſetur adducere, alioquin res hujuſmodi, utpote inanimes, capaces non ſunt ferendi teſtimonii. Sancti quidem ſecun-

dùm ſe in teſtes vocari poſſunt. Sed niſi invocentur quatenùs veritas divina in illis ſpecialiter apprehenditur, non erit juramentum pertinens ad latriam, de quo ſolo hîc loquimur, ſed erit merus duliæ actus.

In his ergo & ſimilibus loquendi modis, ut, *Deus ſcit*, *Deus videt conſcientiam meam, coram Deo loquor; in conſcientia mea*, &c. conſulenda eſt intentio loquentis; nam ut habetur lege 3. Digeſtis de rebus dubiis, *in ambiguo ſermone, non utrumque dicimus, ſed duntaxat quod volumus.* Porrò ſi iſta invocativè pronuntientur, juramenta ſunt, quale eſt illud Apoſtoli, Gal. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior:* ſecùs, ſi enuntiativè tantùm.

Minùs dubiæ ſunt illæ formulæ: *In verbo Sacerdotis; in fide meâ, per fidem meam*, quæ ordinariè accipiuntur de fide humanâ ſine ullo ad Deum reſpectu; quanquam homines rudes plerumque ſe tanquam juramenti temerè facti accuſent, & interrogati à Confeſſario, reſpondeant ſe intendiſſe jurare; unde anxius ille redditur pro Sacramentis perceptis, perſeverante eorum conſuetudine confirmandi levia mandacia hujuſmodi verbis. Sed ſi rem diligentiùs excutiat, deprehendet omnem dicti confirmationem ab iis vocari juramentum, ita ut ſe jurare putent, ſi ſermoni addiderint, *profectò, certè, in veritate;* & ita apud illos duplicis generis ſunt juramenta: alia levia quæ ſub mortali obligare non credunt; alia gravia, in quibus interſeritur nomen Dei; & hæc ſollicitiùs cavenda. Quapropter Confeſſarius peccati mortalis reos non pronuntiabit, qui levia mendacia his formulis confirmare ſolent, niſi Deum in teſtem advocare intendant; ſed curabit ut in poſterum ab iis abſtineant.

Dividitur 2°. in aſſertorium, ſeu conteſtatorium, promiſſorium, & execratorium. Aſſertorium eſt ad aſſerendum præſens vel præteritum, quale illud Apoſtoli: *Ecce coram Deo, quia non mentior*. Promiſſorium eſt ad confirmandum quod promittitur, & reſpicit futurum, ut ſi quis juramento ſe aſtringat ad ſolvendam pecuniam; ſi ad pœnam inferendam, dicitur comminatorium. Execratorium fit per imprecationem, quando ſcilicet Deus in teſtem ſimul & vindicem advocatur, ſi falſa ſit noſtra aſſertio, ſi promiſſis non ſteterimus. Sic Apoſtolus 2.Corinth. 1. v. 23. *Teſtem Deum invoco in animam meam*, id eſt, *puniat me, ſi mentior*. Sic Abner 2. Reg. 3. *Hac faciat Deus Abner, & hæc addat*. Sic & nos interdum: *Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia;* hoc eſt, *niſi ita ſit, Deus me non adjuvet, & hæc ſancta Evangelia ſtent contra me*. Cùm autem execrationes illæ ex irâ proferuntur, ſæpiùs blaſphemiæ ſunt, quia nomen Dei ſive Sanctorum, & ſacra noſtra myſteria contumelioſè pronuntiantur. Sed de his infra.

Paragraphus II.

Utrùm Juramentum ſit licitum, præſertim Chriſtianis?

Negarunt Pelagiani, ex ſancto Auguſtino epiſt. 57. aliàs 89. Valdenſes, ex Caſtro hæreſi primâ; Wiclefus ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. ubi inter ejus errores damnatur quadrageſimus-tertius, quo aſſerebat juramentum licitè non adhiberi ad roborandos humanos contractus. Anabaptiſtæ etiam nunc abſtinent ab omni juramento, propter illud Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omninò*,

Et Jac. 5. *Ante omnia, fratres, nolite jurare.* Unde Tertullianus libro de idolol. cap. 11. *Tacet de perjurio, quando nec jurare quidem licet.* Sanctus Hieron. in cap. 5. Matth. ſanctus Baſil. in Pſal. 14. S. Chryſoſt. hom. 5. in Gen. docent Judæis tanquam parvulis permiſſum jurare per Deum, ſicut dare libellum repudii; Evangelicam autem veritatem non recipere juramentum, cùm omnis ſermo fidelis pro juramento ſit. Nihilominùs

R. Conſtans ſemper fuit Eccleſiæ doctrina; juramentum eſſe actum licitum & religioſum, etiam Chriſtianis, modò conditiones concurrant.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis.* Jer. 4. *Jurabis: Vivit Dominus.* Ibi certè juramentum non permittitur ad duritiam cordis; ſed laudatur & conſulitur tanquam actus Deo honorificus. Apoſtolus non ſemel juravit, 2. Cor. 1. *Teſtem Deum invoco*, Gal. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* 2. ad Timoth. 4. *Teſtificor coram Deo & Chriſto Jeſu.* Unde ſanctus Auguſtinus laudato ſermone 180. aliàs 28. de verbis Apoſtoli: *Invenimus Sanctos juraſſe, juraſſe ipſum Deum, in quo non eſt peccatum.*

Probatur 2°. ex Traditione, & praxi univerſalis Eccleſiæ. Tertull. lib. de idolol. cap. 20. *Quis, per quos dejerat, non honorat?* ſanctus Hieron. in cap. 5. Matth. *Qui jurat, vel amat, vel veneratur eum per quem jurat.* Sanctus Auguſt. cit. ſerm. 180. & epiſt. 157. & lib. 1. de ſem. Domini in monte cap. 31. multis probat doctrinam catholicam: & cap. 17. *Et quid ſanctius hâc juratione? ſed non eſt contra præceptum juratio*, &c.

Probatur 3°. ratione; quia ex ſancto Thomâ art. 4. *Hoc ipſo quòd homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, cujus veritas eſt indefectibilis, & cognitio univerſalis. Et ſic Deo reverentiam exhibet. Unde & Apoſtolus dicit Heb. 6 quod homines per majorem ſe jurant; Philoſophus etiam dicit 1. Metaph. quod juramentum eſt honorabiliſſimum.* Eſt quippe ſolemnis profeſſio ſummæ excellentiæ ejus, per quem juratur, ac propterea talis honos ſine crimine idololatriæ deferri nequit ei qui non ſit Deus.

Ergo, inquies, expetendum eſt quàm ſæpiſſimè jurare, ſicut & orare & adorare; cùm in hujuſmodi actibus refulgeat latria & ſummus Dei honos.

Reſpondeo 1°. ſicut malè & indecenter aliquis oraret, voveret, ſacrificaret ad obtinenda bona temporalia ſuperflua, & ad ſalutem æternam minimè conducentia, impiè Scripturam ſacram ad vana & ſcurrilia converteret: ſic temerè ſanctum & terribile Dei nomen aſſumeret ad confirmanda ſua dicta, ſi rei gravitas & neceſſitas id non poſtularent.

Reſpondeo 2°. negando ſequelam & paritatem. Namque oratio, votum & ſacrificium primò & per ſe ad Deum ordinantur, tanquam ad primum rerum omnium principium, & ultimum noſtrum finem, quem totis votis & in omnibus orationibus appetere & quærere debemus; ſecundariò verò ad obtinenda præſentis vitæ ſubſidia, tanquam media ex Dei ordinatione utilia ad vitam æternam conſequendam. Juramentum contra directè tendit ad fidem faciendam eorum, quæ dicimus, & firmandas noſtras promiſſiones. *Omnis controverſiæ finis*, inquit Apoſtolus Heb. 6. *ad confirmationem eſt juramentum.* Ergo quemadmodùm non ſine irre-

verentiâ multiplicarentur orationes, vota, & ſacrificia pro vanis & ſuperfluis adipiſcendis; ſic nec juramenta pro talium confirmatione.

Confirmatur reſponſio ex ſancto Auguſtino libro 1°. de ſermone Domini in monte c. 30. ubi ſic ſcribit: *Qui intelligit non in bonis, id eſt, per ſe appetendis, ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrænet ſe quantùm poteſt, ut non eâ utatur, niſi neceſſitas cogat.* Et lib. 1. de mendacio cap. 15. *Præceptum Domini in prohibitione juramenti ad hoc poſitum eſt, ut quantùm in te eſt, non affectes, non quaſi pro bono cum aliquâ delectatione appetas jusjurandum.* Sanctus quoque Thomas art. 5. comparat juramentum medicinæ ad ſanandum efficaci. *Et tamen*, inquit ad tertium, *quantò virtuoſior, tantò magis nocumentum inducit, ſi non debitè ſumatur.*

Ex his patet reſponſio ad fundamenta hæreticorum.

Ad primum, Matth. 5. & Jac. 5. omne juramentum prohibetur, ſicut alibi vetatur omne opus ſervile die Sabbati, nempe excepto caſu neceſſitatis, in quo utrumque licitum eſt & honeſtum.

Ad ſecundum, non ea Patrum laudatorum mens eſt, Judæis indultum fuiſſe, ut jurarent abſque neceſſitate; id enim rationi naturali repugnat, & identidem prohibuerant Prophetæ, Jerem. 4. v. 2. Eccli. 23. v. 10. ſed docent Moyſen ad duritiam cordis eorum præſcripſiſſe duntaxat, ne per falſos Deos, ſed ſemper per Deum verum jurarent; ita tamen ut nunquam ſanctum illud nomen falsò aſſumerent. Unde Scribæ & Phariſæi malè concludebant, 1°. Ad cultum Dei pertinere, ſi nomen ejus frequentiùs aſſumerent ad confirmandam quamlibet veritatem, etiamſi vanè & ſuperfluè. 2°. Juramenti ſa-

cramento non aſtringi nec perjurii reos eſſe, qui per creaturas, v. g. per templum aut altare jurarent, Matth. 23. Avaritia tamen cogebat excipere aurum gazophylacii & dona in templo oblata, utpote quæ cederent in uſus Sacerdotum; è quorum numero plerumque erant Scribæ & Phariſæi. Utrumque errorem Chriſtus ſuâ lege amputat, Math. 5. his verbis: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum.... neque per caput tuum*, &c. Cùm enim creaturæ ſint ſymbola veritatis, potentiæ & ſapientiæ Dei, per quem ſubſiſtunt, toties per Deum jurare cenſemur, quoties illas ad fidem faciendam appellamus.

Inſtabis; laudati Patres nullum caſum excipiunt, in quo jurare liceat. Ergo reverà nunquàm jurare licet.

Nego conſeq. Ideo enim generatim & abſque exceptione loquuntur, quia reprehendunt homines ad jurandum propenſos & aſſuefactos, quos non opportebat docere ubi & quando jurare deberent; ſed in perverſam eorum conſuetudinem acriùs invehi.

Urgebis; S. Hieronymus citato loco, excludit omnem exceptionem: ait enim quòd omnis ſermo fidelis pro juramento ſit. Ergo.

Nego anteced. cujus confirmationem diſtinguo, ſi fidelis ſit probatæ integritatis, quam lex Evangelica exigit. Conc. ſecùs, Nego. Enimverò ſancti viri nec fallere volunt, nec de ſe invicem malè ſuſpicantur, ac proinde nulla inter eos ſolet eſſe juramenti neceſſitas & honeſtas. *Quod amplius eſt*, ait Chriſtus, *à malo eſt.*

Hinc facilè reſolvitur quæſtio, nùm melius ſit jurare, quàm non jurare. Cùm enim juramentum non ſit per ſe expetendum; ſed ex ne-

ceſſitate duntaxat adhibendum, melius eſt abſolutè non jurare, quàm jurare, ſicut abſolutè melius eſt medicinâ non indigere. Sed hypotheticè & ſuppoſitâ neceſſitate, ſive charitatis, ſive obedientiæ, quæ debetur Superiori juramentum exigenti, non ſolùm melius eſt uti juramenti remedio, ſed ſine peccato in his circunſtantiis omitti non poteſt.

Paragraphus III.

Quot conditiones requiruntur ut juramentum ſit licitum?

R. Tres, ex Prophetâ Jeremiâ cap. 4. verſ. 2. *Et jurabis, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitiâ.* Et cap. *Etſi Chriſtus*, de jurejurando: *Ad juramentum non debet quemquam ſpontanea voluntas inducere, ſed neceſſitas trahere importuna. Et tunc potes ſine culpâ jurare, dummodo illos tres comites habeat juramentum, de quibus Propheta ait, jurabunt, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitiâ.*

Ad veritatem requiritur, ut jurans non levi conjecturâ, ſed prudenter judicet verum eſſe quod jurat: ad juſtitiam, ut juramentum fiat de re licitâ: ad judicium, ut ſanctum Dei nomen non aſſumatur temerè; ſed cum reverentiâ & in ſolo neceſſitatis caſu. Si vel una ex his conditionibus deſit, juramentum eſt peccatum contra Religionem.

Q. 2°. *Quotuplici modo juratur contra veritatem?*

R. Triplici, 1°. Quando jurans affirmat tanquam verum, quod putat eſſe falſum, aut ſaltem, de quo certus non eſt: 2°. Quando promittit aut minatur, quod implere aut facere non

non intendit. 3°. Quando promiſſis juramento ſincerè firmatis non ſtat abſque legitimâ causâ. Juramentum in quâlibet ex his circumſtantiis præſtitum, eſt perjurium propriè dictum; nam in jure perjurium quandoque latius ſumitur, pro quolibet juramento illicito, quo ſenſu hic non accipitur.

Q. 2°. *Quot ſunt cauſæ, propter quas juramentum promiſſorium abſque perjurii periculo non impletur?*

R. Quinque numerantur.

Prima, ſi juramentum ab initio fuit irritum & nullum; quia quod nec eſt, nec fuit unquam, nullum poteſt habere effectum, nullamque parit obligationem.

Juramentum autem quatuor modis poteſt eſſe irritum. 1°. Si factum ſit per errorem & dolum, ſine quo non fuiſſet emiſſum: quia omne juramentum debet eſſe voluntarium: quod autem fit præter intentionem, voluntarium non eſt. Ergo error aut dolus, qui fuit jurandi cauſa, tollit veritatem juramenti; ſecus, ſi non fuerit cauſa. Utriuſque erroris diſcrimen patebit, exemplo illius, qui juravit ſe eleemoſynam daturum Caio, quem pauperem & pium credidit. Si Caius pauper reverâ non ſit, juramentum nullum eſt; quia deceptio fuit juramenti cauſa: ſed ſi Caius paupertati, quâ premitur, pietatem non adjungat, verum eſt juramentum, paritque obligationem; quia ſine illo errore nihilominùs fuiſſet datum quamvis minùs promptè & minus alacriter. 2°. Si juramentum ſit de re impoſſibili; quia ad impoſſibile nemo tenetur. Attamen ſi res illa ſit diviſibilis, pars ejus poſſibilis implenda eſt: namque utile per inutile non vitiatur, ut ſuprà diximus de voto. 3°. Si ſit de re illicitâ; juramentum enim non eſt in-

ſtitutum ut ſit vinculum iniquitatis C. *Quanto*, de Jurejurando. Et ex regulâ 58. Juris in 6°. nullus obligari poteſt ad peccandum. Hinc non obligat juramentum ejus qui promiſit latroni ſe illum non denuntiaturum Judici, in hypotheſi, quod bonum publicum denuntiationem poſtulet. Item, qui contra promiſſionem honeſtam, vel aliud præcedens juſtum juramentum, vel contra legem divinam, Eccleſiaſticam, aut civilem juravit, niſi illa lex civilis ſit in illius gratiam, cui ſine peccato renuntiare poſſit. Vide quæ ſuprà diximus de contractibus in genere, an & quomodo juramento confirmari poſſint. 4°. Si juramentum ſit de re prorſus indifferenti; quia Deus non acceptat actiones, quæ in ejus cultum & gloriam referri non poſſunt. Si tamen res indifferens ex objecto ad honeſtum finem ordinetur; vel ex circunſtantiis utilis ſit alicui tertio, cui jurans gratificari voluit, juramentum obligat: v. g. aliquis juravit hanc domum ſe non ingreſſurum causâ vitandi peccati; vel aliam, quàm Caii officinam, non frequentaturum; perjurus eſt, non ſervatâ fide, quæ eſt de re honeſtâ propter finem & circunſtantias.

Dices 1°. Levit. 5. habetur: *Anima quæ juraverit, ut vel malè quid faceret, vel benè .... oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam.* Ergo juramentum de re illicitâ obligat.

Nego conſeq. namque eo loci non agitur de malo culpæ; ſed de malo pœnæ, adeò ut malè facere idem ſit, ac affligere ſe v. g. jejuniis, vel corripere ſubditos delinquentes.

Inſtabis: Joſuë confirmavit fœdus cum Gabaonitis propter jusjurandum: Atqui juramentum illud fuit de re illicitâ, Deut. 7. v. 2. & per errorem factum, Joſuë c. 9. Ergo juramen-

tum de re illicitâ, & per errorem factum obligat.

Nego minorem quoad primam ejus partem: lex enim Deut. intelligenda eſt duntaxat de gentibus, quæ & ſuperſtitionibus ſuis adhærerent; & terram Chanaam cum Judæis dividerent; ut patet ex contextu capitis. Gabaonitæ autem cultum veri Dei amplectuntur, & Judæorum dominationi ſe ſubjiciunt, mortem tantummodò deprecantur. Poterat quidem Joſuë non ſtare promiſſis per dolum extortis; ſed juramenti reverentiâ, divinitus fortè inſpiratus, fidem leviter datam ſervavit, lubenſque confirmavit, eâ tamen conditione, quòd aquam & ligna ad uſus tabernaculi miniſtrarent. Hi ſunt Nathinæi: de quibus 1. Paralip. cap. 9. v. 2. & 1. Eſdræ cap. 8. v. 27. Porro tanta olim erat juramenti religio, etiam apud ethnicos, ut nequidem illud interpretari præſumerent, teſte Livio, lib. 3. ubi ſic ſcribit: *Nondum hæc, quæ nunc tenet ſæculum, negligentia Dei venerat; nec interpretando ſibi quiſque jusjurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potiùs mores ad eas accommodabat.* Quod & de Gallis aſſerit S. Bernardus epiſt. 219. *Probro ducitur*, inquit, *apud Francigenas juramentum ſolvere, quamlibet malè publicè juratum ſit; quamvis nemo ſapiens dubitet illicita juramenta non eſſe tenenda.*

Dices 2°. Solus error ſubſtantialis ſeu perſonæ irritum reddit matrimonium: Ergo & juramentum.

Nego conſequentiam & paritatem; quia cùm matrimonium ſit ſtatus firmus & perpetuus, qui illud contrahit, abſolutè conſentit in illam perſonam, nec ex jure, nec ex uſu communi ſubintelligitur ulla ex his conditionibus, duco illam, ſi ſit nobilis, dives, virgo, primoge-

nita, &c. aliàs nulla eſſent firma matrimonia. At in juramento promiſſorio, ſicut & in voto, hæ conditiones ſecundùm Canones & communem uſum intelliguntur, ſi potuero, C. *Querelam*, de Jurejur. niſi res notabiliter mutetur, C. *Veniens*, & C. *Quemadmodùm;* niſi promiſſarius remiſerit, niſi ſuperior irritaverit, aut diſpenſaverit, C. *Venientes*, & C. *ad noſtram*.

Secunda ergo cauſa, propter quam juramentum promiſſorium non ligat, eſt notabilis mutatio, quâ prævisâ juratum non fuiſſet, ex C. *Quemadmodùm*, de jurejurando, ubi ſponſus declaratur liber à ſponſalibus juramento confirmatis, propter ſubſequentem ſponſæ fornicationem, paralyſim, visûs amiſſionem, &c. quia, inquit Gloſſa, in juramento juſtæ conditiones intelliguntur, quamvis non apponantur.

Sed quid ſi fornicatio & alia incommoda juramentum præceſſerint?

R. Diſtinguendum eſt. Vel ignorabat jurans, & in hac hypotheſi non tenetur juramento, vel noverat, ut ſupponitur citato C. *Quemadmodum*, tuncque promiſſis debet ſtare; quia, ut ait Gloſſa, ex quo probavit alterius mores; non poteſt poſtea reprobare.

Ceterùm, quia nonnunquam facile non eſt dijudicare num mutatio ſit ſufficiens, vel error cauſam juramento dederit, jurans nihil determinabit inconſulto viro prudente, imò Confeſſarius ipſe in dubio recurret ad judicium Epiſcopi, cujus eſt juramenta juridicè interpretari.

Ex his patet quid ſentiendum ſit de juramentis, quibus parentes ſe aſtringunt punire filios delinquentes: vel enim fuerunt leviter emiſſa, dum ſcilicet filii pœnam non merebantur: vel

reverâ puniendi erant, ſed minis territi ſic mores correxerunt, ut punitio plus nocitura, quàm profutura videatur. Namque in neutro caſu juramentum obligat: in primo quidem, quia eſt irritum; utpote de re illicitâ: in ſecundo verò, quia evidens eſt notabilis mutatio.

Tertia cauſa excuſans à perjurio, eſt condonatio ſeu remiſſio ejus, in cujus gratiam factum eſt juramentum; quia per illam remiſſionem res promiſſa non eſt amplius debita; ſed habetur pro ſolutâ; ac proindè jurans cenſetur ſatisfeciſſe ſuo juramento. Ita ſanctus Thomas art. 9. ubi advertit juramentum promiſſorium aliquando fieri Deo potiùs, quàm homini, ut ſi quis juramento promittat alteri ſe ingreſſurum Religionem, pœnitentiam acturum; docetque tale juramentum non poſſe ab homine condonari; quia non ad illum, ſed ad Deum dirigitur.

Hinc ſolvitur quæſtio, nùm juramentum promiſſorium obliget, quandiu acceptatum non eſt. Si enim in gratiam & commodum alterius ſit factum, non obligat, ſicut nec quævis promiſſio: ſecùs, ſi in Deum directè tendat: quia tunc habet rationem voti.

Quarta cauſa jurantem eximens à perjurio, eſt irritatio facta ab eo, qui poteſtatem dominativam habet in jurantem: quemadmodum enim regularis Superior poteſt irritare etiam ſine cauſâ ſubditorum vota, pater filiorum, maritus uxoris, dominus ſervi; ſic & juramenta iidem irritare poſſunt. Conſule quæ ſuprà diximus de voti irritatione.

Quinta & ultima cauſa, propter quam licet non ſtare juramento promiſſorio, eſt diſpenſatio aut commutatio.

Dices, præter quinque recenſitas cauſas,

ſexta eſt admittenda, nempe vis & gravis metus: ſi enim metus cadens in conſtantem virum, non minùs quam error & ignorantia, tollit obligationem voti, quidni & juramenti? Ergo.

Nego anteced. ad cujus confirmationem, Reſpondeo, ignorantiam ſubſtantialem & invincibilem jure naturali irritum reddere votum, juramentum, & quemlibet contractum; quia prorſus tollit voluntarium, & liberum, ut patet ex dictis ubi de actibus humanis; metus verò, quandiù non aufert uſum rationis, nec voluntarium, nec liberum perimit. Unde actus ex illo eliciti humani ſunt, & naturaliter obligant, niſi aliquâ lege poſitivâ irritentur. Porro Canones irrita reddunt vota ex metu facta, juramenta verò minimè, ſed ſervanda docent, niſi ſint de re prohibitâ & illicitâ. Sic cap. *ad Audientiam*, de iis quæ vi & metu, qui graviſſimo Regis metu coactus juraverat ſe reſignaturum Canonicatum, reſignare tenetur, ſed poſt reſignationem repetere poteſt; quia, inquit ſummus Pontifex, quæ vi, metûſque causâ fiunt, carere debent robore firmitatis. Et cap. *Debitores*, de jurejurando, de iis qui cum juramento promiſerunt ſolvere uſuras, ſic loquitur Alexander III. *Cogendi ſunt Domino reddere juramentum, & cùm uſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas, ſunt Eccleſiaſticâ ſeveritate (ſi neceſſe fuerit) compellendi.* Cap. *Si verò*, idem Summus Pontifex agens de juramento metu extorto ſic habet: *Non eſt tutum quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur. Verùm aliquando in Romanâ Eccleſiâ à pluribus præde-*

ceſſoribus noſtris factum eſſe recolitur, quòd Clerici, qui coacti Miniſterium Eccleſiæ abjurarunt, de juramento abſolutionis beneficium meruerunt. Denique cap. *Quemadmodùm*, eodem titulo, ubi agitur de viro, qui juravit ſe non accuſaturum uxorem de adulterio, ſic decernit Innocentius III. propter juſjurandi religionem vir accuſare deſiſtat uxorem ad divortium celebrandum, ſed denuntiare eam poteſt ad pœnitentiam peragendam, quia patronus eſt turpitudinis, qui celat crimen uxoris, & temerarium eſt juramentum, ſi vir juret uxori, quòd eam ſuper nullo crimine accuſabit.

Ubi advertes diſtinguendum inter crimen commiſſum & crimen committendum; namque de primo paciſci licet, ne de eo agatur, juxta Gloſſam: de ſecundò verò pactum non valet, quia per hujuſmodi pacta invitantur homines ad peccandum impune. Hinc qui juravit latronibus viam publicam obſidentibus ſe non denuntiaturùm; & inſuper centum aureos ad quendam locum allaturum, primam juramenti partem ſervare non debet, quia eſt de re illicitâ contrà publicam utilitatem, & illud Evangelii, *dic Eccleſiæ*: alteram verò partem adimplere tenetur; quia in eâ nihil illicitum.

Nec dicas, promiſſionem illam eſſe nullam, utpote injuſtè extortam; non enim tenetur vi promiſſionis aut juſtitiæ titulo; ſed juramenti religione. Poteſt tamen ſolutam pecuniam repetere, vel ante ſolutionem à juramento per diſpenſationem abſolvi. Sed de diſpenſatione & commutatione juramenti, nonnulla occurrunt ſeorſim examinanda. Sit itaque

Paragraphus IV.

Utrùm ſit in Eccleſiâ poteſtas diſpenſandi in juramentis, vel ea commutandi?

R. 1°. Certum eſt nullâ poteſtate fieri poſſe diſpenſationem aut commutationem juramenti aſſertorii; quia juramentum aſſertorium ſpectat ſolùm rem vel præteritam, v. g. Petrum fuiſſe in horto cum Chriſto Domino; vel præſentem, & actu exiſtentem; putà eundem Apoſtolum noſſe Chriſtum, & unum eſſe ex ejus Diſcipulis: Atqui fieri nequit, ne divinitus quidem, ut res præterita non fuerit, aut actu exiſtens non exiſtat: v. g. Petrum non fuiſſe in horto, aut non eſſe Chriſti Diſcipulum, alioquin idem poſſet eſſe & non eſſe: Ergo negatio Petri fuit neceſſariò falſa, & verum perjurium. Porro neque Eccleſia, neque Deus ipſe poſſunt, ut licitum ſit negare cùm juramento: quod verum eſt. Quæſtio itaque eſſe poteſt duntaxat de juramento promiſſorio, quod eſt de re futurâ, non quidem neceſſario (quia de neceſſariis non exigitur nec præſtatur juramentum) ſed contingenter & ſub quibuſdam conditionibus, quibus non poſitis ceſſat promiſſi & juramenti obligatio: v. g. Juro me ſoluturum Petro quod illi debeo, ſubintelligitur conditio, ſi exigat, niſi remittat. Unde ſi Petrus poſtea debitum condonet, neque infidelitas erit in promiſſis, neque falſitas in dictis ſi non ſolvam; quia nec promiſi, nec juravi me ſoluturum etiam in hipotheſi, quòd creditor debitum condonaret, & ejus ſolutionem recipere nollet.

R. 2°. Extat in Eccleſiâ poteſtas diſpenſandi

in juramentis promiſſoriis, & ea commutandi.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis.* In his enim verbis Eccleſia ſemper intellexit contineri poteſtatem diſpenſandi in juramentis, ut conſtat ex conſtanti ejus uſu, de quo Alexander tertius cit. cap. *Si verò* de Jurejurando ſic habet: *A pluribus prædeceſſoribus noſtris factum eſſe recolitur quòd Clerici . . . de juramento abſolutionis beneficium meruerunt.*

Probatur 2°. ratione duplici. Prima, quia ex dictis in omni juramento præſupponitur hæc exceptio juxta jurantis intentionem, niſi promiſſarius remittat, vel Superior prohibeat, irritet aut diſpenſet. Secunda eſt. S. Thomæ art. 9. ubi Sanctus Doctor votum & juramentum promiſſorium ſpectat tanquam legem privatam, quam aliquis ſibi imponit. Sicut ergo in Republicâ benè ordinatâ, neceſſaria eſt diſpenſandi poteſtas circà legem publicam, quæ nonnunquam ſervari nequit ſine graviori quorundam nocumento; ſic in Eccleſiâ agnoſci debet poteſtas relaxandi juramenta, ubi nociva ſunt vel publicæ utilitati, vel ſaluti ſive corporis, ſive animæ jurantis. In his itaque circunſtantiis Superior, ſalvâ promiſſi fidelitate, & juramenti veritate, declarat Deum in cujus dominio ſunt omnium hominum voluntates, remittere rem promiſſam, & juramento confirmatam; imò tùm prohibet eam reddi, cùm advertit eſſe tranquillitatis & utilitatis publicæ, ſi non reddatur; ut ſi uſurarius juramento aſtrinxiſſet mutuatarium ad ſolvendas uſuras, latro viatorem ad redeundum, &c.

Q. 2°. *Quis poteſt diſpenſare in juramentis, aut ea commutare?*

R. Jure ordinario poſſunt ſummus Pontifex

in totâ Eccleſiâ, Epiſcopi in ſuâ diœceſi, & quicunque habent juriſdictionem quaſi epiſcopalem, ut Prælati regulares ergà ſuos ſubditos: Ex delegatione verò quilibet Clericus. Ratio hujus reſponſionis patet ex dictis de diſpenſatione in votis; eadem enim eſt utriuſque ratio.

Q. 3°. *Epiſcopi poſſunt-ne diſpenſare in omnibus juramentis?*

R. Non poſſunt in iis, quæ ſunt reſervata ſummo Pontifici, qualia ſunt ea, quibus confirmantur ſtatuta Collegiorum & Academiarum à ſummo Pontifice emanantia; & ſecundùm communiorem ſententiam juramenta, quibus firmata ſunt quinque vota, quæ cap. ſuperiori diximus reſervata Apoſtolicæ Sedi.

Q. 4°. *Qui delegati ſunt ad diſpenſandum in votis, aut ad ea commutanda, poſſunt-ne etiam diſpenſare in juramentis?*

R. Minimè, tùm quia diſpenſatio aut commutatio odioſa eſt: Ergo non extendenda, ſed ſtrictè explicanda: tùm quia juxtà ſtylum Romanæ Curiæ, privilegium diſpenſandi in juramentis diſtinguitur à privilegio diſpenſandi in votis.

Q. 5°. *Remanet-ne obligatio juramenti poſt ejus commutationem?*

R. Certum eſt remanere, tùm quia remanet obligatio voti, poſtquam commutatum eſt: tùm quia niſi juramento aſtrictus maneret, cujus juramentum commutatum eſt, non eſſet commutatio juramenti, ut ſupponitur, ſed abſoluta diſpenſatio. Ergo perjurus eſſet, qui rem ſibi impoſitam in ipsâ juramenti commutatione non præſtaret.

Q. 6°. *Nunquid ipſe jurans privata poteſtate poteſt commutare juramentum?*

R. Poteſt, 1°. ſi commutatio fiat in aliud

evidenter melius ; quia in illâ hypotheſi res jurata non eſt Deo accepta. 2°. Poteſt etiam in aliquid minus cum conſenſu alterius in cujus favorem factum eſt juramentum ; quia ſi promiſſarius rem totam juramento ſibi promiſſam condonare poteſt, à fortiori partem ejus.

Dixi, *cum conſenſu*; nam promiſſario invito, aut non conſentiente, tale juramentum nequidem in melius commutari poteſt; quia neminem licet ſpoliare jure ſuo, niſi in pœnam alicujus delicti: Atqui promiſſarius jus habet in rem ſibi promiſſam: Ergo. Atque hæc ratio evincit Superiorem non poſſe diſpenſare in hujuſmodi juramentis acceptatis, niſi aliqua injuria præceſſerit, propter quam promiſſarius puniendus ſit; putà uſurarius, qui juramento exigit uſuras: latro, cui viator metu mortis juravit ſe tranſmiſſurum centum aureos; C. *Abbas*, de his, quæ vi, & C. *Si verò*, de Jurejur.

Q. 7°. *Valeat-ne diſpenſatio aut commutatio juramenti ſine legitimâ causâ ?*

R. Negat ſanctus Thomas art. 9. ad tertium: *Quandoque* inquit, *ſub juramento promittitur aliquid quod eſt manifeſtè licitum & utile. Et in tali juramento non videtur habere locum diſpenſatio vel commutatio, niſi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendam.* Alioquin ſi Superior pro libito diſpenſaret, aut commutaret, juramenta nullam promiſſis darent firmitatem.

Paragraphus V.

Quale peccatum eſt perjurium ?

Reſpondet ſanctus Auguſtinus ſerm. 180. aliàs 28. de verbis Apoſtoli, *Perjurium ſceleſtum eſſe, & grande peccatum, nemo dubitat,*

tantùm mali habet juratio, ut qui lapides colunt; timeant falſum jurare per lapides : tu non times Deum præſentem, Deum viventem, Deum ſcientem, Deum in contemptorem vindicantem? ... Videtis quàm iſta deteſtanda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc fieri velit? ômnes homines talia deteſtantur. Hinc perjuri, 6. qu. 1. C. *infames*, incurrunt infamiam, ſi in foro judiciali fuerint publicè convicti & declarati; infamiam autem illam ſequitur irregularitas & inhabilitas ad beneficia recipienda. Et 22. qu. 5. cap. 4. pœnitere debent quadraginta dies in pane & aquâ, nec poſt peractam pœnitentiam admittuntur ad teſtimonium ferendum, cap. *de teſtimonio*, tit. de teſtibus & atteſtationibus; quia *ex retroactis*, inquit ſanctus Thomas qu. 89. art. 10. *præſumitur, quòd debitam reverentiam juramento non exhibebunt.*

Q. 2°. *Perjurium in materiâ levi eſt-ne etiam mortale?*

R. Eſt, quia, ut ratiocinatur S. Thomas qu. 98. art. 2. & 3. quæ ſunt ex ſe venialia, vel etiam bona ex genere, ſi in contemptum Dei fiant, ſunt peccata mortalia : Atqui perjurium ex ſuâ ratione importat contemptum Dei; eſt enim maxima irreverentia, quòd Deus in teſtem falſitatis invocetur. Quis ex hominibus non ſe crederet ingenti injuriâ affectum, ſi falſarius quidam ſubſcriptione nominis ipſius ſuppoſititium chirographum muniiſſet.

Dices, ex ſancto Thomâ qu. 89. art. 8. major eſt voti obligatio, quam juramenti : Atquì voti violatio in materiâ levi, non eſt niſi peccatum veniale, Ergo & juramenti.

Diſtingo majorem. Major eſt voti obligatio extenſivè, Concedo : quia in omni voto eſt obligatio & fidelitatis in promiſſione implen-

dâ, & reverentiæ erga eum, cui facta eſt promiſſio: Major eſt voti obligatio intenſivè, quàm juramenti, Nego maj. Itaque ſanctus Thomas in illo articulo probat duntaxat voventem obligari duplici titulo, ſcilicet fidelitatis & reverentiæ; jurantem contrà unico, nimirum reverentiæ. Sed unica illa jurantis obligatio longè præponderat duplici, quæ in vovente ineſt; namque levis eſt culpa infidelitatis & irreverentiæ, ſi promiſſum nullius momenti non ſervetur: At nemo non videt maximum Dei contemptum, ubi terribile ejus nomen aſſumitur ad confirmandum minimum mendacium, etiam jocosè prolatum. Imò hæc pejerandi facilitas irreverentiam auget, nedum minuat ex eodem ſancto Doctore qu. 98. art. 8. ad ſecundum.

Inſtabis: non minor eſt irreverentia Deum invocare in teſtem operis injuſti, quàm falſi dicti: Atqui Deum invocare in teſtem operis injuſti, veniale tantùm peccatum eſt, ſi injuſtitia illa ſit levis & venialis: Ergo.

Reſpondeo, quidquid ſit de minore, quam examinabimus paragrapho ſeptimo. Nego abſolutè majorem. Quia qui jurat ſe aliquid mali facturum, Deum non invocat ut approbet quod injuſtum eſt, & teſtetur illud eſſe licitum, in quo eſſet graviſſima injuria, & horrendum peccatum; ſed invocat ſolùm, ut ſit teſtis ſe id reverâ velle, in quo non videtur tanta irreverentia, ſi voluntas ejus feratur in rem leviter malam.

Urgebis: durum eſt eum damnabiliter peccare, qui omitteret vel minimam ſummæ partem, aut levem aliquam ex pluribus actionibus ad quas ſe juramento aſtrinxit. Quis enim è numero Magiſtratuum, aut eorum, qui aliquod

officium publicum capeſſunt: cum juramento ſervandi innumera quæ ipſis proponuntur, ſalvus eſſe poſſet? impoſſibile ſiquidem eſt, quin multa, ex levioribus ſaltem excidant. Imò omnes ferè plebeii eſſent damnandi, cùm promiſcuè jurent ſe facturos res leves, quas ſtatim obliviſcuntur. Ergo.

Nego conſeq. Ad anteced. verò reſpondeo, Theologos, qui unâ voce pronuntiant reum eſſe peccati mortalis, qui cum juramento leve quidpiam fictè promiſit, variè opinari circa eum, qui idipſum veraciter juravit; ſed poſtea mutato conſilio, juramento non ſatisfacit. Alii enim, ut Navarrus, Sotus, & Suarez, illum à peccato mortali excuſant propter materiæ levitatem. Alii ſic diſtinguunt: vel ille majorem partem rei juratæ implet, & minimam omittit: vel integram negligit. Si primùm, venialiter: ſi ſecundùm, mortaliter peccat. Alii denique, ut Gabriel, Cajetanus, Leſſius, &c. meliùs cenſent in hujuſmodi infidelitate, eſſe verum & mortale perjurium; quia falſitas juramenti promiſſorii non minor eſt irreverentia in Deum, quàm juramenti aſſertorii; in utroque enim Deus æquè adducitur in teſtem falſi; in aſſertorio quippe jurans dicit, Deus teſtis eſt, quòd promiſſum impleverim, cùm tamen ſit falſum: in promiſſorio verò, Deus teſtis eſt, non ſolùm quòd velim implere, ſed quod reverà impleturus ſim, quod mutando conſilium, falſum efficit: Atqui omnes concedunt, falcitatem in juramento aſſertorio eſſe mortalem; etiam in materiâ levi: Ergo idem concedere debent in juramento promiſſorio. Nec obſtat multorum pejerandi conſuetudo, alioquin excuſandi eſſent raptores, detractores, uſurarii. Auget quidem peccandi licentiam pec-

cantium multitudo, ſed peccatum non minuit. Excuſari poſſet à peccato etiam veniali, qui leviſſimam partem rei cum juramento promiſſæ omittit, putà unum aut alterum aſſem ex multis aureis, præſumens id ſibi à promiſſario condonari. Sed tutius eſt abſtinere ab hâc libertate, & removere quantùm fieri poteſt perjurii periculum. Utrùm autem inadvertentia aliquando excuſet, expendemus paragrapho ſequenti.

Q. 3°. *Obligatio juramenti tranſit-ne ad heredes aut ſucceſſores?*

R. In juramento promiſſorio duo ſunt diſtinguenda: primum eſt ipſa promiſſio, quæ ſi licita & acceptata fuerit, tranſit ad jurantis heredes; hi enim ſuccedunt in onera realia defuncti: Atqui jurans defunctus per talem promiſſionem onus & debitum reale ſuſcepit erga promiſſarium: Ergo. Alterum in juramento promiſſorio ſpectandum, eſt ipſa juratio ſeu invocatio divini nominis, ad fidem faciendam, quâ jurans ex religione obligatur Deo verum efficere pro quo confirmando juravit; illa autem actio perſonalis eſt, ex S. Thomâ qu.98. art. 2. ad quartum. Unde jurantis heredes non erunt perjuri ſi jurata defuncti pacta non ſervent, ſed injuſti duntaxat.

Q. 4°. *Gravis metus, qualis poteſt eſſe infamiæ, exilii, & mortis, excuſat-ne perjerantem?*

R. Nonnulli ætate ſancti Auguſtini affirmare auſi ſunt, atque utinam pernicioſus ille error noſtro ſeculo non revixiſſet, contra quem ſanctus Doctor tam acriter pugnavit, præſertim libris *de Mendacio*, ubi ſic ſcribit: *Quid, quòd vitæ hujus amatores, ne homo moriatur, non tantùm mentiri, ſed etiam pejerare nos volunt? Et ſunt in eis docti, qui etiam regulas figant, quando debeat, & quando non debeat pejerari. O ubi eſtis fon-*

tes lacrymarum, ubi nos occultabimus ab irâ veritatis; ſi non ſolùm negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere perjuria? Nullo ergo modo eos dixerimus ... id aſſerendo eſſe veraces, ne (quod eſt abſurdiſſimum & ſtultiſſimum credere) veritas nos doceat eſſe mendaces. Quale eſt enim, ut eſſe adulterandum nemo diſcat à caſtitate, & ipſi mentiendum diſcamus à veritate? lib. 2. cap. 18.

Q. 5°. *Nonne in hujuſmodi anguſtiis licebit uti amphibologiis, æquivocationibus, & reſtrictione mentali?*

R. Hæc eſt nova ſapientia noſtri ſeculi, quàm exploſerunt celeberrimæ Academiæ, ut Lovanienſis anno 1653. & 1657. Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæ propoſitiones*, inquiunt Gallicani Epiſcopi, *temerariæ ſunt, ſcandaloſæ, perniciosæ, erroneæ, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperiunt, & ſacris ſcripturis adverſantur.* Cùm autem Patroni nefandi hujus erroris in ejus patrocinium adducerent Prophetas, Angelos, & ipſum Dominum, quaſi æquivocationibus, amphibologiis, & reſtrictionibus mentalibus uſi eſſent, ſic pergit Clerus Gallicanus: *Hæc propoſitio*, quæ eſt numero 66. *ſcandaloſa eſt, temeraria, Patrum acta ludibrio vertit, ipſis Angelis injurioſa, erga Chriſtum contumelioſa & impia.* Præiverant ſanctus Auguſtinus ep. 125. aliàs 224. *Perjuri ſunt qui ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt.* Et S. Thomas quæſt. 89. art. 7. ad quartum. *Quando*, inquit, *non eſt eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, ſi hoc perveniat ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari ſecundùm ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur.* Unde Iſidorus lib. 2. *de ſummo bono.* cap. 31. dicit: *Quácumque arte verborum quis juret; Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita*

hoc accipit, ſicut ille cui juratur, intelligit... dupliciter reus ſit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. Refertur cap. *Quâcunque*, 22. q. 5.

Q. 6°. *Licet-ne juramentum petere ab eo, qui pejeraturus eſt?*

R. Reſpondet S. Thomas qu. 98. art. 4. Juramentum exigitur vel à perſonâ privatâ; vel à publicâ, v. g. Judice. Si primum vel privatus neſcit pejerandum, imo ſperat ſe veritatem eliciturum: propter reverentiam juramenti, & tunc licitè juramentum exigit; quia omnis controverſiæ finis ad confirmationem eſt juramentum, Heb. 6. vel certè aut probabiliter prævidet pejerandum; & tunc ſine gravi peccato juramentum exigere non poteſt: quod ſanctus Doctor confirmat auctoritate S. Auguſtini ſerm. 180. aliàs 28. de verbis Apoſtoli, ubi ſic habet: *Si autem ſcit & cogit jurare, homicida eſt: ille enim ſuo perjurio ſe perimit: ſed iſte manum interficientis & expreſſit, & preſſit.* Unde Concilium Matiſconenſe primum, anno 581. de hujuſmodi ſic decernit: *Si quis convictus fuerit alios ad falſum teſtimonium attraxiſſe, uſque ad exitum non communicet.* Si autem aliquis exigat juramentum tanquam perſona publica, & ſecundum ordinem juris, non videtur eſſe in culpâ, etiamſi perjurſum prævideat; quia Judex non ſecundùm privatam ſcientiam, ſed ſecundùm publicam judicare debet. In Republicâ autem probatio plena non eſt, niſi juramento confirmetur; ac proinde non Judex, ſed ii, quibus jus dicere debet, juramentum exigunt. Tenetur tamen quantùm poteſt, ſalvo ſuo officio, efficere, ne ad hujuſmodi juramentum præſtandum deveniatur.

Ex his colliges, licitum non eſſe juramentum

promiſſorium petere ab eo, qui prævidetur non impleturus. Hinc C. *Clericos*, de cohabitatione Clericorum & mulierum, prohibetur ne juramentum deferatur concubinariis de non redeundo ad concubinas, cùm vehemens præſumptio ſit, quòd juramento non ſtabunt. Namque ex ſancto Thomâ ad veritatem juramenti promiſſorii ſatis non eſt, quòd jurans habeat intentionem promiſſi implendi, ſed requiritur inſuper, quod certus ſit moraliter verum ſe effecturum quod promiſit.

Dices: pejus eſt verum jurare per falſos deos, quàm falſum jurare per verum Deum: Atqui licet juramentum exigere ab eo, qui prævidetur juraturus per falſos deos; nam ex ſancto Auguſtino epiſt. 47. aliàs 154. & refertur C. *Movet*, 22. q. 1. qui utitur illius fide, quem conſtat juraſſe per falſos deos, & utitur non ad rem malam, ſed ad licitam & bonam, non peccato ejus ſe ſociat qui per dæmonia juravit; ſed bono pacto ejus, qui fidem ſervavit. Sic Jacob à Laban idololatrâ petiit juramentum, Gen. 33. & Judæi cum Romanis fœdus juramento firmaverunt, 1. Machab. 8. Ergo licet privatis juramentum exigere à pejeraturo.

Diſtinguo majorem. Pejus eſt verum jurare per falſos deos abſolutè, & quatenus eſt idololatria, quæ ſanè majus eſt crimen, quàm perjurium præcisè ſumptum, Concedo: pejus eſt ſecundùm quid, & in ratione mendacii & perjurii, Nego majorem: nam perjurium peſſima eſt juramenti illiciti ſpecies, quæ ſi prævideatur non poteſt alicujus utilitatis eſſe ad pactum firmandum, ſicut verum idololatræ juramentum.

Diſtinguo etiam min. Licet exigere juramentum ab idololatrâ, ſi adſit neceſſitas, & prævi-

deatur verum juraturus, ita tamen ut non exigatur ut per falſum numen juret, Concedo: ſic in neceſſitate licet mutuum petere ab eo, quem ſcimus non mutuaturum, niſi cum uſuris: licet exigere ut per falſos deos juret, vel nullâ urgente neceſſitate, vel cùm pejeraturus prævidetur, Nego minorem.

Inſtabis: Ex conceſſis licet in caſu neceſſitatis mutuum petere ab uſurario: Ergo & juramentum ab eo, qui pejeraturus cognoſcitur.

Nego conceq. & paritatem; quia nulla poteſt eſſe neceſſitas, nullave ſperari poteſt utilitas ex perjurio præviſo; juramentum enim utile eſſe non poteſt, niſi ad fidem faciendam. Atqui perjurium cognitum nullam fidem facere poteſt: Ergo in his circunſtantiis non debet exigi ab idololatrâ.

Urgebis: Ergo nequidem Judex, aut quivis Magiſtratus poteſt petere juramentum ab eo, qui videtur pejeraturus, cùm tale juramentum non poſſit fidem facere.

Nego conceq. cujus confirmationem diſtinguo: cùm tale juramentum non poſſit fidem facere ipſi Judici, Concedo: Reipublicæ, Nego. Namque præmiſſis juramentis, ſive teſtium, ſive actoris, ſive ipſius rei, publicè conſtat ſententiam non eſſe leviter aut temerè latam.

Hinc ſequitur, juramentum promiſſorium neceſſarium ad contractum firmandum licitè poſſe exigi ab eo, qui prævidetur pactum violaturus, quia non niſi virtute juramenti compelli poteſt in foro externo ad ſtandum contractui, ut dictum eſt de contractibus in genere.

Paragraphus VI.

Quale eſt peccatum juramentum ſine judicio & neceſſitate prolatum?

R. EST veniale duntaxat, modò abſit contemptus, ſcandalum, & pejerandi periculum; quia non videtur magna irreverentia eo præciſè quod ſine neceſſitate nomen Dei aſſumatur ad confirmandum aliquid verum & honeſtum.

Dixi 1°. *modò abſit contemptus, ſcandalum.* Certum quippe eſt graviter eos peccare, qui ex impietate, & cum ſcandalo audientium Dei nomen, & quæ in religione ſunt ſacratiſſima, ut mors & ſanguis Chriſti pronuntiant, ſive per jocum, ſive per iram. Hæc enim non vanè tantùm, ſed contumelioſè ab iis dicuntur, & blaſphemiam ſonant, de quâ paragrapho octavo. Circunſtantia quoque perſonæ vanè jurantis, nempè ſi ſit Deo ſacra, ut Sacerdos, Religioſus, grave ſcandalum parere ſolet.

Dixi 2°. *pejerandi periculum*, quod vix deeſſe poteſt in jurandi conſuetudine, ut advertit ſanctus Auguſtinus citato ſermone 180. aliàs 28. de verbis Domini, ubi ſic habet: *Quis eſt, qui non fallatur etſi nolait fallere & tamen juratio ab ore diſcedit, frequentatur, plura ſunt plerumque juramenta quàm verba.* Enim verò, ut taceam de iis, qui, cùm à mendaciis jocoſis & officioſis non abſtineant, & nihilominùs omnia ferè dicta juramento leviter & temerè confirment, proximo pejerandi periculo ſe exponunt, ac proinde gravioris peccati reos ſe conſtituunt; ut, inquam, de his taceam, conſtat ex dictis eum pejerare, qui cum juramen-

to vel id affirmat, de quo certùs non eſt, vel ita ex animo promittit, ut moraliter certus non ſit, imò ſi attendere vellet, veriſimile judicaret ſe non præſtiturum: Atqui ea eſt omnium hominum conditio & infirmitas, ut multa ſtatim appareant vera, quæ tamen diligentiùs examinata, reperiuntur falſa; unde prudentes judicium ſuſpendere ſolent. Similiter levis quædam ratio ſæpiſſimè movet voluntates noſtras ad aliquid faciendum aut omittendum, quod maturiùs ponderatum decernere nolumus, nedum ſpondere. Ergo qui ad primam veri & boni ſimilitudinem præcipites cum juramento affirmant aut promittunt, perjuri cenſendi ſunt, quippe qui, etſi fallere nolint, eorum tamen juramentis veritas deeſt, quia non ſatis certi jurant: tales ſunt Mercatores, qui quàm ſæpiſſimè jurant ſe merces viliori pretio non tradituros, cùm poſtea judicent è re ſuâ eſſe, ſi tradant: tales hi omnes, quibus Dei nomen non videtur ſacramentum eſſe, ſed ſermo; ut loquitur Salvianus lib. de gubernat. *Aſſiduitas jurandi perjurium facit*, ex ſancto Iſid. *Vis ergo longè eſſe à perjurio, jurare noli. Perjurium eſt præcipitium; qui jurat, juxta eſt; qui non jurat, longè eſt. Falſa juratio exitioſa eſt, vera juratio periculoſa eſt, nulla juratio ſecura eſt*, S. Auguſt. cit. ſerm. 180.

Q. 2°. *Sed nunquid inadvertentia excuſat à perjurio ac proinde à lethali peccato?*

R. Si inadvertentia ſit invincibilis & prorsùs inculpabilis, qualis cenſetur in eo, qui retractavit jurandi conſuetudinem, & de eâ ſeriò dolet; excuſat ab omni peccato: ſi ſit leviter culpabilis excuſat à tanto, ſed non à toto: ſi ſit craſſa & omninò voluntaria, qualis eſt in iis, qui jurandi conſuetudinem non retractant,

in quâ advertunt ſe miſcere, multa perjuria; nullatenus à peccato mortali excuſat; ac proinde qui eâ detinentur, abſolvi non debent, niſi pravam conſuetudinem efficaciter tollere ſint parati.

Paragraphus VII.

Quale eſt peccatum jurare ſine juſtitiâ?

R. Primò, qui ſine animo jurat ſe facturum rem illicitam, perjurus eſt, & mortaliter peccat: qui verò cum animo, bis peccat; 1°. quia vult rem illicitam, v. g. nocere proximo & ſi quidem in re gravi, peccatum quoque erit grave; ſi in levi, leve etiam erit peccatum, 2°. quia irreverenter erga Deum ſe gerit, dùm adducit illum in teſtem rei illicitæ, ut ſuprà diximus. Quæritur autem hic quale ſit peccatum illa irreverentia.

R. Secundò, conſtat apud omnes Theologos, juramentum, quo quis firmat ſe in propoſito peccandi mortaliter, eſſe peccatum mortale; gravior ſiquidem irreverentia, & major Dei contemptus vix concipi poteſt. Finge ſervum, cui ſatis non eſt tranſgredi mandatum Domini, ſed inſuper eum vocat, ut teſtis ſit ſuæ tranſgreſſionis. An non inobedientiæ ſuæ addit impudentiam, & contumeliam? Enimverò omne malum aut timore aut pudore natura perfudit, inquit Tertul. Apologet. 10. Hinc naturale eſt peccatori etiam peſſimo fugere, quantùm in ſe eſt, Dei præſentiam. De impio dicitur Pſal. 10. *Non eſt Deus in conſpectu ejus.* Et de ſenibus, qui cum caſtiſſimâ Suſannâ libidinem ſuam explere ſtatuerant, Dan. 13. *Declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cœlum; neque re-*

cordarentur judiciorum juſtorum? quia juxta ſanctum Hieronymum memoria Dei expellit cuncta flagitia. Qui autem ſic timet, Deum reveretur. *Timor hominis*, inquit Tertullianus, lib. de Pœnit. cap. 7. *Dei honor eſt.* Porro omnem Dei timorem & reverentiam exuiſſe videtur, qui eò audaciæ profilit, ut velit illum eſſe teſtem actionis, quam ſummè odit & deteſtatur, prohibetque ſub graviſſimis pœnis.

R. Tertiò, non ita certum eſt in Scholâ quale peccatum ſit juramentum promiſſorium patrandi venialis peccati. Alii, ut Angelus verbo, *Juramentum*, affirmant eſſe mortale: alii communiter docent eſſe veniale duntaxat: alii ut poſteriori ſententiæ repugnare nolunt, utpote communiori, ſic aſſerere non audent eum, qui cum juramento promittit actionem venialiter malam à peccato mortali eſſe ſecurum.

Duo hic dicenda occurrunt. Primum, etſi hæc juramenti ſpecies non pertingat ad malitiam peccati mortalis, eſt tamen peccatum intra latitudinem peccati venialis valde grave; longè enim pejus eſt jurare de re malâ, quàm de honeſtâ vel de indifferenti ſine neceſſitate. Secundum, cùm juramentum illud ex impotenti iræ impetu proferri ſoleat, plerumque mortale evadit; tùm quia iratus facilè judicat leve quod minatur, cùm reverà grave ſit: tum quia advertere poteſt & debet, quòd ſedatâ irâ malum quod minatur, illaturus non ſit, & tunc perjurus eſt: tùm denique quia ſæpè jurat cum magnâ Dei irreverentiâ, & verbis quæ blaſphemiam ſonant, ut habetur in Synodo Lingonenſi, anno 1404. apud Bochellum: *Qui jurat per verba, quæ ſonant blaſphemiam, ſicut qui jurat per inteſtina Dei, etiam ſi juret veritatem, graviter peccat; & etiam qui jurat per verba im-*

portantia irreverentiam, ut putà, qui jurat per vulnera Chriſti. De execrando quoque illo jurandi modo ſic habet Synodus Trecenſis anno 1427. *Sunt nonnulli, tam Laïci, quàm Eccleſiaſtici viri, qui Redemptorem ſuum turpiter inhonorantes, deteſtabilia in ejus blaſphemiam faciunt juramenta, putà per carnem ſuam, per ſanguinem, per mortem, per plagas, per caput, per viſcera, vel aliud concernens ejus humanitatem jurantes, & ipſum Redemptorem noſtrum pro nobis omnibus in cruce mortem paſſum iterùm crucifigunt . . . Si quis verò Deum negaverit, vel deſpitaverit, pro primâ vice duos dies, pro ſecunda quatuor in pane & aquâ jejunare compelletur.* Sed de blaſphemiâ ſequenti paragrapho.

Paragraphus VIII.

Quid eſt blaſphemia?

R. Definitur, *locutio contumelioſa in Deum.* Dicitur 1°. *locutio*, ut diſtinguatur à contumeliâ quæ factis irrogatur, qualis fuit Chriſti conſputatio, flagellatio, &c.

Dicitur 2°. *contumelioſa*, ut diſtinguatur à detractione, quæ eſt maledictio perſonæ abſentis. Blaſphemia quippe eſt maledictio ſeu convitium contra perſonam præſentem, quo non ſolùm læditur ejus fama, ſed maximè derogatur ejus honori. Et hæc maledictio propriè vocatur contumelia. Cùm autem Deus ſit ubique præſens, omnis maledictio in eum prolata eſt vera contumelia.

Dicitur 3°. *in Deum*; quia blaſphemia aliquando latiùs ſumitur pro maledicto in creaturas prolato, ut Tit. c. 2. *Admone illos.. neminem blaſphemare.* Blaſphemia autem ſtrictè ſumpta,

ta, eſt convitium in Deum, quæ ſi exteriùs prodeat per locutionem oris, blaſphemia eſt; ſi mente tantùm concipiatur, cordis blaſphemia. *Jam vulgò blaſphemia*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 2. de moribus Manich. cap. 11. *non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere.*

Q. 2°. *Quotuplici modo convitium poteſt in Deum conjici?*

R. Duplici, nempe immediatè, cùm in maledicto Dei nomen, aut aliquod ejus attributum exprimitur: & mediatè, quando maledicitur creaturis, quatenùs Dei ſunt, & in eis relucet divina potentia, ſanctitas, &c. tales ſunt res ſacræ, & Sancti, in quibus ſicut laudatur Deus, ſic & contumeliâ afficitur, & ſancto Thomâ 2. 2. q. 13 a. 1. ad. 2. Et utroque modo blaſphemia accipitur C. *Statuimus*, tit. *de maledicis*, ubi ſic habetur: *Statuimus, ut ſi quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum ſuorum, & maximè beatam Virginem linguam in blaſphemiam publicè relaxare præſumpſerit, per Epiſcopum ſuum pœnæ ſubdatur inferiùs adnotatæ.*

Dixi, *quatenùs Dei ſunt;* nam ſi creaturæ ſecundùm ſe & abſolutè ſpectentur, maledictum in eas prolatum non eſt blaſphemia.

Q. 3°. *Quotuplex eſt blaſphemia?*

R. Triplex; enuntiativa, imprecativa, & dehoneſtativa.

Enuntiativa, eſt blaſphemia quâ de Deo aliquid contumelioſè affirmatur aut negatur, ut ſi tribuatur Deo quod ei non competit, v. g. injuſtitia, crudelitas, &c. vel auferatur quod ipſi proprium eſt, ut omnipotentia, providentia, &c. Hæc blaſphemia dicitur hæreticalis, quia conjunctum exprimit errorem doctrinæ catholicæ repugnantem. Unde qui iſtam blaſphemiam proferret ex incredulitate contumaci,

non ſolùm blaſphemus eſſet; ſed etiam hæreticus. Verùm hujuſmodi convitia prodire non ſolent ex animo in errore obſtinato, ſed irâ duntaxat percito; interrogati enim qui hæc impiè effutiunt, reſpondent ſe nihilominùs credere Deum eſſe juſtum, miſericordem, &c. ac proindè corde credunt quod dictis negant. Negant autem ex inordinato voluntatis affectu ad res creatas, quibus ſe privari non ferentes, facilè prorumpunt in convitia contra Dei providentiam. Unde S. Thomas ſecundâ ſecundæ quæſt. 13. duo colligit; primum a. 4. in omnibus damnatis blaſphemiam fore, licèt multi ex iis ante mortem blaſphemi non fuerint; quia ſinguli cum perverſâ voluntate hinc exeunt paſſuri quæ cupiditati eorum maximè repugnant. Secundum a. 1. blaſphemiam opponi confeſſioni fidei; quia ſicut fides perficitur per Dei dilectionem ex quâ fidelis in Dei laudes prorumpit; ſic per pravam voluntatem fides quaſi ſub modio concluditur, ut ex abundantiâ cordis os contrà Deum loquatur falſa & iniqua.

Imprecativa, eſt blaſphemia, quâ Deo quis malum imprecatur, ut faciunt damnati & deſperabundi.

Dehoneſtativa, quâ enuntiatur aliquid exiſtens in Deo, ſed indecenter & per modum contumeliæ. Talis fuit hæc Juliani Apoſtatæ blaſphemia: *viciſti Galilæe.* Talis eſt etiam eorum, qui indignabundi nominant Chriſti caput, viſcera, &c.

Blaſphemia rurſus alia dicitur in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum Sanctum, ſecundùm perfectiones, quæ licèt communes ſint toti Trinitati, cuilibet tamen Perſonæ appropriantur, ut potentia Patri, ſapientia & ſcientia Filio, bonitas & charitas Spiritui Sancto. Hinc

blaſphemia, quæ ex infirmitate potius quàm ex malitiâ procedit, dicitur eſſe in Patrem: quæ ex ignorantiâ, in Filium: quæ ex malitiâ, in Spiritum Sanctum. De ſecundâ intelligitur illud Luc. 12. verſ. 10. *Omnis qui dicit verbum in Filium hominis*, ſcilicet neſciens ipſum eſſe & Deum, *remittetur illi*: quia talis ignorantia peccatum minuit: *de hominibus namque dubitari poteſt*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 2. de morib. Manichæor. cap. 11. *Deus verò ſine controverſiâ bonus eſt.* Ergo nonniſi ex malitiâ derogari poteſt ejus bonitati: & hujus blaſphemiæ in Spiritum Sanctum reos Chriſtus pronuntiat Phariſæos, qui ejus miracula & manifeſta Dei opera, Beelzebub tribuebant: *ei autem*, inquit citato loco, *qui blaſphemaverit in Spiritum Sanctum non remittetur.*

Q. 4°. *Quale peccatum eſt blaſphemia?*

R. Eſt mortale, & quidem graviſſimum, *ideò pejus eſt blaſphemare, quàm pejerare*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Mendac. cap. 19. *quoniam pejerando falſæ rei adhibetur teſtis Deus: blaſphemando autem de ipſo falſa dicuntur Deo.*

Probatur 1°. Blaſphemia ſpectari poteſt & in ſe, & in causâ: Atqui ſive ſpectetur in ſe, ſive in causâ, eſt graviſſimum peccatum. Ergo. Minoris duæ ſunt partes.

Prima pars probatur; quia blaſphemia ſecundùm ſe ſpectata, eſt contumelia: contumelia autem generatim ſumpta, eſt peccatum grave, cùm pugnet contra charitatem. Sed ſpecificè ſumpta, ut hîc ſumitur, eſt contumelia in Deum vivum & verum, quâ non ſolùm honos & reverentia Deo denegatur, ſed poſitivè tremenda ejus Majeſtas deprimitur, & dehoneſtatur. Porro minus eſt honorem Regi debitum denegare, quàm regiam ejus perſonam dejicere

& proculcare. Mens autem refugit cogitare homines aliquando ſic in Deum inſanire, ut eum præſentem maledictis proſcindant: ne ipſi gentiles tale quid in idola ſua admitti patiuntur; *ſi affiget homo Deum*, inquit Deus ipſe, Malach. 3. Senſus eſt, fieri ne poteſt eò dementiæ prolabatur homo, ut eum, quem Deum eſſe credit, convitiis & opprobriis quaſi jaculis configere nitatur? Unde S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 13. art. 3. concludit blaſphemiam aggravare infidelitatem; quia infidelis, ut ſic, Deum privat honore debito, Mahumetanus v. g. Chriſtum non adorat; ſed blaſphemus ſuperaddit contumeliam, & tremendam Dei majeſtatem convitiis dehoneſtat. *Cùm infidelitas*, inquit S. Doctor, *ſit maximum peccatum ſecundùm genus ſuum, conſequens eſt quòd etiam blaſphemia ſit peccatum maximum, ad idem genus pertinens, & ipſum aggravans.*

Secunda minoris pars probatur; quia ſi quis blaſphemiæ cauſam & radicem inveſtigaverit, vix aliam reperiet præter Dei averſionem & ſummam impietatem. Enim verò tria homines ad peccatum impellunt: nempe concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſeu divitiarum, & ſuperbia vitæ, 1. Joan. 2. Peccant quippe homines aut voluptate tracti, aut divitiarum cupiditate incenſi, aut honorum & dignitatum fumo obfuſcati, aut denique timore hujuſmodi rerum admittendarum coacti: hæc eſt humana tentatio, quæ peccati gravitatem minuere ſolet. At cùm in blaſphemiâ nulla ſit voluptas, nullus honos, nulla utilitas; ſequitur quòd blaſphemus in eam cum advertentiâ non prorumpat, niſi ex ſpiritu impietatis qui eſt proprius diabolicæ malitiæ character.

Confirmatur quibuſdam exemplis. Cur latro

v. g. viatorem aggrediens; aut quivis vindictæ cupidus in ſuum adverſarium inſurgens horrendas blaſphemias ante omnia præmittit? Ad quid illum juvant convitia illa in Deum conjecta? Vult latro ſpoliare viatorem, & iratus ſumere vindictam de adverſario, & uterque tanquam propoſiti ſui oblitus, totum pectoris ſui virus in Deum evomit: quæ agendi ratio? Nimirùm tales impii intendunt timore dejicere quos aggrediuntur; nihil autem ad propoſitum efficacius occurrit, quam ſi perſuadeant ſe nullâ Dei reverentiâ retineri, probentque argumento à majori ad minus, eum, qui divina contemnit, & ſacratiſſima quæque tanquam polluta ducit & conculcat, multò minus revereri humana. Sic & alii qui non lætantur niſi in rebus peſſimis, ut liberiùs habenas libidinibus laxent, blaſphemis omnem religionis ſenſum extinguere conantur. Hæc eſt diaboli impietas & neceſſaria blaſphemiæ radix, in aliis plus, in aliis verò minus explicita.

Ergo, blaſphemia ſive in ſe ſpectetur, ſive in causâ, eſt crimen graviſſimum, & tam horrendum, ut Scriptura nonnunquam illud proprio nomine appellare vereatur. Nam Job. 2. verſ. 5. honeſtatis & reverentiæ causâ per antiphraſim benedicere Deum pro maledicere uſurpat. Et Eccli. 23. poſtquam Sapiens ab illicito juramento deterruit, de blaſphemiâ ſubjungit tacito ejus nomine: *eſt alia loquela contraria morti;* in Græco legitur, morte veſtita, id eſt, quæ mortem affert, vel quæ morti conferri poſſit: *non inveniatur*, inquit, *in hæreditate Jacob.* Tantum ſcelus ex inferni clauſtris in terras non erumpat, aut ſaltem procul ſit à populo Dei.

Probatur 2°. ex pœnis, quibus punitur blaſ-

phemia; cùm enim proportio debeat eſſe inter pœnam & culpam, rectè colligitur gravitas culpæ ex quantitate pœnæ: Atqui blaſphemia gravioribus pœnis plectitur. 1°. In veteri lege nec ſacrificiis, nec aliis cæremoniis, ſed ſolo blaſphemi ſanguine expiabatur, Levit. 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi.* Et Moyſi interroganti de quodam, qui in jurgio blaſphemaverat, reſpondet Deus: *Educ blaſphemum extrà caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.* Duo jubet Deus: primum, ut qui audierant, impio capiti manus imponant, ſcilicet imprecantes illi omne malum, quod horrendum unius ſcelus in univerſam multitudinem devolvere poterat. Secundum, ut ſinguli lapidem in blaſphemum conjiciant in deteſtationem & ultionem injutiæ Deo illatæ. 2°. In novâ lege Chriſtus legifer noſter mitiſſimus, longè ſeveriſſima in blaſphemos decernit; ait enim Matth. 12. *Spiritus blaſphemia non remittetur. Quicunque dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei*, nempe propter ignorantiam, ob quam Apoſtolus olim blaſphemus, dicit ſe miſericordiam conſecutum, 1. Timoth. 1. De blaſphemiâ verò ex malitiâ pergit Chriſtus: *Qui autem dixerit contra Spiritum-ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Non quòd peccatum illud quantumcunque enorme, non poſſit abſolutè remitti; ſed ſicut morbus per ſe curabilis, in phrenetico curari non poteſt; quia omne rejicit remedium. Sic blaſphemiæ ſpiritus, id eſt, malitia ex quâ procedit blaſphemia, non remittitur in hoc ſeculo, neque in futuro; quia reus hujus ſceleris neceſſaria pœnitentiæ reme-

dia non admittit, ſine quibus abſolvi non poteſt, ut dicemus ubi de pœnitentiâ. 3°. Eccleſia quoque eas pœnas à blaſphemo publico, quas à nullo alio peccatore, exigit; ſic enim habetur tit. de maledictis cap. *Statuimus : ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dùm aguntur Miſſarum ſolemnia, blaſphemus exiſtens, in ultimo illorum die Dominico, pallium & calceamenta non habeat : ligatus corrigiâ ad collum : ſeptemque præcedentibus ſextis feriis in pane jejunet & aquâ, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus. Quolibet quoque prædictorum dierum, tres, ſi poterit, reficiat pauperes... cui etiam, ſi renuerit recipere ac peragere pœnitentiam ſupradictam, Eccleſiæ interdicatur ingreſſus : & in obitu eccleſiaſticâ careat ſepulturâ.* Quàm autem æqua ſit illa pœna, docet Synodus Trecenſis anno 1427. *ut ipſe*, inquit, *qui Deum blaſphemavit, à populo meritò infametur.* 4°. Denique leges civiles graviter animadvertunt in blaſphemos, aliquando uſque ad pœnam capitis ut pote Reipublicæ Chriſtianæ plurimùm noxios.

Ex his intelliget Confeſſarius, quid inquirere debeat ab iis, qui ſe reos blaſphemiæ accuſant. Quæret imprimis quam blaſphemiam protulerint; quia rudiores juramentum cum blaſphemiâ confundere ſolent, ita ut dicant ſe blaſphemaſſe, cùm ſimplex protulerint juramentum. Deinde examinabit qualis fuerit illa blaſphemia, an hæreticalis & ſenſu hæretico prolata, an imprecativa, ut aliquando contingit in alcatoribus, an dehoneſtativa duntaxat. Denique circa dehoneſtativam inquiret an ex Dei odio prodierit, aut ſaltem ex tædio, vel indignatione contra divinam providentiam, in quo caſu eſt vera blaſphemia, & graviſſimum peccatum. Si ex inadvertentiâ prolata ſit, blaſphemia non eſt, ex S. Thomâ quæſt. 13. art.

2. ad tertium. Imò Cajetanus eos excuſat à mortali, qui ſine Dei contemptu & pravo in eum affectu, & ſine minis mali inferendi in jurgio proferunt Chriſti mortem, caput, & ſanguinem. Pænitentiale tamen Romanum ſic jurantes gravi pœnæ ſubjicit, habet enim: *ſi juraſti per capillum Dei, aut caput ejus, vel alio modo blaſphemiâ uſus fueris; ſi ſemel neſciens feciſti, ſeptem dies in pane & aquâ pœniteas*, quia vix iſta aut dicuntur ſine Dei contemptu, aut audiuntur ſine ſcandalo & piarum aurium offenſione.

Supereſt dicendum de iis, qui quidem nec jurant nec blaſphemant, ſed nomina Dei, & Jeſu, & Sanctorum tertio quolibet verbo appellant, & ex quâdam animi levitate, nonnunquam etiam ex impatientiâ, ſi quid novi aut inopinati occurrat, ſtatim exclamant, Jeſu! Deus bone! quod expreſsè prohibetur Eccli. 23. *Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis; quoniam non eris immunis ab eis;* hòc eſt, propter irreverentem horum nominum appellationem, non eris immunis à peccato. Enim verò, ut nomen Dei eſt res ſacratiſſima & omnem ſanctitatem exuperans, aſſumi non debet ſine ſummâ pietate & reverentiâ. *In nomine Jeſu*, inquit Apoſtolus Philip. 2. *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Peccant ergo, qui ſanctiſſimum & terribile illud nomen ſine ullo religionis ſenſu uſurpant, illudque fruſtra intexunt in confabulationibus ſuis tanquam aliquid commune & merè profanum.

CAPUT VII.

De reliquis peccatis Religioni oppoſitis.

Aliud opponitur per exceſſum, non quòd Deus nimiùm poſſit coli; eſt enim major omni laude; ſed quòd adhibeatur cultus indebitus, vanus, & ſuperfluus, diciturque Superſtitio. Aliud opponitur per defectum, & vocatur irreligioſitas, ſeu impietas.

Paragraphus I.

De Superſtitione.

Q. 1°. *Quid eſt Superſtitio?*
R. Eſt cultus Dei indebitus, hoc eſt, divino inſtituto & rationi diſſentaneus. Dicitur autem ſuperſtitio, vel à verbo *ſuperſta*; quia per eam redditur cultus vanus iis, quæ ſuprà nos ſtant, putà Soli, Lunæ, & aliis ſideribus: vel à ſuperſtite memoriâ defuncti, cui honores divini exhibentur in ejus imagine; ut legitur Sap. 14. à v. 15. ad finem.

Q. 2°. *Quotuplex eſt cultus indebitus?*
R. Duplex, alius qui exhibetur creaturæ tanquam Deo, & dicitur cultus falſi numinis: alius, quo verus Deus colitur, & hic rurſus duplex eſt, ſcilicet falſus, & ſuperfluus.

Cultus falſus eſſet in eo, qui falſis miraculis veram fidem confirmaret, ſuppoſititias reliquias obtruderet, cæremonias veteris legis in uſum revocaret; illæ ſiquidem ſignificabant Chriſtum venturum, quem jam veniſſe fides docet. Et hæc ſuperſtitionis ſpecies eſt peccatum lethale.

Cultus ſuperfluus eſt veri Dei cultus ab Eccleſiæ doctrinâ moribuſque alienus, & inutilis ad Dei honorem, ut quarumdam Miſſarum & candelarum certus numerus, *qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quàm à verâ Religione iaventus eſt*, inquiunt Patres Tridentini ſeſſ. 22. decreto de vitandis in celebratione Miſſarum. Hæc ſuperſtitio, ſecluſo contemptu & ſcandalo, non eſt niſi peccatum veniale.

Q. 3°. *Quotuplex eſt falſi numinis cultus?*

R. Triplex, nempe idololatria, divinatio, & vana obſervantia.

Idololatria eſt ſupremus cultus creaturæ exhibitus, ut oblatio ſacrificii facta idolo.

Divinatio eſt notitiæ divinæ uſurpatio ope dæmonis.

Dicitur 1°. *notitiæ divinæ uſurpatio*; quia eſt quædam notitia ita Dei propria, ut ab ipſo ſolò creaturæ communicari poſſit; talis eſt ſecretorum cordis cognitio, juxtà illud Jerem. 17. v. 10. *Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* Talis eſt cognitio futurorum, quæ à libertate pendent, ut habetur Iſaïæ 41. v. 23. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis.* Hinc Tertull. Apol. 20. *Idoneum, opinor, teſtimonium divinitatis, eſt veritas divinationis.*

Dicitur 2°. *ope dæmonis*; cùm enim talis notitia humanâ arte haberi non poſſit, neceſſe eſt ut expectetur vel à Deo, vel à dæmone: ſi à Deo, tentatio Dei eſt, niſi id fiat ex ſpeciali Dei inſtinctu; ut Act. 1. v. 24. ſed de tentatione Dei infrà. Invocatur autem dæmon ad iſtam notitiam obtinendam, vel expreſsè, ut ſolent Magi, vel tacitè, obſervando ea, quæ ad talem notitiam naturaliter non deducunt. Sic Genethliaci, qui ex horâ nativitatis & ſyderum inſpectione fortunam hominum conji-

ciunt, Chiromantii, qui ex manuum lineis, quæ homini obventura ſint, colligunt. Negandum tamen non eſt poſſe utcunque cognoſci ex concurſu ſyderum, ex vultu & lineamentis corporis, quæ ſit indoles hominis & naturalis propenſio, quam, ut plurimùm, ſequi ſolet. Sed indè certò conjicere ipſum fore fortunatum, vel infortunatum, in bello caſurum vel victorem evaſurum, mera divinatio eſt, & falſi numinis cultus.

Vana obſervantia eſt ſuperſtitio, quâ effectus intenditur per media inutilia, quæ nec à Deo, nec à natura vim ullam habent, ut prolatio quorumdam verborum, herbæ collectæ vigiliâ S. Joannis Baptiſtæ.

Q. 4°. *Quotuplex eſt divinatio?*

R. Multiplex numeratur. Si fiat idoli reſponſo, dicitur Oraculum: ſi in ſomno, ſomnium, de quo Jerem. 29. v. 8. *Ne attendatis ad ſomnia veſtra*: ſi per vatem arreptitium ſeu pſeudoprophetam, vaticinium: ſi per exta ſeu viſcera animalis immolati, aruſpicium: ſi per mortuos in ſpeciem ſuſcitatos, necromantia: ſi per effectum mirum in terrâ, geomantia: in aquâ, hydromantia: ſi per lineas manûs, chiromantia: ſi per volatum, garritum & ſitum avium, auſpicium & augurium: ſi per ſyderum inſpectionem, aſtrologia judiciaria, de quâ Jerem. 10. v. 2. *A ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Et Iſa. 47. v. 13. Damnantur quoque Aſtrologi, tùm jure canonico C. *Sed & il ud* 26. q. 2. tùm jure civili, cod. de epiſcopali audientiâ. Si per ſortes, dicitur cleromantia, ſortilegium, ſeu ſors divinatoria, à quâ ſortilegi ſeu ſortiarii.

Advertes tamen triplicis generis eſſe ſortes. Aliæ dicuntur diviſoriæ, aliæ conſultoriæ,

aliæ divinatoriæ. Diviſoriæ, quibus decernitur cui res tribuenda ſit, licitè adhiberi poſſunt ad honeſtum ludum, ad hereditatis diviſionem, ad litis diremptionem, ubi jus utriuſque partis apparet æquale; habetur enim Prov. 18. v. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.* Conſultoriæ, quibus conſilium divinum expoſcitur ad cognoſcendum quid in re obſcurâ agere oporteat, Dei tentationem continent, niſi ad eas Deus impellat, ut in electione ſancti Matthiæ, Act. 1. certum quippè eſt in illâ hypotheſi ſortes non à dæmone, ſed à Deo temperari, ut habetur Proverb. 16. v. 33. alioquin ſortes prohibentur C. *Sortes*, 26. qu. 5. & cap. *Eccleſiæ*, tit. *de Sortilegiis*, omnes ſortes in eccleſiaſticis electionibus prohibentur. Divinatoriæ, quibus inquiritur quid futurum ſit, ad ſuperſtionem pertinent.

Advertes 2°. non omnem conjectationem ex ſomniis & motibus animalium eſſe vanam & ſuperſtitioſam; namque varia diſpoſitio aëris immutare poteſt corpora animalium, quæ pro diversâ ſui affectione naturaliter moventur & ſomniant. Hinc volatus & ſitus quarumdam avium pluviam vel ſerenum tempus portendunt: ſomnia quæ ex temperamento proveniunt, morbum præcavendum aliquando indicant. Sic & ſyderum concurſu prævideri poſſunt eclypſes, frigus, æſtus, venti, pluviæ, & ſimiles effectus, qui ab eis naturaliter pendent. Undè duplex diſtinguitur aſtrologia, alia naturalis; alia judiciaria: prior, de quâ hîc, licita eſt; poſterior, quam ad divinationem retulimus, illicita in Scripturis, & in jure tùm canonico, tùm civili ſæpiſſimè damnata, & noviſſimè à Sixto V. in Bullâ *Cœli & terræ*, in quâ prohibet ex horoſcopo prædicere de mo-

tibus ac fortunâ pueri nati.

Q. 5°. *Quotuplex eſt obſervantia vana?*

R. Primò, varia ſortitur nomina pro diverſitate effectuum, qui per eam intenduntur. Si enim adhibeatur ad conſequendam ſcientiam, dicitur ars notoria: ſi ad ſanitatem, invulnerabilitatem, obſervantia ſanitatûm: ſi ad ominandos futuros eventus, ex occurſu leporis v. g. ex obſervatione dierum, tanquam alii ſint fortunati, alii infortunati, ex numero hominum ad menſam accumbentium colligatur aliquid adverſi futuri, eſt obſervantia futurorum eventuum: ſi adhibeantur res ſacræ, v. g. verba ſacræ Scripturæ proferantur, ſchedæ verbis Evangelii inſcriptæ geſtantur cum certâ perſuaſione obtinendi extraordinarios effectus, putà ſubitò extenguendi incendium, non moriendi ſine confeſſione, &c. eſt obſervantia Sacrorum, de quâ Auctor tract. de rectitudine catholicæ converſationis tom. 9. operum Sancti Auguſtini, ſic ſcribit: *Si à Clericis fiat & dicatur quòd res ſancta ſit, & in lectione divinâ contineatur, non eſſet dignus nomine Clericorum, ſed hæreticorum; quia non eſt in eis remedium Chriſti, ſed venenum diaboli.*

Dixi, *cum certâ perſuaſione;* nam proferre vel geſtare ſacræ Scripturæ verba, quaſdam orationes recitare, in quibus nihil falſum aut vanum continetur, ad obtinendum aliquod à Deo beneficium, ſi ſaluti noſtræ expedire judicaverit, pium eſt, nedum illicitum; & à Sanctis obſervatum. Sed ſuperſtitio agnoſcenda eſt, ſi hiſce verbis aut rebus talis tribuatur virtus, qualem nequidem ineſſe credimus formis Sacramentorum; namque Sacramenta non proſunt ponentibus obicem: ſuperſtitioſa verò illa, à quocunque etiam impiiſſimo obſerventur, infallibilem

habent effectum, ut aiunt; incendium ſtatim extinguitur, morbus ſubitò abſcedit.

Porro cùm Deus tantam efficaciam non promiſerit hujuſmodi verbis & rebus, nec credibile ſit eam defacto infallibiliter tribuere nullâ ratione habitâ nequitiæ illorum, qui talia uſurpant, fateri neceſſe eſt diabolica eſſe illa opera, & hujuſmodi ſuperſtitiones ad cultum dæmoniorum pertinere, ut docet ſanctus Auguſtinus lib. de verâ Religione cap. 55. his graviſſimis verbis: *Non ſit vobis religio cultus dæmonum; quia omnis ſuperſtitio, cùm ſit magna pœna hominum, & periculoſiſſima turpitudo, honor eſt ac triumphus illorum.*

R. Secundò. Celebrior eſt obſervantiæ vanæ diviſio in magiam, & maleficium.

Q. 6°. *Quid eſt Magia?*

R. Generatim eſt ratio operandi mira. Ea autem dicuntur mira, quæ habent cauſam latentem, quamvis naturalem, & in eo diſtinguuntur à miraculis, quòd miraculorum cauſa ſit ſupernaturalis, nec alia poſſit agnoſci, quàm Deus, qui ſolus poteſt movere creaturas ſuprà earum vires ad producendum quemcunque voluerit effectum. Mira verò procedunt ex naturali creaturæ virtute, ſed occultâ, & à ſapientioribus duntaxat cognitâ, & idcircò idiotæ plura mirantur quàm Philoſophi, qui apud Perſas dicuntur Magi; Magia quippe eſt nomen Perſicum, quod idem eſt ac ſapientia ſeu philoſophia: quo ſenſu dicitur Matth. 2. *Ecce Magi ab oriente venerunt*, id eſt, Sapientes ſeu Aſtrologi. In Scripturis tamen *Magus* frequentiùs ſignificat eum, qui arte diabolicâ utitur, Levit. 19. v. 31. *Non declinetis ad Magos*; Act. 8. v. 9. de Simone dicitur, *Qui fuerat in civitate Magus, ſeducens gentem Samariæ.*

Q. 7. *Quotuplex eſt Magia?*

R. Duplex, naturalis, & ſuperſtitioſa.

Magia naturalis eſt ratio operandi mira per cauſas naturales occultas. Quando cauſæ illæ latentes arte quâdam, putà medicâ, mathematicâ deprehenduntur, eſt magia artificialis, licita, & nulli periculo obnoxia; periti ſiquidem in hâc arte, certi ſunt dæmonem in ſuis operationibus non admiſceri. Si autem cauſa operantem lateat, nec poſſit etiam à peritioribus ſufficienter explicari, ut de pulveris ſympatici effectibus narrant, periculoſiſſima eſt illa magia naturalis, valdèque timendum, ne mirabiles illi effectus in tacita diaboli pacta & conventa, potius quàm in occultam naturæ virtutem referendi ſint.

Magia ſuperſtitioſa eſt ratio operandi mira ope dæmonis.

Dicitur 1°. *ratio operandi*, ut diſtinguatur à divinatione, quæ eſt ratio cognoſcendi.

Dicitur 2°. *mira*, non miracula; namque vera miracula ex dictis ſunt opera omnipotentiæ divinæ ſolius, quæ legibus naturæ non conſtringitur ſicut cauſæ ſecundæ, alioquin fidem noſtram inefficaciter probarent. Ergo magicâ arte non poteſt mortuus reſurgere, eadem numero perſona in duobus locis diſtantibus ſimul præſens conſtitui, forma humani corporis in beſtialem transmutari; quia in naturâ nulla ſeminalis virtus ineſt ad iſta patranda. Quod ſi talia aliquando videantur fieri, præſtigiæ ſunt & deceptiones. Utrum autem dæmones in corpore aſſumpto generare poſſint, ut viſum eſt nonnullis è veteribus, controvertitur inter Philoſophos. Certum eſt id non poſſe niſi mediante ſemine humano aliundè adducto, & conſervante nativum calorem. Quomodo verò

vera miracula à falſis ſecerni poſſint, diximus ubi de miraculis Chriſti tract. de Incarnat.

Dicitur 3°. *ope dæmonis*, quo diſtinguitur Magia ſuperſtitioſa à naturali.

Q. 8°. *Quibus indiciis colligitur Magiam eſſe ſuperſtitioſam & diabolicam?*

R. Tribus potiſſimum. 1°. Si opera excedant vim naturæ. 2°. Si adhibeantur quæ per ſe nullam habere poſſunt efficaciam ad effectum ponendum, ut characteres, certæ figuræ, verba ignota, falſa, abſurda, non cohærentia, vel etiam ſacra, tanquam per ſe efficacia, &, ut loquuntur, ex opere operato. Sicut enim venefici poculum lethiferum condiunt mellitis liquoribus; ſic dæmon, ex Tertulliano, venenum erroris & impietatis rebus ſacratioribus admiſcere ſolet. 3°. Si ad efficaciam operis requirantur circunſtantiæ vanæ & ſuperfluæ, v. g. quòd fieri debeat tali die, horâ, numero, à maſculo inter fratres ſeptimo ordine nativitatis, &c.

Q. 9°. *Quid eſt maleficium?*

R. Eſt ratio operandi mira & noxia ope dæmonis.

Maleficium duplex eſt, aliud veneficum, quo morbi, dolores, & mors inferuntur, tempeſtates excitantur. Hinc quidam nautæ dicuntur emere ventum à Magis: aliud amatorium, quo flectuntur homines vel ad odium, vel ad amorem carnalem. Hæc autem efficit dæmon, commovendo humores, ita ut inde naſcatur gravis tentatio, quæ cùm abſolutè non neceſſitet, non omninò excuſari poſſunt mulieres, quæ philtris in rem veneream ſe conſenſiſſe affirmant.

Q. 10°. *Eſt-ne credibile Deum talia dæmonibus aliquando permittere?*

Negari non poteſt, teſtante Scripturâ &

Eccleſiæ Traditione. Nam Exodi 7. & 8. Magi coram Pharaone plura ſigna fecerunt. 1. Reg. c. 28. Pythoniſſa ſuſcitavit Samuëlem. Act. 8. Simon Magus artibus magicis ſeduxit Samaritanos. Et cap. 16. v. 17. puella arreptitia habet ſpiritum pythonem, id eſt, arcana revelantem. Matth. 24. Chriſtus prædixit futuros pſeudochriſtos & pſeudoprophetas, qui dabunt ſigna magna & prodigia. Denique quolibet Eccleſiæ ſæculo Patres & Concilia meminerunt maleficorum & incantatorum, qui eorum ætate graſſabantur. Sanctus Irenæus, Tertull. apologet. 23. S. Chryſoſtomus hom. 39. adversùs Judæos, Sanctus Auguſtinus lib. 2. de doctrinâ Chriſt. cap. 23. Concil. Laodic. can. 36. Carolus Magnus lib. 6. Capitul. c. 72. & alii. Quin & Eccleſia remedia præſcribit contra maleficia.

Q. 11°. *Cur Deus hanc poteſtatem concedit dæmonibus?*

Reſpondet S. Auguſtinus citato lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 23. concedi ad puniendam illicitam cupiditatem, tùm eorum qui operantur illa vana, tùm eorum qui iis utuntur. *Hinc enim fit*, inquit, *ut occulto quodam judicio divino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus Angelis, quibus iſta pars mundi infima ſecundùm pulcherrimum ordinem rerum, divinæ providentiæ lege ſubjecta eſt. Quibus illuſionibus & deceptionibus evenit, ut illis ſuperſtitioſis & pernicioſis divinationum generibus, multa futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicunt* (nota) *multaque obſervantibus ſecundùm obſervationes ſuas eveniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis magiſque inſerant multiplicibus laqueis pernicioſiſſimi erroris.*

Hoc genus fornicationis animæ ſalubriter divina Scriptura non tacuit . . . Etiamſi dixerint vobis, inquit, & ita evenerit, ne credatis (Deuteron. 13.) *Omnes igitur artes hujuſmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quâdam peſtiferâ ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudiandæ & fugienda Chriſtiano.* Et infrà : *In omnibus ergo iſtis doctrinis ſocietas dæmonum formidanda, atque vitanda eſt, cui nihil cum principe ſuo diabolo, niſi reditum noſtrum claudere atque obſerare conantur.*

Q. 12. *Quale eſt peccatum vanæ obſervantiæ ?*

R. Eſt lethale, niſi ignorantia invincibilis excuſet.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Deut. 18. *Cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui . . . ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator ; nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem : omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos.* Ex quibus verbis colligere neceſſe eſt, vanam obſervantiam eſſe graviſſimum crimen, & quaſdam idololatriæ reliquias, quas ignorantia & incuria Paſtorum à paganis ad Chriſtianos tranſmiſit.

Probatur 2°. ex Traditione.

Concilium Laodicenſe Can. 36. *Non oportet eos, qui ſunt ſacrati, vel Clerici, eſſe magos, vel incantatores ; vel facere ea, quæ dicuntur amuleta (phylacteria, ligaturæ) quæ quidem ſunt ipſarum animarum vincula : eos autem qui talibus rebus utuntur, ejici ex Eccleſiâ juſſimus.* Concilium primum & quartum Mediolanenſe, tit. *de magicis artibus*, præcipit Paſtoribus & Confeſſariis, ut graviter objurgent eos, qui remedium aliquod valetudini aut vulneribus adhibent, quod non

à Medicâ arte, ſed à ſuperſtitione proficiſcitur; qui dies, tempora, & momenta, avium volatum, occurſum pecudum obſervant in itineris ſuſceptione, aut cujuſvis rei inſtitutione; quæ denotant grave peccatum. Idem ſuadent verba tùm ſancti Auguſtini mox relata, tùm Tertulliani cit. cap. 23. Apol. *Quas artes* (magicas) *ut ab Angelis deſertoribus prædictas, & à Deo interdictas, ne ſuis quidem cauſis adhibent Chriſtiani.* Addit ſanctus Chryſoſtomus hom. 39. adversùs Judæos, potius oppetendam mortem ſine iſtis vanis obſervationibus, quàm iiſdem curari, & eum, qui talia neglexerit, fore martyrem. *Hic & tu*, inquit, *ſi repuleris incantamenta etiamſi morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eo quòd aliis pollicentibus morbi 'evationem cum impietate, præoptâris mortem cum pietate.* Denique in quibuſdam diœceſibus vana obſervantia numeratur inter caſus graviores, & Epiſcopo reſervatos.

Dixi, *niſi ignorantia invincibilis excuſet*: talis autem cenſetur in iis, qui nec pactum cum dæmone ſuſpicati ſunt, nec aliud quidquam mali in hujuſmodi obſervantiis, nec à quoquam præmoniti ſunt ineſſe. Sed excuſari non poſſunt, qui vel expreſsè cum dæmonibus fœdus ineunt vel monentibus iſta eſſe illicita non acquieſcunt.

Q. 13°. *Licet-ne à malefico petere diſſolutionem maleficii?*

R. Poteſt duobus modis maleficium diſſolvi 1°. per novum maleficium, & uſum alicujus vanitatis: 2°. per meram deſtructionem prioris maleficii, v. g. tollendo ſignum, characteres, &c. quibus annexum eſt pactum, ſolvendo nodum funiculi, quo durante dicitur impediri uſus matrimonii. Primum eſt prorſus illicitum,

quia ex dictis res eſt per ſe mala morbum maleficio curare. Secundum eſt licitum; quia honeſtum eſt deſtruere opera diaboli, idolum in cloacam dejicere, libros magos comburere, quidni & diabolica ſigna? Imò maleficio pœnitenti Confeſſarius injungere debet, ut noxia illa amoveat, ſi poſſit abſque invocatione dæmonis.

Paragraphus II.

De Irreligioſitate.

Q. 1°. Quid eſt irreligioſitas?
R. Eſt peccatum, quo Deus vel in ſe, vel in rebus ſacris inhonoratur.

Q. 2°. *Quotuplex eſt irreligioſitas?*

R. Quintuplex; tentatio Dei, ſacrilegium, perjurium, blaſphemia, & ſimonia.

Q. 3°. *Quid eſt tentatio Dei?*

R. Eſt dictum vel factum ad capiendum experimentum omnipotentiæ, aut alterius attributi divini, per extraordinarium effectum ab eo temerè expectatum.

Dicitur 1°. *dictum vel factum*, quo intelligitur etiam omiſſio dicti vel facti, ut ſi quis vellet prorſus abſtinere à cibo, ſperans ſe à Deo extraordinariè ſuſtentandum. Sic Eccl. 18. dicitur quaſi tentans Deum, qui ante orationem non præparat animam ſuam; quia omittit medium neceſſarium ad rectè orandum.

Dicitur 2°. *per extraordinarium effectum;* nam religioſum eſt & pium aliquid à Deo expectare juxtà præſcriptum providentiæ ejus ordinem, v. g. quòd plantati & riganti dabit incrementum.

Dicitur 3°. *temerè expectatum;* quia ſi juberet Deus à ſe peti miraculum, ut juſſit Regi

Achaz, Iſ. 7. vel ſi neceſſitas urgeret, nec aliud ſuppeteret medium, ut dicitur 2. Paral c. 20. v. 12. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, ut oculos noſtros dirigamus ad te*; non cenſeretur tentatio Dei, modò id fieret cum ſummâ humilitate, reſque tota permitteretur divinæ voluntati, exemplo trium juvenum Dan. 3. v. 17. & diſcipulorum Chriſti, Act. 4. v. 30.

Q. 4°. *Quale peccatum eſt tentatio Dei?*

R. Eſt ex naturâ ſuâ mortale; quia magna cenſetur irreverentia, quòd vilis creatura præſumat Deum leges providentiæ ſuæ ad nutum illius immutaturum; prohibeturque Deut. 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Peccatum autem illud adjunctam aliquando habet infidelitatem, ut ſi quis dubitans de divinâ ſcientiâ, aut providentiâ, eam miraculo probare velit.

Dixi, *ex naturâ ſuâ;* nam poteſt eſſe veniale in eo, qui nec vult, nec advertit actionem ſuam pertinere ad Dei tentationem.

Q. 5°. *Quid eſt ſacrilegium?*

R. Eſt violatio rei ſacræ.

Q. 6°. *Quotuplex eſt ſacrilegium?*

R. Triplex; quia totuplex eſt ſacrilegium, quotuplex eſt ſpecies rei ſacræ: Atqui triplex eſt ſpecies rei ſacræ, nempe perſona, ut Clericus, Religioſus; locus, ut templum, cœmeterium; & ceteræ res Deo dicatæ, ut ſacramenta, vaſa ſacra, reliquiæ, imagines, Scriptura ſacra, bona Eccleſiæ: Ergo triplex eſt ſacrilegium. Ad tertiam ſpeciem Theologi revocant tempus Deo dicatum, quanquam nonnulli putent violationem diei feſti non eſſe propriè ſacrilegium, ſed irreligioſitatem quandam; quia, inquiunt, non propter tempus præcisè

certæ actiones præcipiuntur, aut prohibentur die feſto, ſed propter myſterium, quod die illo gratâ memoriâ recolitur; cùm contrà nonnulla prohibeantur in loco ſacro, directè ob loci venerationem.

Q. 7°. *Quotuplici modo violatur perſona ſacra?*

R. Quadruplici. 1°. Si injuſtè percutiatur, aut manus violenta ſuadente diabolo in illum injiciatur; ſi v. g. veſtis ejus, aut pileus cum magnâ ejus dejectione & contumeliâ detrahatur: ſi conſpuatur, pulvere conſpergatur, injuſtè detineatur cum magno ejus dedecore. In his & ſimilibus caſibus excommunicatio incurritur, niſi materiæ levitas excuſet à peccato mortali, ut contingit in pueris Clericali tonſurâ initiatis, qui non cenſentur gravi contumeliâ ſe afficere, dum in rixâ ſe propellunt, aut pugno ſe percutiunt. 2°. Si contra privilegium fori provocetur ad tribunal ſeculare. 3°. Si ſine legitimâ auctoritate & contra immunitatem eccleſiaſticam oneribus publicis ſubjiciatur. 4°. Si ipſe ſacris Ordinibus initiatus, aut Religioſus profeſſus contra caſtitatem peccet.

Q. 8°. *Quotuplici modo peccatur in loco ſacro?*

R. Triplici: 1°. Si vis ei inferatur, v. g. fores Eccleſiæ frangantur, bonis ſuis ſpolietur: ſi indè retrahantur delinquentes in caſibus prohibitis: ſi eccleſiæ dirutæ materia in profanos uſus convertatur. 2°. Si in loco ſacro fiant actus, quibus pollui poſſit, ut homicidio, illicitâ effuſione ſanguinis aut ſeminis humani, ſepulturâ excommunicati non tolerati, aut non baptizati. 3°. Si exerceantur in loco ſacro alii actus, qui, licèt eum non polluant, tamen ſanctitati ejus repugnant, vel ex prohibitione Eccleſiæ, ut mercatus, vel ex naturâ ſuâ ut omnia opera per ſe mala, de quibus fusè egi-

mus tractatu de ſacrificio c. 13. hic conſulendo.

Q. 9°. *Quale peccatum eſt ſacrilegium?*

R. Eſt mortale ex naturâ ſuâ; quia generatim loquendo gravis Religioni infertur injuria per violationem rerum ſacrarum; patetque ex pœnis, quibus puniuntur ſacrilegi: nam per legem civilem aliquando plectuntur capite, & per eccleſiaſticam, excommunicatione. Materiæ tamen levitas excuſat.

Q. 10°. *Tres ſacrilegii ſpecies continent-ne ſingulæ malitiam ſpecie diſtinctam, & in ſacramentali Confeſſione exprimendam?*

R. Affirmant communiter Theologi cum ſancto Thomâ q. 99. art. 3. ſacrilegium enim tantò gravius eſt ceteris paribus, quantò res, quæ violatur, eſt ſanctior atque ſacratior: atqui perſona eſt loco ſacratior; quia *ſanctitas loci*, inquit ſanctus Doctor, *ordinatur ad ſanctitatem hominis: non enim propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit*, 2. Mach. 5.

Dixi, *ceteris paribus*: nam enormis effractio templi cum ejus expoliatione gravius eſt crimen levi percuſſione Clerici.

Obſervat inſuper idem ſanctus Doctor in quâlibet ſpecie ſacrilegii diverſos eſſe malitiæ gradus. Namque 1°. eadem irreverentia pejor eſt in eccleſiâ, quàm in cœmeterio. 2°. Aliter violatur ſanctitas loci ſacri per effuſionem ſanguinis, aliter per furtum. Similiter perſona ſacra magis deprimitur per injuſtam manûs injectionem, quàm per iniquam provocationem ad tribunal ſæculare. Denique aliud eſt ſacrilegium fornicarii voto ſimplici aſtricti, aliud Religioſi, aliud Clerici Ordinibus ſacris initiati; quia hæ perſonæ, aliæ aliis ſunt ſacratiores. Unde meritò proſcripta eſt quorumdam modernorum ſententia, quâ aſſerunt ſatis eſſe, ſi pœnitens

in ſacramentali Confeſſione dicat ſe contra votum caſtitatis fornicatum fuiſſe.

Circà tertiam ſacrilegii ſpeciem ſic pergit ſanctus Doctor, cit. art. 3. Tertia ſpecies ſacrilegii, quæ circà alias res ſacras committitur, diverſos habet gradus, ſecundùm differentiam rerum ſacrarum, inter quas ſummum locum obtinent ipſa ſacramenta, quibus homo ſanctificatur, quorum præcipuum eſt Euchariſtiæ ſacramentum, quæ continet ipſum Chriſtum. Et ideò ſacrilegium, quod contra hoc ſacramentum committitur, graviſſimum eſt inter omnia. Poſt ſacramenta autem ſecundum locum tenent vaſa conſecrata ad ſacramentorum ſuſceptionem, & ipſæ imagines ſacræ, & reliquiæ Sanctorum; in quibus quodammodo perſonæ Sanctorum honorantur & dehonorantur. Deinde ea, quæ deputata ſunt ad ſuſtentationem Miniſtrorum, ſive ſint mobilia, ſive immobilia. Quicunque autem contra quodcunque prædictorum peccat, crimen ſacrilegii incurrit.

De perjurio & de blaſphemiâ diximus cap. præcedenti: quæ verò ſpectant ſimoniam, plurima ſunt, & ſeparatim examinanda.

CAPUT VIII.

De Simoniâ.

Paragraphus I.

Quid eſt Simonia?

R. Efinitur, *ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpiritale, vel ſpiritali annexum.* Hanc definitionem à majoribus acceptam probat S. Thomas qu. 100. art. 1. eamque Theologi

Theologi & Canoniſtæ unanimi conſenſu recipiunt. Sed accuratiùs exponenda eſt cùm ex illâ omnes ferè caſus, qui in hâc materiâ occurrunt difficiles, reſolvi queant. Itaque

Dicitur 1°. *voluntas*, quia omne peccatum debet eſſe voluntarium. Voluntarium autem non eſt, niſi adſit cognitio & advertentia ſufficiens; ignorantia enim invincibilis tollit voluntarium: propterea in definitione additur, *ſtudioſa*, id eſt, deliberata, & ex electione profecta. Ergo in caſu difficiliori poteſt dari ſimonia materialis tantùm, ſicut & uſura quæ non ſit formaliter peccatum. Sed quemadmodùm reſtituendum eſt lucrum proveniens ex contractu uſurario bonâ fine inito; qui contractus ille cùm ſit invalidus, non transfert rei uſurariæ dominium; ſic & pretium per ſimoniam comparatum reddi debet; quia res ſpiritualis vendi non poteſt, Beneficium v. g. dimittendum; quia collatio fuit irrita: Officium quoque Ordinis ſimoniacè collati ſuſpendendum, donec cum promoto fuerit diſpenſatum c. *de ſimoniacè ordinatis.* tit. *de ſimoniâ*, ubi ſic loquitur ſummus Pontifex Lucius III. *Cùm quidam ſecundùm quandam ſpeciem ſimoniæ, utpote ipſis ignorantibus, ſimoniacè ordinentur, poſſunt quia ſimoniaci non ſunt* (formaliter) *in ſuis Ordinibus remanere*, ſcilicet cum Epiſcopi diſpenſatione, ut probat Gloſſa; quia per ordinationem ſimoniacam nullum jus acquiritur. Sed de pœnis ſimoniacorum poſteà.

Dicitur 2°. *vel emendi*, *vel vendendi*, quibus verbis indigitatur omnis contractus oneroſus & minimè gratuitus, ſive quælibet commutatio rei ſpiritualis cum temporali; quatuor his contractibus innominatis expreſſa, 1. Do ut des. 2. Do ut facias. 3. Facio ut des. 4. Facio

ut facias. Do v. g. Beneficium, ut des quoddam pecuniâ æſtimabile: quæ conventio ſpeciem venditionis præ ſe fert. Do Canonicatum, ut facias in domo meâ quæ ſunt Capellani, &c. qui contractus reducitur ad conductionem. Efficio apud Principem ut te ad Abbatiam nominet, ut tu viciſſim penſionem, quam tibi ſolvere teneor, mihi condones & remittas, quod ad locationis contractum referri poteſt. Denique facio ut meo ſuffragio Prior eligaris, ut mihi pariter ſuffrageris ad aliud officium, vel pecuniam mutues. Hic contrahendi modus ſpecialis eſt, & ceteris diſſimilis.

Ergo ad ſimoniam propriè dictam neceſſaria non eſt venditio ſtrictè ſumpta, ſeu pactio mercis cum pretio; ſed requiritur duntaxat voluntas, ſeu intentio commutandi temporale cum ſpirituali, ſeu obtinendi unum ex his mediante alio. Quò enim refert Scriptura Act. 8. de Simon, à quo ſimoniaci & ſimonia ſic nominantur; Quòd Apoſtolis pecuniam obtulerit eo fine, eo intuitu, ut ab illis poteſtatem acciperet communicandi Spiritum-Sanctum. Nulla ibi mentio pactionis mercis cum pretio, voluit ſolummodo muneribus ſuis Apoſtolos delinire & movere ad concedendam gratiam, quam ambiebat. Unde merito ſummi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. Clerus Gallicanus anno 1700. Facultas Pariſienſ. an. 1665. & Lovanien. an. 1657. & 1659. & plures Epiſcopi in ſuis Diœceſibus has propoſitiones damnarunt, alii ut temerarias & ſcandaloſas; alii ut erroneas & hæreſim ſimoniacam per fallacem intentionis directionem inducentes. *Non eſt contra juſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferri gratis. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia quando temporale non da-*

tur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale: vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, etiamſi ſit principale motivum; imò etiamſi ſit finis. Enimverò admiſſis illis opinionibus, ipſe Simon Scripturæ textu condemnari non poſſet, videreturque Apoſtolus præcipitem in eum tuliſſe ſententiam, quod exiſtimaſſet donum Dei pecuniâ poſſideri. Non enim illicitum eſt in illâ ſententiâ, vel appetere donum Dei, tanquam finem, per pecuniam veluti per medium, vel offerre pecuniam pro ſpirituali non ut pretium, ſed ut motivum, vel gratuitam compenſationem. Neque alia intentio in Simone præſumenda eſt, ex Urbano II. cap. *Salvator. Nec Apoſtolus*, inquit, *emptionem Spiritus-Sancti (quam bene fieri non poſſe noverat) ſed ambitionem quæſtûs talis in eodem Simone exhorruit, & maledictionis jaculo percuſſit.*

Dixi requiri voluntatem obtinendi ſpirituale per temporale: namque cap. *Etſi* tit. *de Simon.* Si quis ordinatori vel conſecratori ſuo offerat *quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare vel movere non debeant, Eccleſia Romana interpretari non conſuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.* Addit ibidem Summus Pontifex certam regulam, ex quâ colligere liceat, utrùm munera proficiſcantur ex intentione movendi animum collatoris, nempe attendendum, quis dans, quiſve petens, quæ res, quæ cauſa petendi. Quis dat, pauperne ſit, vel dives. Quis petit aut accipit, ſcilicet, an ſit locuples aut indigens, adeò ut pro magno habeat, vel pro nihilo tale quid accipere. Quæ res, ſi magni vel minoris pretii. Quæ cauſa, an inſtante neceſſitate. Cùm autem citato capite agatur de equo, quem

frater Archiepiſcopi Strigonienſis, vir nobilis & præpotens, ipſo neſciente, tranſmiſerat ad Legatum Cardinalem, qui Pallium ad Archiepiſcopum deferebat, cuique è navi egreſſus equitaturam non invenerat, Summus Pontifex aufert ſcrupulum Archiepiſcopi dubitantis, num propterea ſimoniacè fuerit conſecratus; *quia non eſt vereſimile*, inquit Gloſſa, *quòd propter hujuſmodi modica, aliquis moveretur ad aliquod iniquum faciendum: & ità videtur à contrario, quòd ſi alia intentione equum Cardinali dediſſet, aliàs non daturus, niſi ut poſſet faciliùs expediri negotium fratris, licet eo ignorante, præjudicaſſet ei.*

Multò minùs ſuſpecta eſſe debent munera, quæ acceptum Beneficium ſubſequuntur quàm quæ præcedunt; quia pro eis donum ſpirituale conferri non potuit, ſi nec promiſſa, nec prævisa fuerint. Duo tamen hîc diligenter cavenda ſunt. Primum, ne ſolvantur, neve exigantur tanquam debitum, & veluti pretium aut merces rei, vel actionis ſpiritualis. Namque veteres, ut S. Ambroſius lib. 4. in Luc. ſanctus Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 16. Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacr. c. 2. S. Thomas hîc art. 1. ad quartum, Abulenſis, & alii uno ore Giezi ſimoniæ reum pronuntiant, quidquid contrà ſentiant nonnulli recentiores; quia pecuniam quaſi debitam ex collato Beneficio exegit, 4. Reg. 5. Unde Innocentius III. c. *Sicut pro certo*, de ſimoniâ, ſic decernit: *Tantum igitur abuſum, conſuetudinem, (quæ magis dicenda eſt corruptela) penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes, ut pro his ſive conferendis, ſive collatis* (notent reſignantes, vel ejus conſanguinei, qui importunè urgent reſignatarium ad remunerationem) *nemo aliquid quocunque prætextu exigere aut extorquere præſumat: alioquin & qui receperit, & qui*

dedit hujuſmodi pretium omninò damnatum, cum Giezi & Simone condemnetur. Et Petrus Damiani ep. ad Cardinales, de hìs qui ante acceptam gratiam nullum pactum inierunt, poſtmodùm verò tanquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer inſiſtunt, ſic ſcribit: *Hic ſe non dubitent Giezi crimen incurrere.* Secundum ne quis collator aut patronus, quamvis omni pacto ceſſante, gratiam conferat intuitu doni antidotalis, alias non collaturus. Quemadmodùm enim intentio facit uſurarium, ut habetur c. *Conſuluit*, tit. de uſur. ſic & ſimoniacum; quia ſic affecti revera dant ſpirituale pro temporali. Similiter à ſimoniâ excuſari non poſſunt, qui ad dandum ſibi ſpirituale invitant his & aliis ſimilibus verbis: *Non audeo quidquam tibi promittere, qui vetitum eſt: ſed confide probitati meæ & generoſitati: ego nunquam fui beneficii accepti immemor.* Hi quippe per ſpem boni temporalis ſpirituale conſequi intendunt.

Dicitur 3°. *aliquid ſpirituale*, quo nomine intelligitur res vel actio Deo ſacra, & ad religionem pertinens; ut ſunt Sacramenta, Reliquiæ Sanctorum, actus Ordinis & juriſdictionis ſpiritualis, Conciones & Catecheſes ſacræ, quæ prout in Eccleſiâ fiunt à Clericis, ordinantur ad ſupernaturalem audientium ſalutem. Ergo docere Philoſophiam, Theologiam, vel etiam Rudimenta fidei, ſicut docentur in ſcholis à ludimagiſtris, quamvis actiones ſpirituales ſint, nihilominus non cenſentur materia ſimoniæ; quia non ſunt functiones ſacræ.

Dicitur 4°. *vel ſpirituali annexum*; quædam enim temporalia ſic connexa ſunt ſpirituali, ut proventus temporales officio beneficiarii, reditûs Monaſterii, profeſſioni religioſæ, ut ſine eo emi aut vendi non poſſint.

Q. 2°. *Nunquam-ne licet vendere aut emere temporale ſpirituali annexum?*

R. Diſtinguendum eſt, nam temporale tripliciter poteſt eſſe annexum ſpirituali, 1°. Antecedenter. 2°. Concomitanter. 3°. Conſequenter.

Antecedenter illud cenſetur annexum, cui accedit ſpirituale, ut fundus, cui advenit Jus patronatûs, quod eſt ſpirituale; vas, lapis, balſamum, quæ poſtea conſecrari contingit. Porro temporale hujuſmodi, cùm ſit prius ſpirituali, & omninò ab eo independens, ſine dubio vendi & emi poteſt abſque ſimoniâ, modò tamen pretium ejus non augeatur ratione ſpiritualis annexi, nec Eccleſia talem venditionem prohibeat; qui enim cariùs venderet aut emeret vel agrum propter jus ei annexum præſentandi ad Beneficia, vel lapidem altaris propter ejus conſecrationem, ſimoniacus eſſet; quia cenſeretur vendere aut emere rem ſpiritualem. Extat quoque Eccleſiæ prohibitio, cap. *Ea quæ*, tit. de ſimon. ne vendatur balſamum, quod in chriſmate continetur; quia cùm balſamum ſit modici pretii, Epiſcopus Sacramenta vendere videretur.

Concomitanter annexa ſunt, quæ ſpirituale nec antecedunt nec ſequuntur, ſed comitantur, & hæc duplicis ſunt generis; alia enim ſunt merè extrinſeca, ut celebrare vel concionari in quodam loco valdè remoto: alia intrinſeca, ut labor & fatigatio neceſſaria ad celebrandam Miſſam; vel ad concionandum. Annexa prioris generis v. g. fatigatio longioris itineris, vendi poſſunt: quia pretio ſunt æſtimabilia, nec quidquam includunt ſpirituale: annexa verò poſterioris generis ſunt ipſamet functio ſacra, ſicut labor in colendâ vineâ eſt ipſa vineæ cul-

tura, ac proindè vendi nequeunt.

Conſequenter annexa ſunt ea, quæ ex ſpirituali pendent, tanquam à ſuâ causâ morali, ut proventus Beneficii ab officio divino, propter quod dantur, jus fruendi bonis Monaſterii à profeſſione ſolemni, quæ in eo emittitur, & de hujuſmodi temporali annexo rei ſpirituali intelligenda ſunt præſertim poſteriora definitionis verba.

Objicies 1°. contra allatam definitionem. Hæreſis pertinet ad intellectum: Atqui ſimonia eſt hæreſis, Cap. *Preſbyter*, 1. quæſt. 1. & cap. *Patet*, quæſt. 7. dicuntur ſimoniaci primi & præcipui Hæretici maximè deteſtandi, Cap. *Eos*, quæſt. 1. ſic habetur, *Tolerabilior eſt Macedonii hæreſis*, (quâ negabat Spiritum-Sanctum eſſe Deum) *quàm Simoniacorum. Illi enim creaturam & ſervum Dei Patris & Filii, Spiritum-Sanctum delirando fatentur, illi verò Spiritum-Sanctum efficiunt ſervum ſuum.* Ergo ſimonia malè definitur ſtudioſa voluntas.

Diſtinguo minorem cum S. Thomâ hîc a. 1. ad primum; Simoniaci ſunt hæretici interpretativè & ſpecie tenùs, quatenùs vendendo donum Spiritûs-Sancti: exteriùs ſignificant illud eſſe quid venale & pretio temporali æſtimabile, & de eo diſponunt tanquam de re, quæ ſit ſub illorum dominio, Concedo: Sunt hæritici formaliter, quaſi interiùs credant donum Spiritûs-Sancti non pluris valere, quàm pretium temporale, & ſuo dominio verè & propriè ſubeſſe, ſubdiſtinguo: aliquando, Tranſeat, & in hâc hypotheſi infidelitatem cum ſimoniâ conjungerent: ſemper & neceſſariò, Nego minorem. Quemadmodùm enim qui abuteretur Euchariſtiâ, videretur quidem negare præſentiam realem, quamvis interiùs illam crederet;

ſic qui vendit aut emit donum Spiritûs-Sancti, indignè quidem illud tractat tanquam ſit quiddam vile & venale; ſed inde non ſequitur neceſſariò, quòd temporale cum ſpirituali adæquet.

Inſtabis: in venditione adæquatur pretium cum merce: Atqui ſimonia ex dictis, eſt venditio rei ſpiritualis pro temporali: Ergo.

Diſtinguo majorem, in venditione juſtâ, C. injuſtâ, Nego majorem: Ideo enim eſt injuſta, quia in ea non ſervatur æqualitas. Porro ſimonia multis ex capitibus eſt injuſta: Ergo.

Objicies 2°. contra ſecundam definitionis partem. Simonia reprobata eſt jure tùm divino, tùm Eccleſiaſtico: Atqui utroque jure probatur commutatio rei temporalis cum ſpirituali: Ergo ſimonia malè definitur, voluntas emendi, &c.

Minor probatur 1°. ex Scripturâ: Luc. 10. verſ. 4. Chriſtus de operariis evangelicis ait, *Dignus eſt operarius mercede ſuâ.* 1. Cor. 9. v. 11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus?* Et v. 14. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Judæi quoque in veteri lege non conſulebant Prophetas vacuis manibus, ut conſtat ex cap. 9. 1. Regum verſ. 7. Probatur 2°. ex conſtanti uſu univerſalis Eccleſiæ, in quâ aſſignantur decimæ pro Miniſteriis ſacris; taxantur ſtipendia reſpondentia cuilibet officio ſacro; celebrantur & approbantur contractus, in quibus fideles proprietatem bonorum ſuorum tàm immobilium, quàm mobilium transferunt in pia loca, cum pacto quòd preces & ſacrificia pro ipſis ibidem offerentur. In Curiâ Romanâ diſpenſationes & Beneficiorum proviſiones ſine pecuniâ non obtinentur.

Patres Concilii Tridentini ſeſſ. 21. cap 8. *de Refor.* ſtatuunt quòd tertia pars Præbendarum in diſtributiones convertetur, *ne quâ in parte*, inquiunt, *minuatur divinus cultus; ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur*, nimirùm, propter ſpem lucri præſentibus duntaxat injectam. Denique Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. hunc Wiclefi articulum cum aliis damnavit, *Simoniaci ſunt, qui ſe obligant orare pro aliis, qui eis in temporalibus ſubveniunt.* Ex quibus ſequitur, contractus oneroſos, ſive emptionis, Do ut des; ſive conductionis, Do ut facias; ſive locutionis, Facio ut des, non eſſe ſimoniacos, ac proinde rejiciendam allatam ſimoniæ definitionem.

Nego minorem; ad cujus confirmationem, Reſpondeo, hæc intelligenda de mercede, non propriè dictâ, quæ ſit pretium reſpondens merito & dignitati operis ſacri; ſed latiùs ſumpta pro ſtipendio neceſſitatis. Quòd autem diſtinguendum ſit inter mercedem, ſeu pretium, & neceſſariam ſuſtentationem, docet ſanctus Auguſtinus lib. de Paſtoribus cap. 2. ubi ſic habet de Miniſtris ſacris: *Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, & mercedem diſpenſationis à Domino;* declaraturque exemplo Curſoris regii, qui longo itinere præferre magni pretii munera, quibus Rex ſtrenuum & vigilantiſſimum alicujus provinciæ ducem honorare ſtatuit. Curſor ille ſicut gratis accepit illa munera, ſic gratis deponit, nec pretium eorum exigit. Sed æquum non eſt, ut propriis impenſis tam longam peregrinationem peragat. Cùm autem nullum pro eâ, ut ſupponitur, à Rege ſtipendium acceperit, quid juſtius quàm ut à duce expectet? Sic ſe res habet in noſtro negotio. Chriſtus miſit ſuos diſcipulos miſteriorum

diviņorum diſpenſatores ſine perâ, ſine pecuniâ in zonis ſuis, ſed cum hoc præcepto: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Addit tamen, *dignus eſt operarius cibo ſuo*, Matth. 10. *mercede ſuâ*, Luc. 10. Mercede, inquam, non quæ ſit pretium rei ſacræ, quam miniſtrant, alioquin contradictoria locutus fuiſſet, *Gratis date, mercedem accipite;* ſed quæ ſit ſubſidium neceſſitatis eorum, qui totos ſe fidelium obſequio mancipant. Major autem eſt illorum neceſſitas, qui majora onera ſuſtinent, ut ſummus Pontifex, Epiſcopi, & qui bene præſunt, de quibus Apoſtolus 1. Timoth. c. 5. *duplici honore* (honoratio) *digni habeantur.*

Inſtabis: ex hâc reſponſione ſequitur neminem ex munere accepto poſſe judicari ſimoniacum, ſed ex ſolâ ejus intentione, quæ cum ſit occulta, etiam abſolvendus erit ipſe Simon; charitas enim exigit ut aliorum facta benignè interpretemur, ſi id fieri poſſit, c. *Eſtote*, de reg. juris. Imò vera erit quorumdam recentiorum ſententia, à Clero Gallicano notata, per mentis directionem omnem vitari ſimoniam, adeò ut tanquam Idea Platonica nullibi reperiatur niſi in ſtolidis; facile enim eſt cuilibet prudenti rectâ intentione dare & accipere pecuniam, & quidquid eſt pecuniâ æſtimabile, ut ſtipendium honeſtæ ſuſtentationis, non ut pretium aut mercedem ſacri operis.

Nego ſequelam, & ad ejus confirmationem reſpondeo.

Primò, intentio ſatis ſe prodit per externum opus lege prohibitum, v. g. ſine cunctatione blaſphemum aut furem dicimus, qui cum advertentiâ blaſphemias profert; aut aliena ſurripit: Atqui Eccleſia prohibet, & damnat tanquam ſimoniaca, 1°. generatim omnia pacta

pro ſpiritualibus, C. *Pactiones*, tit. de Pactis. 2°. ſpeciatim pro ingreſſu Religionis, quandò Monaſterium eſt pingue, C. *non ſatis*, C. *veniens*, tit. de ſimon. Et in extravag. *Sane*. Urbanus IV. prohibet exigi pro receptione ad Religionem, *quoſcunque pactus, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad uſum eccleſiaſticum*. Item pro Beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis quibuſcunque, Extravagante, *Cùm deteſtabile ſcelus ſimoniacæ pravitatis*, quæ eſt Pauli II. tit. de ſimon. ubi ſummus Pontifex non ſolùm electores, præſentantes, ſed & mediatores, qui quomodolibet dederint aut receperint pro Beneficiis & Eccleſiaſticis Officiis, ferit excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſervatâ, polliceturque veniam complicibus, ſi revelaverint, alioquin *abſolvi non valeant*. Imò Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 18. de reform. de examinatoribus in concurſu, ſic ſtatuit: *Caveant, ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis nec ante nec poſt accipiant; alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quàm alii dantes incurrant.* De ordinationibus quoque, c. *in ordinando*, tit. de ſim. ſic præſcribitur: *Sicut non debet Epiſcopus manum, quam imponit, ita nec Miniſter, vel Notarius in ordinatione ejus vocem vel calamum vendere;* addit. Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. de reform. nec ſponte oblatum ſuſcipere: *Nihil*, inquit, *pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec aliâ quâcumque de causâ, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum Miniſtri quovis prætextu accipiant. Notarii verò, . . . pro ſingulis litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus decimam tantùm unius aurei partem accipere poſſint, dummodò eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo. Nec*

Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire poſſit .... contrarias taxas, ac ſtatuta & conſuetudines etiam immemorabiles, quæ potiùs abuſus & corruptelæ nuncupari poſſunt, penitus caſſando & interdicendo. Denique causâ 1. qu. 1. à canone 99. ad can. 110. prohibentur exactiones pro Baptiſmo conferendo, Euchariſtiâ diſpenſandâ, & aliis Sacramentis miniſtrandis, conſecratione Eccleſiarum, &c. Ergo qui has leges contemnit; vel ex ſuo facto judicandus eſt ſimoniacus.

Secundò, ubi lex vel laudabilis conſuetudo Miniſtris Sacris permittit accipere à populo ſuſtentationem neceſſitatis, intentio ſimoniaca colligitur aut præſumitur 1°. Si exigatur per ſpiritualium ſubtractionem, cùm ex Cap. *in tantum*, de ſimon. *expreſſiùs exprimat venditionis ſpeciem, qui priùs recipit pretium, quàm rem conferat pretioſam.* Gratis tamen ſpiritualibus priùs exhibitis, inquit S. Thomas art. 3. licitè poſſunt conſuetæ oblationes exigi à nolentibus & valentibus ſolvere, auctoritate Superioris interveniente. 2°. Si quis pecuniæ vi inducatur ad conferendam rem ſacram, tùm maximè, cùm negare debet, v. g. ad nuptias filii familias benedicendas invitis parentibus, miniſtranda Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ indignis, putà publicis uſurariis, concubinariis, &c. Hæc eſt ipſa impietas Simonis, qui, mediante pecuniâ, donum Spiritûs-Sancti, quo erat indignus, obtinere voluit.

Quantùm autem iſta venalitas fidelium animos offendat, præjudicetque cultui divino, intelligi poteſt, tùm ex cap. 2. lib. 1. Reg. ubi de filiis Heli, qui patrem, quæ ex victimis competebat Sacerdotibus, tollebant priuſquàm

perageretur Sacrificium, ſic legitur verſ. 17. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coràm Domino; quia retrahebant homines à ſacrificio Domini.* Tùm ex Concilio Lateran. IV. cap. *Cùm in Eccleſia*, de ſim. *Horribile nimis eſt*, inquiunt Patres, *quòd in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere; ità ut pro quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſedem, necnon & pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere; quia legem mortis de longâ invaluiſſe conſuetudine arbitrantur: non attendentes quòd tantò graviora ſunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam.* Enimverò quis non facilè arbitraretur ſe audire Judam dicentem: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Matth. 26. cùm omnibus vel ad benedicendas nuptias, vel ad celebrandas exequias paratis, Sacerdos miniſterium ſuum denegat, donec quis pecuniam aut numeret, aut pro eâ ſpondeat? In his ergo titulus honeſtæ ſuſtentationis non excuſat omninò.

Tertiò denique cavendam quoque ſimoniam in oblationibus, quæ vel ſponte fiunt in amicitiæ & gratitudinis teſtificationem, vel taxantur à Superiore in neceſſariæ ſuſtentationis ſubſidium, docet Synodus Pariſienſis ſub Stephano Poncherio, his verbis: *Ne Clerici committant ſimoniam etiam mentalem, adeundo divinum Officium ſub ſpe materialium diſtributionum.* Committunt autem, ſi illas diſtributiones tanquam finem operis ſacri intendant. Ita S. Thomas quodlib. 5. art. 11. *Clericus*, inquit, *qui vadit ad Eccleſiam principaliter propter diſtributiones, quas recipit tanquam finem ſui operis, committit ſimoniam*: & Opuſcul. de officio Sacerdo-

tis. *Non poteſt Sacerdos illâ intentione miniſtrare, ut ex hoc pecuniam conſequatur; quia peccaret mortaliter.* Eadem tradit Gloſſa in caput unicum de Clericis non reſidentibus in 6°. probatque ex cap. *tua nos*, & ex cap. *Mandato*, de ſim. ubi Simoniaci coram Deo dicuntur, qui dant temporalia cum intentione acquirendi ſpiritualia, & vice verſâ, quamvis nullum pactum præceſſerit; quia id in ſpiritualibus eſt ſimonia, quod in temporalibus eſt uſura: Atqui ex C. *Conſuluit* de uſuris, uſurarius judicandus eſt & ad reſtitutionem compellendus qui omni pactione ceſſante mutuat, aliàs non mutuaturus, niſi ultrà ſortem recipere ſperaret: Ergo. Unde ſanctus Antonius 2. parte, tit. 3. concludit, mortale eſſe quærere aut appetere Curata Beneficia; principaliter propter honorem & divitias, quæ ex iis percipiuntur.

Q. 3°. *Sed nunquid temporalia poſſunt appeti tanquam finis minùs principalis & ſecundarius?*

R. Affirmant Theologi benemulti; ſed illa ſententia in praxi valdè periculoſa eſt: tùm quia cupiditati plurimum favet: tùm quia facile eſt ſibi perſuadere temporale eſſe finem minùs principalem, cùm reverâ ſit principalis, ſæpiſſimè etiam unicus ac totalis, ſpirituale verè medium; tùm denique quia quod fit pro temporali tanquàm pro fine ſecundario, gratis non fit, ut patet in eo, qui in Beatam Virginem piè affectus ita ædificaret ei ædem, ut nihilominùs de mercede operis ſecundariò cogitaret, & de eâ paciſceretur. Evidens quippe eſt talem artificem pro pretio locare ſuas operas, quamvis primariò ad cultum Beatæ Virginis illa dirigat.

Confirmatur ex ſancto Auguſtino lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 25. ubi expen-

dens Chriſti verba, *Quærite primùm regnum Dei*, ſic ſcribit: *Non dixi deinde iſta quærite: ne cùm iſta quæratis, duos fines conſtituatis, ut & regnum Dei propter ſe appetatis, & iſta neceſſaria; ſed hæc potiùs propter illud... Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam & ſtipendium; ſic omnes Evangelizantes accipiunt victum & tegumentum. Sed non omnes propter ſalutem Reipublicæ militant, ſed propter illa quæ accipiunt. Sic & non omnes propter ſalutem Eccleſiæ miniſtrant Deo, ſed propter temporalia, quæ tanquam annonam & ſtipendia conſequuntur, aut propter hoc, & propter illud. Sed ſuprà jam dictum eſt: Non poteſtis duobus dominis ſervire. Ergo ſimplici corde tantummodò propter regnum Dei debemus operari. Non autem in hâc operatione, vel ſolam, vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare.*

Urgebis: ſi id in ſpiritualibus eſt ſimonia, quod in temporalibus uſura, vix ullus Clericus à ſimoniâ excuſari poterit; namque ex citato cap. *Conſuluit*, uſurarius judicandus eſt, qui mutuat ſpe accipiendi ultrà ſortem, aliàs non mutuaturus, quamvis nullum pactum præmiſerit. Quis autem Clericorum obſequio alicujus Eccleſiæ ſe manciparet, niſi commoda temporalia ſperaret? Annon plerique ab unâ Eccleſiâ ad aliam tranſeunt propter ampliores reditus? Cur Sacerdotes ad unam ædem potiùs quàm ad aliam confluunt celebraturi, niſi quia ſtipendium alibi non eſſent accepturi? Nonne in majoribus Eccleſiis Cantores mercede conducuntur ad divina Officia celebranda, quemadmodùm conducuntur famuli ad domeſtica obſequia? Cùm ergo conſuetudinem tam univerſalem nullus ſine temeritate damnaverit tanquam ſimoniacam, alia quærenda eſt ſimoniæ definitio.

Nego anteced. Quia etſi non omnes Clericos, quamplurimos tamen à ſimoniâ vindicare licet, vel ex ipsâ uſuræ ſimilitudine. Namque ex ſancto Antonino 3. part. tit. 1. cap. 7. mutuans dupliciter moveri poteſt ad mutuandum ex ſpe accipiendi ultra ſortem : 1°. principaliter, adeo ut ſine illâ ſpe non mutuaret, & tunc ſine dubio uſuram committit, juxtà citat. caput *Conſuluit*. 2°. Minùs principaliter & ſecundariò tantùm, cùm ſcilicet ex benevolentiâ & affectu ſublevandi neceſſitatem proximi, ſic paratus eſt ad mutuandum, ut ſine illâ ſpe remunerationis gratuitæ, quæ affulget, nihilominus mutuaret. Simili modo inter Clericos diſtinguendum docet S. Thomas quodlib. 8. art. 1. *Si*, inquit, *hujuſmodi diſtributiones recipit* (Clericus) *quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet finem principalem Deum in tali actu, ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundariò, non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod neceſſarium eſt ad ſuam ſuſtentationem, conſtat quòd non vendit actum ſpiritualem, & ita ſimoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio diſtributionum non erit cauſa; quare ad Eccleſiam vadat, ſed propriè hujuſmodi determinationis, quare nunc vadat, & non aliâ vice.* Item, quare in hâc Eccleſiâ potiùs quàm in aliâ celebret, aut miniſtret; non verò quare ſimpliciter celebret aut miniſtret.

Quod ſpectat Cantores conductitios, etſi aliqui ſcribere non dubitaverint Cantorum officium non eſſe ſacrum, quod pias aures offendit: tenendum conſtanter cantum, qui divinis laudibus adhibetur, pertinere ad divinum Officium, muſicos in Eccleſiis adhiberi, non ad demulcendas aures ut in ludis theatralibus, quod eſſet prorſus indecens & irreligioſum; ſed ad

laudes Dei depromendas, & provocandam fidelium devotionem : Ergo gratis & religioſè id muneris obire tenentur, nec temporale accipere debent : niſi titulo honeſtæ ſuſtentationis.

Ex noſtrâ reſponſione ſequitur ſatis non eſſe ad vitandam ſimoniam, ſi dirigatur mentis intuitus; ſed imprimis corrigendum inordinatum voluntatis affectum. Namque ſimonia minùs ex errore procedit, quàm ex cupiditate : *Simoniacus peroptimè novit, & malè facit*, inquit S. Bonavenrura in quartum diſt. 25. quæſt. 4. *& ſic eſt avarus, & in peſſimâ avaritiæ ſpecie, nec eſt propriè hæreticus.* Cùm autem cupiditas ſpectet temporale ut finem, & cetera etiam ſacratiſſima ut media; ubicunque dominatur, ſimoniam datâ occaſione parit : in idiotis quidem & ſtolidis apertam & craſſam; in doctis verò & perſpicatioribus velatam honeſtis nominibus donationis, gratificationis, & ſuſtentationis, quibus prudentes ſeculi hominum judicium & condemnationem effugiunt, eò infeliciores, quòd impœnitentes incidant in manus Dei viventis. Extirpetur ergo cupiditas, ejus loco regnet ubique charitas, & ſimonia nuſquam erit.

Objicies 2°. contra ultimam definitionis partem : temporale conſequenter annexum ſpirituali licitè vendi & emi poteſt : Ergo non eſt ſimoniæ materia.

Probatur antec. ex communi Eccleſiæ praxi. Enimverò temporale ex dictis eſt conſequenter annexum Beneficio : Atqui temporale illud lege eccleſiaſticâ emitur & venditur, ut conſtat 1°. ex Annatis, quæ lege nunc receptâ exiguntur & ſolvuntur pluris vel minoris, quo proventus cujuſlibet Beneficii ampliores ſunt vel tenuiores. 2°. Ex penſionibus, quas reſignatarii co-

guntur ſolvere reſignantibus ; eo ferè modo, quo quis venderet domum vel agrum cum pacto annuæ penſionis.

Nego anteced. ad cujus confirmationem.

Reſpondeo 1°. acriter quidem fuiſſe pugnatum contra Annatas præſertim quæ in Curiâ Romanâ exiguntur pro majoribus Beneficiis, quæ conſiſtorialia vocant, eò quòd nonniſi in Conſiſtorio ſummi Pontificis conferri ſoleant; eaſque tanquam ſimoniacas fuiſſe proſcriptas in Concilio Baſileenſe ſeſſ. 24. & in Pragmaticâ ſanctione Caroli VII. ſed tandem omnes agnoverunt licitè exigi in ſubſidium honeſtæ ſuſtentationis. Si enim oblationes & decimæ jure divino debentur Eccleſiæ Miniſtris, cur earum pars non cedet & ſummo Pontifici, qui univerſali Eccleſiæ providet; & Epiſcopis, qui totius diœceſeos curam gerunt; & Archidiaconis, qui in partem ſollicitudinis veniunt, nec aliundè habent unde honeſtè ſuſtententur?

Reſpondeo 2°. quoad penſiones. Sicut Eccleſia temporale annexit ſpirituali, ita divellere & ſeparare poteſt, ſive ad neceſſariam ſuſtentationem eorum, qui ſibi utiliter miniſtrarunt, vel miniſtraturi ſunt, v. g. ad alendos juvenes in Seminario; ſive ad ſuſtinenda quædam Reipublicæ onera; cùm enim Clerus ſit pars Reipublicæ, & quidem nobiliſſima, æquum eſt ut eam laborantem pro virili adjuvet. Unde patet temporale tum annexum eſſe ſpirituali, cùm ordinatur ad Miniſterium ſacrum, v. g. ad curam animarum, Officium divinum perſolvendum, &c. & eatenùs nec emi nec vendi poteſt: ſeparatum autem eſſe, cùm in uſus non ſacros diſpenſatur, & tunc licet de eo paciſci ſicut de ceteris bonis temporalibus.

Advertendum tamen eſt circa penſiones, 1°.

alias dici Laïcas, quæ dantur Laïcis pro miniſterio purè temporali, v. g. Advocato, protectori: alias Clericales quæ conceduntur Clericis, ut Clerici ſunt, quamvis non ad ſpirituale Miniſterium, ſed ad honeſtam eorum ſuſtentationem. Ad hujuſmodi autem penſiones jure communi requiritur, ut quis ſit tonſurâ Clericali inſignitus: ætatis legitimæ, nullis cenſuris irretitus, non irregularis, non conjugatus, non illegitimus, nec aliundè habeat quæ ad honeſtam ſuſtentationem ſibi neceſſaria ſunt. His penſionariis (ſi in majoribus Ordinibus non ſint conſtituti) Pius V. impoſuit onus recitandi Officii Beatæ Mariæ, ſub pœnâ reſtitutionis fructuum; æquum enim eſt ut qui ex Eccleſiæ bonis: quæ ſunt res Dei, ſuſtentatur, ſpeciale Deo obſequium præſtet. Penſio tamen non cenſetur eſſe propter Officium; ſicut Præbenda, aliàs naturam Beneficii ſortiretur; ſed eſt quid temporale antecedenter annexum ſpirituali. Nihilominùs redimi non ſolet ſine auctoritate ſummi Pontificis, ut ſenſit Navarrus Enchyr. c. 23. num. 111. & tradit expreſsè Corradus praxi Benef. lib. 5.

Sed circa penſiones Clericales advertendum 1°. conſuetudinem obtinuiſſe, ut ſolus ſummus Pontifex penſiones imponere poſſit, exceptis quibuſquam caſibus: nam ſeſſ. 21. Concil. Trident. cap 6. de reform. conceditur Epiſcopis, ut imperitis, ſed honeſtæ vitæ rectoribus Vicarios pro tempore deputent cum parte fructuum aſſignandâ. Et ſeſſ. 23. cap. 18. eiſdem facultas datur erigendi Seminaria, & imponendi penſiones Beneficiariis ſuæ diœceſeos ad ſuſtentationem Clericorum quos in illis Seminariis collegerint. Imò ſi Paſtor ſenio aut infir-

mitate confectus cogatur dimittere Beneficium, quod adeo tenue eſt, ut Vicarium cum ipſo alere non ſufficiat, & ad ſummum Pontificem difficilior ſit acceſſus, ptopter nimias expenſas; Epiſcopus penſionem illi reſervare poteſt. 2°. Non licere, ſaltem ſine conſenſu ſummi Pontificis, ſponſorem pro ſponſione exigere; quia cùm ſponſor ſe ad ſolvendum obliget in defectum debitoris, reſignans cenſeretur dimitteſe Beneficium pro pecuniâ, quæ inter fructus Beneficii ſibi reſervatos non computatur. 3°. Penſionem tertiam fructuum partem excedere non debere ſaltem in Beneficiis, quæ reſidentiam perſonalem requirunt, ut Curata Beneficia, & Canonicatus, nec in iis Beneficiis Galliæ leges paterentur etiam à Romano Pontifice ultrà tertiam partem penſionem concedi: ſed in ſimplicibus admittere ſolent uſque ad mediam partem fructuum, ſi ſummus Pontifex indulſerit. 4°. Pactum ſive expreſſum, ſive tacitum, de redimendâ penſione, ſi reſignationem præcedat, ſimoniacum eſſe; quia eſt quædam Beneficii implicita venditio. 5°. Ut penſio ſit licita requiri cauſam honeſtam, & juſtum titulum: juſtus autem titulus non eſt ipſa Beneficii reſignatio præcisè ſumpta, quatenus reſignans in gratiam reſignatarii ſpoliat ſeſe jure percipiendi fructus. Quia jus illud fundatur in Officio: Atqui reſignans nullum Officium prætexere poteſt: non præteritum cùm pro illo fructus jam receperit: non futurum: quia nullum reverà præſtiturus eſt. Ergo penſio Clericalis eo titulo juſtè non reſervaretur. Legitima itaque hujus penſionis cauſa, quæ in libellis ſupplicibus ſemper exponitur ad movendum ſummum Pontificem, eſt indigentia reſignantis, *ne nimium patiatur diſpendium ex reſignatione,*

inquit Orator in ſuo libello ſupplici. Ergo ſi preces veritate non nitantur, ſubreptitia eſt conceſſio & nulla.

Nec dicas, ex communiori Theologorum ſententiâ Beneficiarium fructus Beneficii legitimè percipere, quamvis pingui matrimonio gaudeat; namque ea diſparitas eſt inter Beneficiarium & penſionarium, quòd ille altari deſerviat: Ergo cum altari participare debet: pro Eccleſiâ militat, quis autem militat ſuis ſtipendiis unquam? ait Apoſtolus 1. Cor. 9. Iſte verò nec laborat, nec ullâ re indiget, ut ſupponitur. Cur ergo pars ſtipendii Miniſtris ſacris debiti in illum transferretur? an ut luxurioſiùs vivat, aut propinquos ditet? Abſit ut tam ſiniſtra cogitemus de ſummo Pontifice; diſpenſator eſt, non diſſipator bonorum Eccleſiæ; ſolâ itaque ſubventionis cauſâ transfert in reſignantem, qui laudabiliter miniſtravit, fructuum Beneficii partem à titulo ſpirituali ſeparatam; ac proinde falsò objiciebatur reſignantem vendere temporale ſpirituali annexum.

Inſtabis: Atqui licet aliquando vendere & emere temporale, quamvis non ſit auctoritate Eccleſiæ à ſpirituali ſeparatum. Ergo nulla ſolutio.

Probatur anteced. ex C. *Niſi eſſent*, de Præbendis, ubi Innocentius III. approbat, quòd arbitri ad ſopiendam litem moram circa Prioratum ſic ſtatuerint, ut unus litigantium Prioratum poſſideret; alter verò à poſſeſſore quadraginta libellas annuatim acciperet. Simile judicium priùs tulerat Alexander III. C. *De cetero*, tit. *de Tranſactionibus*, ubi agitur de cenſu annuo cuidam Eccleſiæ pro bono pacis impoſito à Judicibus arbitris, ſine auctoritate Epiſcopi, quam compoſitionem tolerat ſummus Pon-

tifex. Quin in hâc noſtrâ ætate litigantes his juribus freti palàm ſic tranſigunt, ut alter retineat Beneficium, alteri omnes expenſæ inſuper & penſio ſolvantur: Atqui in hujuſmodi pactis & tranſactionibus temporale manet annexum ſpirituali; cùm nulla interveniat auctoritas Eccleſiaſtica, ſine quâ talis diſtractio ſeu ſeparatio fieri nequit.

Nego anteced. & ejus confirmationis minorem. Namque Eccleſia, quæ nihil optatius habet, quàm ut citiſſimè extinguant lites & diſſidia, dedit arbitris poteſtatem ſeparandi temporale à ſpirituali, ſi pax aliter conciliari non poſſit. Dico, arbitris, non litigantibus, ut expreſsè habetur cit. C. *Niſi eſſent. Poſſunt licitè*, inquit ſummus Pontifex ... *propter prædictas cauſas, non quidem ex pactione partium, ſed ex juſſione judicum proviſionem hujuſmodi exhibere ... ita quòd ipſo Priore defuncto, ſucceſſor ipſius ad præſtationem quadraginta librarum minimè teneatur.* In quibus verbis duo notanda ſunt diligenter. Primum, partes non poſſe abſque ſimoniâ convenire de penſione & expenſis ſolvendis, ſed rem totam arbitri judicio committere debent. Secundum, penſionem ſic impoſitam, niſi confirmetur à Sede Apoſtolicâ, non onerare Beneficium, ſed Beneficiarium duntaxat, adeo ut ipſo defuncto non tranſeat ad ejus ſucceſſorem.

Urgebis ex C. *Quæſitum*, 1. qu. 3. & ex C. *Dilectus* 1. tit. *de ſim.* ſimoniacus non eſt, qui ſine Judicis aut arbitri ſententiâ promittit vel ſolvit pecuniæ ſummam, ne vexetur in Beneficii poſſeſſione. Ergo.

Diſtinguo anteced. qui ſolvit ad removendam iniquam vexationem, Conc. ad acquirendum jus ad Beneficium, vel ad confirmandum jus dubium in Beneficio, Nego ant. Itaque triplex

vexatio diſtingui poteſt; alia eſt evidenter juſta: alia evidenter iniqua: alia, de cujus juſtitiâ aut injuſtitiâ dubitare licet. Prima & tertia redimi non poſſunt abſque ſimoniâ, ubi agitur de re ſpirituali, v. g. de Præbendâ obtinendâ vel retinendâ; quia in illâ hypotheſi per pecuniam pararetur via ad Beneficium. Sic ſimoniacus eſſet, qui daret pecuniam alteri, ne pro alio apud patronum aut collatorem intercederet; ne elector in æmulum propenderet; ne doctior ad concurſum cum aliis conveniret; ne defectum ſuum occultum collatori detegeret; ne habens jus utcunque probabile litem moveret, aut motam proſequeretur, &c. Secunda redimi poteſt abſque periculo ſimoniæ, quando redimens jus habet jam acquiſitum, & iniquè vexans poteſt duntaxat obeſſe & nullatenus prodeſſe; quia nihil ſpirituale ſic emitur, ſed repellitur injuria ſibi illata, quæ eſt quid temporale.

Dixi 1°. *Quando redimens jus habet acquiſitum*; aliàs per pecuniam ſpirituale compararet. Hinc puella, quam monaſterium pingue non vult admittere, niſi ſub conditione dotis; non ſine ſimoniâ conditionem admitteret ſub prætextu injuſtæ vexationis; quia jus non habet ingrediendi illud Monaſterium.

Limitanda tamen videtur hæc regula, nempe ſi vexationis redemptio merè per accidens ſit ad ſpirituale conſequendum, rationemque ſolummodò habeat removentis prohibens, & nullatenus medii, quo ſpirituale obtinere poſſit. Sic qui falſis criminationibus impetitur apud collatorem; qui per vim detinetur, ne ad diem ſe ſiſtat coram Examinatoribus, non cenſetur ſimoniacus ſi per pecuniam os calumniatoris occludat; vel libertatem ſuam redimat,

Dixi 2°. *ſi iniquè vexans prodeſſe non poteſt:* qui enim electori, vel patrono, vel collatori munus daret, ut pravum in ſe affectum deponeret, pecuniâ tanquam medio uteretur ad Beneficium obtinendum. Ad hoc referri poteſt C. *Matthæus*, de ſimoniâ, ubi interrogatus ſummus Pontifex à quodam, qui ad regimen Eccleſiæ electus fuerat à majori Fratrum parte, paucis contradicentibus, quorum contradictio ceſſaverat per pecuniam datam ei, qui fuerat magiſter diſcordiæ; ſic reſpondet: *Multùm tibi conſulis, ſi adminiſtrationem celeriter & ſponte dimittis:* quia ſecundùm Gloſſam poterat impediri electionis confirmatior. *Fortè*, inquit, *electus ille erat irregularis & corrupta maritus, & ſic mediante pecuniâ fuit confirmatus.* Hinc meritò graves Theologi cenſent in re tam periculosâ recurrendum ad Superiorem, ſi ad eum pareat acceſſus; prohibuitque ſanctus Carolus Borromæus, nè quis ipſo inconſulto redimeret injuſtam vexationem: tùm quia ſæpè videtur injuſta, cùm reverà juſta ſit: tùm quia Superior tanquam Judex & arbiter ex æquitate pro bono pacis litem componere poterit, & ita omnem ſimoniæ ſuſpicionem amovere.

Sed hìc naſcitur difficultas circa poſſeſſionem, quæ in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis non initur, niſi ſecundùm antiquum morem (qui mera corruptela eſt) ſolvatur aliqua pecuniæ ſumma Canonicis & Cantoribus diſtribuenda; nùm ſcilicet abſque ſimoniæ periculo redimi poſſit iniqua illa vexatio, præſertim cùm Capitulum non ſubſit juriſdictioni Epiſcopi, nec proinde ad ipſum recurrere liceat.

Duæ ſunt oppoſitæ Theologorum ſententiæ. Prima negat id licere, quia poſſeſſio eſt aliquid ſpirituale

ſpirituale, vel ſpirituali annexum, cùm per illam aſſequatur quis exercitium functionum ſpiritualium: Atqui ſimoniacum eſt ex dictis per pecuniam ſpirituale adipiſci; præſentatus v. g. vel electus ad Beneficium non poteſt per pecuniam ſibi conciliare amicitiam Collatoris, præſentationem ſeu electionem injuſtè rejicientis, ſed ad Superiorem recurrere debet. Imò periculoſum eſt pecuniâ ſe tueri contra injuſtè vexantem in jure certo & jam acquiſito per canonicam electionem; quia vix fieri poteſt, quin illa vexationis redemptio ad collationem viam præparet, nec deſunt Theologi, qui negent illam eſſe licitam habenti jus duntaxat inchoatum.

Secunda ſententia, quæ eſt Suaris & aliorum quos appellat l. 4. de ſim. c. 50. n. 31. aſſerit redemptionem iniquæ vexationis in propoſito caſu eſſe licitam; quia poſſeſſio præcisè ſumpta, inquiunt hujus ſententiæ patroni, non eſt quid ſpirituale, ſed merè corporale, nihil juris tribuit ad obeunda munia eccleſiaſtica; ſed jus completum per collationem legitimam ſupponit, eſtque tantùm conditio, ſine quâ functiones ſpirituales exerceri non poſſunt; alioquin Laici, ut plerumque contingit, in poſſeſſionem non inducerent, nec ad Magiſtratum regium ſuper poſſeſſorio provocaretur, ſed ad Judicem ſpiritualem. Quare ſicut per vim detentus ne ad Chorum pergat laudes divinas decantaturus, abſque ſimoniæ ſcrupulo talem vexationem redimere poteſt; ſic & injuſtè repulſus à poſſeſſione ineundâ. Limitant tamen illi Theologi, modò nihil contra electionem, aut electionis confirmationem objici poſſit: ſi enim alterutra impeteretur, omnes Theologi conſentiunt litem pecuniâ extingui non poſſe.

Ex his duabus ſententiis prior videtur in praxi præferenda, vel eâ ſolâ ratione, quòd non ſit communicandum peccatis alienis: communicat autem, qui nullâ preſſus neceſſitate dat aliis cauſam peccandi & materiam, v. g. qui ab uſurario mutuum accipit ex cupiditate augendæ rei familiaris, qui vinum jam temulentis ſubminiſtrat: Atqui nulla eſt neceſſitas concurrendi ad abuſum, de quo hîc agitur, & ad injuſtitiam, quâ ſe reos conſtituunt illi Canonici; patet enim recurſus, ſi non ad Epiſcopum, ſaltem ad Magiſtratum, qui non patietur Rempublicam turbari hujuſmodi iniquis vexationibus.

Objicies 3°. Datur ſimonia, quæ non eſt voluntas emendi aut vendendi ſpirituale: Ergo legitima non eſt allata definitio.

Antecedens probatur 1°. accipere pretium pro omiſſione actionis ſacræ ſimoniacum eſt, ex cap. *Nemo*, tit. *de Simoniâ* ubi Alexander III. declarat reum eſſe ſimoniæ, qui propter commodum temporale, vel propter conſanguinitatem peccatum publicum Epiſcopo non denuntiat: qui etiam propter odium dignè pœnitentem à reconciliatione removet. 2°. Qui precibus obtinet Beneficium, illud profectò non emit, attamen ſimoniacum illum pronuntiant S. Thomas art. 5. ad tertium, & alii Theologi. Ergo.

Nego anteced. & ad utrumque confirmationis caput, Reſpondeo.

Ad primum, diſtinguo: accipere pretium pro omiſſione actionis ſacræ ſimoniacum eſt, ſi omiſſio includat actum juriſdictionis ſpiritualis, vel æquivaleat actui poſitivo, aperiatque viam ad ſpirituale, v. g. ad Ordinem aut Beneficium recipiendum, Concedo: ſi ſit pura

omiſſio, Subdiſtinguo: ſimoniacum eſt impropriè & ſpecie tenus, Concedo: verè & propriè; Nego. Itaque omiſſio duplex eſt, non pura, & pura. In omiſſione non purâ intelligitur quidam abuſus juriſdictionis ſpiritualis, ut ſi Prælatus pecuniâ corruptus alicui digno deneget Ordinem, Beneficium, reconciliationem, ſive abſolutionem à cenſuris. In hâc repulsâ includitur judicium juridicum & abuſus poteſtatis ſpiritualis, quæ non potuit vendi, nec emi abſque ſimoniâ. Item ſi quis dato pretio obtinet, ut teſtis contra ſe teſtimonium de crimine occulto non ferat, vel Graduatus antiquior Beneficium non requirat, procul dubio ſimoniam committit, ſi hujuſmodi omiſſione, quæ æquivalet actui poſitivo, ad Ordinem promoveatur, vel Beneficium conſequatur. Sed ſi omiſſio ſit pura, v. g. aliquis promiſſis delinitus non denuntiat crimen: propter ſpem lucri Sacerdos non celebrat, laïcus ſacrum non audit; nulla hîc ſimonia quia nihil ſpirituale venditur; omiſſio enim non eſt quid ſpirituale, ſed negatio ſpiritualis, ac proindè nihil. Impropriè tamen dicitur ſimoniacus, qui per gratiam celat crimen alterius, inquit Innocentius III. in citatum caput *Nemo*; quia videtur quædam ſpecies commutationis, ſi quis pro temporali omittat ſpirituale; quodammodo enim privat ſe bono ſpirituali pro pretio; ad inſtar mercatoris, qui pro pecuniâ mercibus carere conſentit. Fatendum tamen eſt, quòd ſi omittens actionem ſacram, affectus eſſet ſicut mercator, compararetque ſpirituale cum temporali, tanquam mercem cum pretio, reverâ ſimoniacus foret. Sed omiſſio illa non ſolet ex tam pravo affectu proficiſci: nec proindè ſimoniaca dici potuit cap. *Nemo*, niſi

impropriè & ſpecie tenùs. Scio nonnullos graves Theologos caput illud intelligere de ſimoniâ propriè dictâ: nimirùm, inquiunt, agitur ibi de Presbytero, qui cùm ex officio teneatur delinquentes ſubditos denuntiare Epiſcopo, v. g. quinam præcepto communionis paſchalis non ſatisfecerint, ac propterea ingreſſu Eccleſiæ privandi; quoſdam pretio accepto celat, & ita officium ſpirituale vendit, ut docet S. Thomas art. 3. ad tertium. Verùm, etſi concedatur propriè ſimoniacum eſſe talem officii paſtoralis abuſum: obſtat tamen contextus capitis, quominùs ad illum ſenſum coarctetur. Nam ſummus Pontifex æquè pronuntiat contra eum qui propter emolumentum temporale, conſanguinitatem, & familiaritatem, communicat peccatis alienis dum illa tegit. Porro qui propter conſanguinitatem aut familiaritatem ſpirituale officium, putà correctionis aut denuntiationis negat, propriè ſimoniacus non eſt, quia nihil accipit, ut notat S. Thomas art. 5. ad ſecundum.

Ad ſecundum, diſtinguo quoque: preces non habent rationem pretii, ſi ſecundùm ſe ſpectentur, & quatenùs ſunt meræ petitiones, Concedo: dives v. g. qui annuit pauperi eleemoſynam efflagitanti, gratis tribuit: Si in precibus ſpectetur favor humanus, Nego. Favor ſiquidem humanus inter bona temporalia maximi æſtimatur, & inter pretia ſimoniaca numeratur à S. Gregorio homil. 4. in Evang. referturque C. *Salvator*, 1. quæſt. 3. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen ſacros Ordines pro humanâ gratiâ largiuntur .... Hi nimirùm, quòd gratis acceptum eſt, gratis non tribuant, quia de impenſo officio ſanctitatis, nummum expetunt fa-*

voris .... aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ. Munus quippe ad obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa; munus à manu, pecunia eſt: munus à linguâ, favor. Hanc triplicem pretii ſimoniaci diviſionem paſſim amplectuntur Theologi & Canoniſtæ, ac proindè accuratiùs eſt explicanda.

Munus à manu, eſt quælibet res externa pretio æſtimabilis, ut remittere Patrono aut Collatori debitum, ſive penſionem: ex pacto mutuum dare: ſolvere expenſas à reſignante factas in conſecutione Beneficii; ſuſcipere in ſe onus reſtaurandi domum paſtoralem; emere ejus ſuppellectilem vel domum, utpote ipſi reſignanti deinceps inutilem; non exigere à Patrono decimas vel penſionem congruam; ſolvere ejus debita; reſignare Beneficium fratri puellæ, quam Beneficiarius ſtatûs Clericalis pertæſus vult ducere in matrimonium. Hæc enim & ſimilia ſunt pecuniâ æſtimabilia, & verè ſimoniaca, ſi ex pacto fiant, vel promittantur ante Beneficii reſignationem aut collationem. Controvertitur inter Theologos, utrùm ſimoniacum ſit conferre Beneficium cum pacto, quòd is cui confertur, debitum ſolvet: alii negant; quia collator non imponit novum onus debitori, modò non præveniatur terminus ſolutioni præfixus: alii probabiliùs affirmant; quia omne pactum hic de jure cenſetur ſimoniacum.

Munus ab obſequio eſt ſervitus indebita, ut ſi Patronus præſentet aliquem ad Beneficium cum pacto quòd filium doceat litteras, vel miſſas in fundatione præſcriptas, certo die & determinatâ horâ celebret; cùm ex titulo Beneficii ſit ei liberum celebrare ubi & quando voluerit, ſervitus enim in illa eſt pecuniâ æſtimabilis. Similiter ſi Epiſcopus conferat Beneficium Vi-

cario generali, Sacellano, vel filio Advocati, ut ſtipendium præſtari ſolitum extinguat. Idem è converſo dicendum de eo qui ſervitium temporale exhiberet pro aſſequendo Beneficio. Secùs, ſi ſpirituale; nam qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, ait Apoſtolus 1. Timoth. 3.

Munus à linguâ, jam diximus eſſe preces, laudes, adulationes, non quidem ſimpliciter, ſed quatenus humanum favorem conciliare poſſunt conferenti ſpirituale; namque habere gratiam apud magnates eſt pretio æſtimabile. Ergo ſimoniam committit, qui dat Beneficium aulici filio, ut pater Regi de ſe benè loquatur: qui in concionibus & in pœnitentiæ tribunali adulantur, ut aliquod commodum temporale obtineant, divites beneficos habeant. Ad preces revocantur minæ potentum, quæ à quibuſdam dicuntur armatæ preces; ſed diſtinctione hic opus eſt: nempe ſi metu decidendi ab eorum gratiâ & protectione conferantur, præſertim indignis, Beneficia aut Sacramenta, manifeſta eſt rei ſpiritualis venditio: ſi verò in illa iniquâ diſpenſatione timeatur duntaxat injuſta vexatio, nulla videtur ſimonia; quia nulla rei temporalis acquirendæ intentio.

Ceterùm, etſi ſimoniacum non ſit precibus inclinari ad conferenda ſacra miniſteria, cùm favor humanus intenditur, inhoneſtum tamen docet ſanctus Bernardus lib. 4. de conſid. ad Eugenium III. cap. 4. his verbis: *Sanè huic negotio non ſe ingerat rogans. Conſilio, non prece agendum eſt. Sunt quæ neceſſariò à nobis rogantium aut extorquet impunitas, aut neceſſitas meretur. At illud in his, quæ noſtra ſunt. Ubi autem non licet facere quod volo (utpote non dominus, ſed diſpenſator) quis locus roganti? Niſi fortè qui me rogat; hoc rogat,*

ut quod vult, hoc liceat mihi, ut non magis velim (etiamſi non liceat.) Pro quo rogaris, ſic ſuſpectus. Qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt. Nec intereſt per ſe, an per alium roget .... Adulantem & ad placitum cujuſque loquentem, unum de rogantibus puta, etiamſi nihil rogaverit, Scorpioni non eſt in facie quod formides; ſed pungit in cauda. Ex quibus S. Bernardi verbis hoc conficitur argumentum. Qui precibus ambit ſacrum miniſterium, rogat vel ut liceat quod vult, vel ut Superior idipſum velit quod ipſe. Si primum, preces ſunt prorſus ſuperfluæ & inutiles; precibus quippe licitum evadere nequit, quod fortè illicitum eſt. Si ſecundum, preces ſunt perverſæ, & Superiorem ad malum provocant, nempe ut id velit quod rogans, ſive licitum, ſive illicitum. Ergo precibus hìc nullatenùs agendum, ſed conſilio duntaxat, hoc eſt, examinandum & ponderandum quæ ſint virtutes, quæve merita; ac proindè qui pro alio rogat, ſuſpectus ſit neceſſe eſt, quia cùm precibus commendatum velit, cujus patrocinium ſuſcipit, ſatis indicat eum meritis carere: qui verò pro ſe rogat jam judicatus eſt; ſive quia vult quod dedecet, nimirùm ut in diſpenſandis miniſteriis ſacris non habeatur ratio meriti, ſed favoris humani; ſive quia ſi merita prætendat, nimis de ſe præſumit. Hanc poſteriorem rationem attingit S. Thomas art. 5. ad tertium: *Si aliquis*, inquit, *pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſâ præſumptione redditur indignus: & ſic preces ſunt pro indigno.* Immediatè ante ſcripſerat eum videri ſimoniam committere, *qui preces pro indigno porrectas exaudit*; quia favorem humanum principaliter intendit. Omittenda tamen non eſt exceptio, cum quâ ſanctus Doctor ſic concludit ſuam reſponſionem:

Licitè tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe Beneficium Eccleſiaſticum petere ſine curâ animarum.

Unum adhuc examinandum ſupereſt ad plenam ſimoniæ definitionis intelligentiam, nùm ſcilicet conſanguinitas habeat rationem pretii ſimoniaci. Affirmant Jo. Major. in 4. diſt. 25. q. 3. ad primum; Petrus Cantor ex Altiſſiodor. & S. Bonav. in 4. diſt. 25. dubio 6. Sed alii Theologi communiter negant cum ſancto Thomâ a. 5. ad 2. ubi duo docet: Primum, non eſſe ſimoniacum, ſi detur Beneficium ratione conſanguinitatis: quia collator nihil temporale pro ſpirituali accipit: nullum pactum, nullumve contractum init cum ſanguineo; ſed merè gratìs confert: Ergo nec ipſe, nec conſanguineus ſimoniaci dici poſſunt. Si tamen collator ſuam utilitatem principaliter intenderet, nempe familiæ exaltationem, ditationem, &c. manifeſta eſſet ſimonia, inquit ſanctus Doctor. Secundum, hujuſmodi collationem eſſe carnalem & illicitam, juſtitiæ diſtributivæ contrariam, & à ſacris Canonibus reprobatam: ſic enim C. unico. *Ut eccleſiaſtica Beneficia*, habetur: *Non ex affectu carnali, ſed diſcreto judicio debuiſti eccleſiaſticum Officium & Beneficium in perſonâ magis idoneâ diſpenſare.* Addit Suares l. 4. de ſim. c. 37. n. 8. hanc conſanguineorum acceptionem plerumque conjunctum habere ſcandalum tùm aliorum, tùm ipſius collatoris: aliorum quidem, quia ægrè vident Sion ædificari in ſanguinibus, & propter hereditarias Beneficiorum ſucceſſiones vix aliis patere oſtium Sanctuarii, quàm quibus caro & ſanguis aperuerint. Ipſius quoque collatoris ſeu reſignantis; carnalis enim ille affectus ſic excæcare ſolet viros alioquin ſapientes & timoratæ conſcientiæ,

ut arbitrentur ſe magnum obſequium præſtare Deo, ſi nepotes promoveant, cùm reverà tanquam indigni & prorsùs inepti rejici debeant. Quapropter Patres Tridentini ſeſſ. 25. C. 1. de reform. omnes Collatores & Beneficiarios his graviſſimis verbis compellant: *Quàm maximè poteſt eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquos carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſiâ ſeminarium extat, penitus deponant.* Et Sanctus Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1. *Quandoque*, ait, *conſanguinei Prælati ſunt æquè digni ut alii, & ſic licitè poteſt abſque perſonarum acceptione conſanguineos ſuos præferre; quia ſaltem in hoc præeminent, quod de ipſis magis confidere poteſt, ut unanimiter ſecum negotia Eccleſiæ tractent. Eſſet tamen hoc propter ſcandalum dimittendum, ſi ex hoc aliqui exemplum ſumerent, etiam præter dignitatem, bona Eccleſiæ conſanguineis dandi.*

Paragraphus II.

Quotuplex eſt Simonia?

R. Dividitur in mentalem, conventionalem, & realem; & harum quælibet ſubdividetur in eam, quæ eſt juris naturalis & divini; & eam, quæ eſt duntaxat juris eccleſiaſtici.

Q. 2°. *Quid eſt ſimonia mentalis?*

R. Eſt traditio rei temporalis pro ſpirituali, & viciſſim ſpiritualis pro temporali, nullo interveniente pacto.

Dicitur, *traditio;* quia ſola voluntas tradendi non eſt ſimonia in actu, de quâ hîc agitur, ſed ſolùm in affectu & in propoſito. Ergo ſimoniam mentalem committit Clericus, qui eo

fine ad Eccleſiam pergit, ut diſtributiones lucretur; qui ut ad Beneficium eligatur, munera offert ſive patrono vel electori, ejus pravæ intentionis minimè conſcio: ſi enim conſcius eſſet, & nihilominùs acciperet, pactum tacitum præſumeretur, ac proindè ſimonia conventionalis.

Q. 3°. *Quid eſt ſimonia conventionalis?*

R. Eſt emptio vel venditio rei ſpiritualis traditione nondum perfectâ. Si nihil omnino detur aut accipiatur, ſed ſola intercedat conventio dandi & accipiendi, eſt ſimonia purè conventionalis: ſi autem præter conventionem ex unâ tantùm parte datur, aut accipitur, eſt conventionalis mixta & ſemirealis. Dixi, *ſi autem præter conventionem ex unâ tantùm parte datur, aut accipitur*: ſi enim ex utraque parte completur traditio, eſt ſimonia realis.

Simonia itaque realis eſt emptio vel venditio rei ſpiritualis traditione ex utrâque parte completâ, v. g. collato Beneficio ex parte reſignantis, & ſoluto pretio, ſaltem quoad ejus partem, à reſignatario; neque enim neceſſe eſt ad ſimoniam realem, ut totum pretium ſit ſolutum. Et hæc ſimoniæ diviſio diligenter notanda eſt; quia pœnæ, de quibus poſtea, in realem duntaxat ſimoniam cadunt, ſi confidentialem excipias, quæ eſt ſpecies conventionalis mixta.

Q. 4°. *Quotuplex itaque eſt ſimonia conventionalis mixta?*

R. Duplex, alia ſimpliciter dicitur conventionalis mixta, quam mox deſcripſimus: alia dicitur confidentialis.

Q. 5°. *Quid eſt ſimonia confidentialis?*

R. Eſt ſimonia conventionalis mixta, quâ quis confidit cum aliquo pacto tacito vel expreſſo

quòd alter Beneficium accepturus illud ſibi poſtea, vel alteri renuntiabit, aut penſionem in eo fructuſve ejus ſibi vel alteri conferet.

Dicitur 1°. *conventionalis*, ut diſtinguatur ſimonia confidentialis à mentali & reali, ſignificetur confidentiarios incurrere pœnas, quamvis conventio ex parte tantùm fuerit impleta.

Dicitur 2°. *mixta*; quia ut incurrantur pœnæ confidentiariorum, non ſufficit pura conventio, ſed tradatur Beneficium neceſſe eſt.

Dicitur 3°. *cum aliquo pacto tacito vel expreſſo*; quia nulla eſt ſimonia conventionalis ſine pacto: Atqui confidentia eſt ſimonia conventionalis: Ergo pactum ſaltem tacitum neceſſariò includit. Ergo ſine ſimonia confidentiali, imò ſine peccato reſignans aut collator confidere poteſt, nullo inito pacto, reſignatarium, ſi ad aliud Beneficium promoveatur, renuntiaturum Beneficio in favorem tertii, omni exceptione dignioris.

Dicitur 4°. *quâ quis confidit, quòd alter Beneficium accepturus illud ſibi poſtea, aut alteri renuntiabit*, &c. Quibus verbis declaratur 1°. ſimoniam confidentialem non habere locum, niſi in Beneficiis. Ergo confidentiarius non eſt qui acquieſcit ut Beneficio, quod poſſidet, penſio imponatur premiſſo pacto, quod penſionarius poſt aliquot annos, v. g. curſu ſtudiorum abſoluto, illam transferet in tertium; quia penſio Beneficium non eſt. 2° Quatuor modis hanc ſimoniam poſſe committi: primus dicitur acceſſus; ſecundus, regreſſus; tertius, ingreſſus; quartus, ſtipulatio cedendi fructus Beneficii, vel partem eorum conferenti, reſignanti, vel alteri qui voluerint.

Acceſſus eſt quando præſentans, eligens,

conferens, confidunt ex pacto inito idem Beneficium ſibi vel alteri, v. g. nepoti, cùm idoneu: fuerit, reſignatum iri.

Regreſſus eſt, ſi quis reſignet eâ conditione, quòd reſignatarius ſibi vel alteri idem Beneficium ſit reſignaturus convenienti tempore. Uſus tamen in Galliis obtinuit, ut quis in Beneficium, cui renuntiavit in infirmitate poſitus, regrediatur receptâ valetudine. Cùm enim ſola lex eccleſiaſtica regreſſum illum prohibeat, contra eam licitè præſcribi potuit.

Ingreſſus eſt, cùm quis Beneficium ſibi collatum & nondum poſſeſſum reſignat eo pacto; ut illud poſteà ingrediatur, ſi reſignatarius moriatur, vel dimiſſurus ſit.

Ergo ſimonia non eſt confidentialis, ſed conventionalis tantùm, 1°. quando quis reſignat aut permutat Beneficium, eâ conditione, quòd reſignatarius aut compermutarius aliud Beneficium, quod poſſidet, dimiſſurus ſit in favorem tertii, quia ad confidentiam requiritur, ut acceſſus, regreſſus, & ingreſſus ſint in idem Beneficium. 2°. Cùm præſentans, eligens, & conferens confidunt quòd promovendus promiſſum temporale refundet in remunerationem, niſi per temporale illud intelligatur fructus Beneficii, ad cujus proviſionem concurrerunt; aliàs omnis ſimonia dicenda foret confidentialis; cùm tamen Pius IV. & Pius V. in ſuis Bullis ad quatuor recenſitos caſus omnem confidentiam reſtringant. Et hoc maximè notandum eſt propter ſpeciales pœnas in confidentiarios latas, eaſque longè graviores, quàm in ceteros ſimoniacos, non quòd confidentia ſit gravius crimen, quàm quælibet alia ſimonia; ſed quia Eccleſiæ magis nocet, & in eam plures abuſus invehit, de quibus latè Pius V. in ſuâ Bullâ anni 1569.

Q. 6°. *Quaſnam pœnas incurrunt confidentiarii?*

R. 1°. Incurrunt excommunicationem ſummo Pontifici reſervatam. 2°. Privantur Beneficio per confidentiam obtento, & ad illud poſſidendum fiunt inhabiles. 3°. Inhabiles declarantur ad alia Beneficia acquirenda. 4°. Privantur quoque Beneficiis & penſionibus antea legitimè obtentis. Attamen ante ſententiam Judicis non tenentur illa dimittere, ſicut Beneficium quod per confidentiam poſſident: quia ad iſtud nullum jus habent, priora verò juſto titulo poſſident: nullus autem re quam juſtè poſſidet, privari debet ante ſententiam Judicis. Duæ priores pœnæ æquè afficiunt alios ſimoniacos in Beneficio, poſteriores verò cadunt in ſolos confidentiarios, non in eorum mediatores, niſi confidentia evaſerit ſimonia realis ex utraque parte completa. De his enim ſilent laudati Pontifices.

Q. 7°. *Quid eſt ſimonia juris naturalis & divini?*

R. Eſt ea, quâ emitur & venditur res verè ſpiritualis & ſacra pro temporali; naturalis enim ratio dictat res ſacras eo ipſo indignè tractari, quo in contractus deducuntur, & pretio temporali æquiparantur. Scriptura quoque hujuſmodi commutationem expreſſè reprobat. Act. 8. *Pecunia tua*, inquit Apoſtolorum Princeps, *tecum ſit in perditionem, quoniam exiſtimaſti donum Dei pecuniâ poſſideri.* Unde colligunt Theologi, 1°. Simoniam in lege veteri & naturæ locum habere potuiſſe; cùm res ſacræ illis temporibus emi & vendi poterant. 2°. Falſam eſſe, imò ſtultam aſſerit Cardinalis Turrecremata, quorumdam Canoniſtarum opinionem, quâ docebant ſimoniam in ſummum Pontificem non poſſe cadere; ipſe enim ſubeſt legi

naturali & divinæ: *Dicendum*, inquit ſanctus Thom. q. 100. art. 1. ad 7. *quod Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ: ſicut & quilibet alius homo, peccatum enim tantò in aliquâ perſonâ eſt gravius, quantò majorem obtinet locum; quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus, ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut domini.*

Sed quæſtio eſt, quænam ſimonia cenſenda ſit juris divini.

Conveniunt Theologi, ſimoniam eſſe juris divini, vendere collationem Ordinum, adminiſtrationem omnium Sacramentorum, & quemlibet uſum poteſtatis, ſive ordinis, ſive juriſdictionis ſpiritualis, Euchariſtiam, Sanctorum reliquias, jus patronatûs, conſecrationem ſeu benedictionem, quæ ineſt quibuſdam rebus, v. g. altaribus, imaginibus, terræ ad ſepulturam fidelium deſtinatæ. Dico, *conſecrationem*; nam res ipſæ ſecundùm ſe ſpectatæ non ſunt quid ſpirituale & ſacrum, ac proinde vendi poſſunt, niſi Eccleſia prohibeat ob reverentiam conſecrationis. Sed ſuppoſitâ tali prohibitione, venditio erit ſimonia duntaxat juris eccleſiaſtici, de quâ ſtatim dicemus.

Controverſia autem eſt de Beneficiis & de ingreſſu Religionis, quando Monaſterium eſt opulentum, nùm ſcilicet ſimonia, quæ in hâc materiâ committitur, ſit contra jus divinum. Quidam olim negarunt quoad Beneficia ſimplicia, quibus non eſt annexa executio ordinum, aut poteſtatis clavium: plures etiam nunc negant quoad ingreſſum Religionis. Verùm ea ipſa ratio, propter quam omnes agnoſcunt ſimoniam circa Beneficia curata eſſe juris divini, id ipſum efficaciter probat de ſimoniâ circa Beneficia ſimplicia & ingreſſum Religionis. Enimverò ideò exigere pecuniam pro collatione Be-

neficii curati, eſt contra jûs divinum & naturale, etiamſi in illâ venditione ſpectentur duntaxat fructus temporales; quia cùm illi fructus ſint conſequenter annexi officio ſpirituali & ſacro, nec poſſit haberi jus ad illos percipiendos, niſi per officium ſpirituale juxtà commune effatum, Beneficium eſt propter officium, manifeſtè ſequitur illâ pecuniæ exactione directè & primariò vendi officium paſtorale, quod fatentur omnes eſſe contra legem naturalem & divinam. Atqui ſimiliter proventus temporales beneficii ſimplicis & Monaſterii conſequenter annexi ſunt ſpirituali; eo enim fine ex fidelium oblationibus inſtituta & fundata ſunt Canonicorum Collegia, erecta & dotata Monaſteria, ut homines ibi aſcripti liberiùs Deo vacarent, ipſumque aſſiduè orarent pro Eccleſiæ neceſſitatibus. En officium ſpirituale & ſacrum tùm Canonici, tùm Religioſi, propter quod uterque jus habet percipiendi fructus conſequenter annexos, ille ſuo Beneficio, hic ſuo Monaſterio. Ergo non ſecùs peccat contra legem naturalem & divinam, qui pecuniam exigit pro collatione Beneficii ſimplicis, & pro ingreſſu Religionis quando Monaſterium eſt opulentum, ac qui exigit pro collatione Beneficii paſtoralis.

Dices; Miniſtri ſacri abſque labe ſimoniæ temporale exigunt ad ſui ſuſtentationem: Ergo & Monaſteria, quæ in poſtulantium annonam neceſſaria requirunt.

Diſtinguo conſeq. Monaſteria quæ indigent, nec habent undè ſuſtentent eos, qui admitti poſtulant; Concedo: Monaſteria opulenta, de quibus hîc loquimur, Nego conſeq. Quemadmodùm enim Paſtor habens ex titulo Beneficii proventus ſufficientes, contra jus naturale & divinum ſimoniam committit, ſi ſpiritualia ſub-

ſidia, ad quæ ex officio tenetur miniſtrare nolit, niſi temporale offerentibus; ſic & Monaſteria quorum reditus ſufficiunt ad alendos eos qui ſe offerunt; cenſentur enim venalem habere religioſam profeſſionem, cùm perſonas idoneas non admittunt, niſi quædam largiantur aut promittant.

Inſtabis: Monaſterium in illo caſu ad ſummum peccabit contra juſtitiam, ſicut qui ſe fingens pauperem, cùm dives ſit, eleemoſynas emendicat. Dico, *ad ſummum*; namque Monaſterium verè injuſtum non eſt, cùm poſtulantes, quantumcunque idonei ſint, jus non habeant, ut in illo recipiantur. Ergo.

Nego antecedens & paritatem; quia fictus ille pauper nihil ſpirituale vendit, nec proinde ſimoniacus eſt, ſed ſolùm injuſtus, quatenùs accipit & retinet alienum titulo donationis, quæ prorſus irrita eſt, cùm voluntaria non fuerit ex parte donantium. At Monaſterium pingue, & indigentiam prætexens, vendit rem ſpiritualem, nempe profeſſionem Religioſam, cui conſequenter annexi ſunt proventus temporales, ad quos profeſſi jus habent. Unde ſicut Canonici, qui diſtinguentes inter titulum ſpiritualem, & temporale annexum, non admittunt in fratres, niſi eos qui offerunt pecuniam, ſimoniam committunt contra jus divinum: ſic Abbatiæ ſeu Prioratus Regulares in noſtrâ hypotheſi; ſunt enim Beneficia erecta ad colligendas & fovendas perſonas idoneas, quæ ſe totas divino obſequio mancipent. Eſto, non peccet Monaſterium contra juſtitiam commutativam, ſi excludat perſonam idoneam propter dotis defectum, peccat tamen contra diſtributivam, & ſimoniacæ intentionis reatum incurrit.

Ergo Urbanus V. in ſuâ extravag. *Sanè*, tit. *de ſimon.* non condit novum jus pro Monaſteriis, nec confirmat duntaxat Decreta prædeceſſorum ſuorum, v. g. Alexandri III. C. *Non ſatis.* C. *Cùm in Eccleſia.* Innocentii III. Cap. *Dilectus*, tit de ſim. & varios Conciliorum Canones; ſed jus naturale & divinum obſervandum præcipit his verbis: *Diſtrictiùs prohibemus, ne tàm à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi Religionem, Eccleſias, Monaſteria, Prioratus: & in earum perſonarum receptione, aut ante vel poſt illam, quoſcunque paſtus, prandia, pecunias, jocalia, aut alias res, etiam ad uſum eccleſiaſticum, ſeu quamviſpium uſum alium deputata, vel deputanda directè vel indirectè petere vel exigere quoquomodo præſumant... qui ſecùs egerint, ſi ſint ſingulares perſonæ, tàm dantes quàm accipientes hujuſmodi, excommunicationis; ſi capitulum vel conventus fuerit, ſuſpenſionis ſententiis eo ipſo decernimus ſubjacere: à quibus, præterquàm in mortis articulo, abſolvi nequeant abſque Sedis Apoſtolicæ licentiâ ſpeciali.*

Q. 8°. *Quid eſt ſimonia juris Eccleſiaſtici?*

R. Eſt pactio aut commutatio ab Eccleſiâ prohibita ob reverentiam rei ſacræ. Duæ priores particulæ habent rationem generis; omnis quippe ſimonia ſive juris naturalis & divini, ſive juris eccleſiaſtici, eſt pactio quædam aut commutatio. Reliquæ verò definitionis particulæ exprimunt differentiam ſimoniæ juris eccleſiaſtici.

Enimverò pactio & venditio ſeu commutatio in ſimoniâ juris naturalis & divini, eſt intrinſecè mala, & ideò prohibetur; v. g. lumini naturali repugnat, ſi poteſtas conferendi dona Spiritûs-ſancti, pecuniâ tanquam pretio æſtimetur: Ergo non ideo mala eſt, quia prohibi-

ta; ſed è contrario prohibita eſt, quia per ſe mala. At in ſimoniâ juris Eccleſiaſtici pactio & commutatio, ſeu venditio per ſe mala non eſt, ſed indifferens. Quid enim plus mali habet venditio balſami, ex quo conficitur ſanctum chriſma, vel loci ad ſepulturam deſtinati, quàm venditio auri, ex quo calix conſecratus conſtat, aut agri, cui conjunctum eſt jus patronatûs? Nonne iſta omnia æquè antecedenter annexa ſunt ſpirituali? attamen Eccleſia duo poſteriora permittit, utpote non mala; & duo priora prohibet, cap. *Non ſatis*, c. *Audivimus*, tit. de ſim. non quidem tanquam mala, ſed magis ſpeciem mali habentia, ut habetur cit. cap. *Audivimus*. Nimirùm quia cùm aurum calicis conſecrati, & ager cui adhæret jus patronatûs, ſint per ſe magno pretio æſtimabilia, facilè intelligitur illa non vendi propter ſpirituale conſequenter annexum. Sed quia exigua pars balſami in chriſmate admixti, & conceſſio agri ad ſepeliendum cadaver, vix illius ſunt pretii ſine ſpirituali adjuncto, Eccleſia prudenter prohibuit, ne venderentur, idque ob reverentiam rerum ſacrarum, nempe chriſmationis & ſepulturæ, ſimulque ad vitandam ſpeciem ſimoniæ.

Ergo, inquies, ſimonia juris Eccleſiaſtici non eſt vera ſimonia, cùm ex dictis non ſit venditio rei ſacræ, nec proinde ſimoniacus aut ſacrilegus, ſed inobediens duntaxat cenſendus eſt, qui in hâc parte legem Eccleſiæ tranſgreditur. Ita cum Durando opinantur nonnulli Theologi. Sed communi ſententiæ adhærendum, juxtà quam.

Reſpondeo negando conſequentiam; quamvis enim res illæ non ſint per ſe ſacræ, ſic tamen conjunctæ ſunt alicui ſacro, ut vendi non poſſint quin illud villeſcat, videaturque etiam

pretio comparari. Et hoc explicari poteſt exemplo immunitatis, quæ debetur ſacris baſilicis, præſertim majoribus. Si quidem jure canonico illa non concluditur muris baſilicæ, ſed excurrit ad confinia uſque ad paſſus quadraginta, C. *Sicut antiquitus* 17. q. 4. adeò ut ſi quis in illo ſpatio immuni, quamvis non ſacro, actus prohibitos exerceat, peccet contra religionem, & reverentiam templis debitam, puniaturque ut ſacrilegus, ubi contrariâ conſuetudine huic legi derogatum non eſt. Similiter Eccleſia quaſdam pactiones, venditiones & commutationes intuitu Religionis prohibet, ne ſcilicet violetur aut minuatur honos rebus ſacris debitus, inobedienteſque numerat inter Simoniacos, & eiſdem pœnis ſubjicit. Ergo in praxi ſaltem agnoſcenda eſt ſimonia juris eccleſiaſtici.

Cùm autem multiplex in jure occurrat hujus generis ſimonia, illam ad duas ſpecies revocabimus. Prima eſt eorum, qui vendunt res per ſe non ſacras, ſed conjunctas antecedenter cum ſacris, ut locum ſepulturæ, materiam chriſmatis, vel ad miniſteria ſacra ordinatas, ut officium ſacriſtæ, œconomi, vicedomini, defenſoris, advocati, &c. de quibus C. *Salvator*, 1. quæſt. 3. Huc revocare licet, ſi vel Epiſcopus aliquid pro ordinatione acciperet ratione neceſſariæ ſuſtentationis, quod prohibet Concilium Tridentinum ſupra laudatum: vel examinatores à concurrentibus ad Beneficia, contra præceptum ejuſdem Concilii ſeſſione 24. cap. 18. quidquam reciperent eodem ſuſtentationis titulo. Quòd ſi per munus datum & acceptum moverentur ad fàvendum uni præ aliis; incurrerent ſimoniam juris naturalis & divini, ut ſupra diximus. Secunda eſt eorum, qui inter ſe paciſcuntur, de rebus ſpiritualibus, *cùm*

in hujuſmodi omnis pactio, omniſque conventio debeat omninò ceſſare, C. *Pactiones*, tit. *de pactis*. Permutare itaque Beneficium cum Beneficio, vel Vicariatu amovibili ſine auctoritate Prælati; vel reſignare in favorem extra Curiam Romanam; vel reſignare cum pacto, ut reſignatarius ſuum Beneficium cedat tertio, v. g. nepoti reſignantis; vel cum confidentiâ acceſsûs, regreſsûs, & ingreſsûs, &c. eſt ſimonia juris humani duntaxat, non divini; quia in his nihil intervenit temporale tanquam pretium, ſecùs, ſi permutatio fieret cum pacto, ut recipiens pinguius Beneficium refunderet pecuniam, vel penſionem ſolveret. Monendum tamen univerſalem hanc propoſitionem, *pactiones in ſpiritualibus debent omninò ceſſare*, ſpectare ea duntaxat, quæ pertinent ad Beneficia; nam licitè Clerici inter ſe conveniunt, ut unus pro altero ſacrum miniſterium expleat, hâc conditione quod alter ſpirituale quod ſimile rependet. Imò Gloſſa in cap. *Super eo.* de tranſactionibus, ubi dicitur, *tranſigi ſuper re ſacrâ & litigioſâ non poteſt*, notat hoc intelligendum in caſu, in quo agitur de Beneficio obtinendo; quia Beneficium poſſideri non poteſt ſine titulo: titulus autem *non habetur ex tranſactione; ſed per canonicam inſtitutionem. Si autem res ſacra in litigium deducatur tanquam proprietas* (Beneficii) *v. g. duo Epiſcopi litigant ſuper quibuſdam Eccleſiis, ibi poteſt intervenire tranſactio.*

Hanc ſimoniæ diviſionem accuratiùs explicuimus; quia maximè neceſſaria eſt in praxi, nempe ut pareat ubi & quando in materiâ ſimoniæ diſpenſari & præſcribi poſſit. Namque diſpenſatio & præſcriptio non cadunt in ea, quæ ſunt jure naturali prohibita, benè autem in ea quæ jure humano duntaxat; & ratio eſt,

quia priora ſunt intrinſecè & eſſentialiter mala, ideòque prohibita, ac proinde nec purgari, nec mutari queunt: poſteriora verò per ſe mala non ſunt, ſed per prohibitionem, quæ tolli poteſt, vel auctoritate Legiſlatoris, vel contrariâ conſuetudine univerſaliter receptâ. Hinc uſus exigendi pecuniam pro Beneficio, ingreſſu religionis, conceſſione ſpiritualis juriſdictionis, ſive gratioſæ, ut aiunt, ſive contentioſæ, etiam in hypotheſi quòd univerſalis eſſet, mera corruptela eſt, quæ à ſummo Pontifice purgari nequit; hæc enim ideo ſunt prohibita, quia intrinſecè ſunt mala: contra verò hodierna conſuetudo vendendi ſepulturæ locum præſcripſit contra antiquos canones, licitèque exigitur plus pecuniæ, quò locus, non quidem ſanctior (hoc enim eſſet ſimonia contra jus divinum) ſed quò honoratior, æquitate tamen ſervatâ, quia hujuſmodi venditio jure eccleſiaſtico duntaxat fuit prohibita. Idem dicendum eſſet de conſuetudine in quibuſdam Capitulis introductâ, juxta quam admittens renuntiationem Beneficii, hoc ipſo cenſetur ſe obligare ad nominandum quem renuntians deſignaverit, alioquin tanquam infidelis & perfidus traduceretur; idem, inquam, dicendum eſſet, nimirum legitimam ibi eſſe præſcriptionem contra jus humanum & canonicum, quo vetatur omnis pactio tacita vel expreſſa in materiâ beneficiali, ſi mos ille non in quibuſdam tantùm Capitulis, ſed etiam univerſaliter apud ceteros Patronos & Collatores vigeret. Contra hunc invaleſcentem morem Pius V. edidit Bullam, *Quanta Eccleſiæ Dei*, quæ eſt 58. in quâ prohibet ne Epiſcopis, electoribus, & patronis quibuſcunque deſignentur futuri ſucceſſores, nevè Epiſcopi conferant reſignantium conſan-

guineis, affinibus aut familiaribus; alioquin collationem declarat irritam & inanem. Sed Bulla illa non eſt recepta, præſertim in Galliis.

Paragraphus III.

Quale peccatum eſt Simonia?

R. Eſt lethale, tùm in ſpecie ſacrilegii, tùm in ſpecie injuſtitiæ.

Prima pars probatur 1°. ex Scripturâ Act. 8. *pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam exiſtimaſti donum Dei pecuniâ poſſideri ... In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Id eſt, video te imbutum veneno amariſſimo peccatorum, & quaſi funibus iniquitatum, nempe ſuperbiæ, ſacrilegii, & avaritiæ colligatum. 2°. Ex jure canonico, cap. *Reperiuntur* 1. quæſt. 1. ſimonia vocatur *execrabile flagitium.* Cap. *Si quis Epiſcopus* 16. *turpiſſimum lucrum.* Cap. *Patet* 1. quæſt. 7. omnia crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur, & ſimoniaci à poteſtate civili opprimendi dicuntur. C. *Sanè* 15. q. 3. Simoniaci perpetuâ infamiâ damnantur tanquam rei læſæ majeſtatis. Cap. *Sicut*, de ſimoniâ habetur, ſimoniacam peſtem alios morbos vincere, nempe propter nocumentum quod infert Eccleſiæ; nam idololatria & hæreſis ex genere ſuo ſunt graviora peccata. 3°. Ratione, quia res ſpiritualis & ſacra magnâ afficitur injuriâ, cùm pretio temporali æquiparatur, & pro eo commutatur. Unde quo vilius eſt quod pro ſpirituali datur, ſi habeat rationem pretii, eò major cenſetur irrogari irrêverentia rei ſacræ, cùm magis deprimatur; ac proinde ſimonia ex hoc capite venialis eſſe nequit. Deinde eſt &

alia in peccato ſimoniæ inſignis deordinatio & perverſitas, quòd mercator donorum, ſupernaturalium, quantùm eſt ex ſe, efficiat gratiam non eſſe gratiam; ideo enim ſic illa dicitur, quia gratìs à Deo datur: ſimoniacus autem contra Dei voluntatem & ordinationem his verbis expreſſam: *Gratis accepiſtis, gratis date*, Matth. 10. illam in proprium commodum temporale convertit, & gratuitâ Dei donatione ſubtrahit, veluti ſi œconomus, qui à domino accepit frumentum, veſtes, alia hujuſmodi miſericorditer diſtribuenda pauperibus, eorumdem pretium in rem ſuam exigeret, dominumque ſuum privaret laude & animi gratificatione, quam mereretur. Sic peccato ſimoniæ evacuatur myſterium gratiæ, quam Chriſtus ſanguine ſuo nobis promeruit, maxima illa dona, quibus Deus explicat divitias bonitatis ſuæ, non ejus electione & miſeratione, ſed jure emptionis & titulo onerosi contractûs poſſidentur. Nemo autem non judicaverit maximam & execrandam eſſe illam perverſitatem, & ſeveriſſimis Eccleſiæ pœnis puniendam.

Secunda pars, nempe ſimoniam eſſe grave peccatum in ſpecie injuſtitiæ, ac proinde ſimoniacum ad reſtitutionem teneri non ſecùs ac uſurarium, manifeſtè ſequitur ex præcedenti ratione. Sicut enim œconomus ille, de quo ſuprà, dupliciter injuſtus eſt, 1°. erga dominum ſuum, quatenùs bona ipſius in proprios uſus convertit: 2°. erga pauperes, quatenùs cogit illos emere ea ad quæ jus habent ex gratuitâ donatione ſibi factâ; ſic & ſimoniacus, qui cùm donorum ſupernaturalium non ſit dominus, ſed diſpenſator duntaxat, ea tamen vendit contra Dei voluntatem, & quidem iis, quibus gratìs eroganda accepit.

Paragraphus IV.

Quæ ſunt Simoniacorum pœnæ?

R. Duplicis ſunt generis; aliæ veluti naturaliter ſequuntur ex pactione ſimoniacâ, minùſque ſunt pœnæ illi annexæ, quàm naturales effectus; cùm enim contractus ſimoniacus ſit irritus vel jure naturali & divino, ſi ſimonia illi repugnet, vel jure eccleſiaſtico, ſi ſimonia ſit juris merè eccleſiaſtici; ſequitur conventionem ſimoniacam nullum effectum producere, & quæ per eam acquiruntur, eſſe neceſſariò reſtituenda. Aliæ ſunt pœnæ propriè dictæ, nimirùm cenſuræ, ut excommunicatio, ſuſpenſio, infamia, quam ſequitur irregularitas, irritatio collationis, electionis, præſentationis, aut cujuſvis diſpoſitionis in materiâ Beneficiorum, inhabilitas ad Beneficia, &c. quibus Eccleſia ſimoniacos proſcribit. Circa utrumque pœnarum genus nonnullæ quæſtiones hîc expendendæ.

Ac primò quidem circa ſimoniacè data & accepta.

Q. 1°. *Quo jure illa debeant reſtitui, an naturali & divino, an eccleſiaſtico tantùm?*

R. Nonnulli Theologi ſic diſtinguunt: Si ſpirituale quod venditur, nullum temporale habet annexum, ut Sacramenta; pretium pro eo acceptum jure naturali eſt reſtituendum; quia venditio illa eſt injuſta: tùm quia ſpirituale non eſt vendibile, tùm quia vendens non eſt illius dominus, & rem alienam vendit. Sed ſi ſpirituali annexum eſt temporale, ut Beneficium officio ſpirituali; pretium pro eo acceptum non eſt jure naturali reſtituendum, ſed ſolâ

Eccleſiæ

Eccleſiæ diſpoſitione; quia, inquiunt, ſpirituale illud ratione temporalis annexi eſt pretio æſtimabile, v. g. reſignans Beneficium privat ſe emolumentis temporalibus, pro quorum compenſatione pretium datum juſtè retinere poſſet, niſi obſtaret lex Eccleſiaſtica.

Sed verior eſt eorum ſententia, qui docent abſque ullâ diſtinctione ſimoniacè data & accepta jure naturali eſſe reſtituenda; quia ſine juſto titulo poſſidentur; pactio quippe ſimoniaca irrita eſt & prorsùs nulla, ſive jure naturali, ſive Eccleſiaſtico: ergo caret omni effectu, nec transfert rei dominium, ut tradit S. Thomas hìc art. 6. ad 3. nec proinde pretium retineri poteſt.

Q. 2°. *Utrùm hæc vera ſint de omni ſimoniâ ſive reali, ſive conventionali, ſive mentali?*

De confidentiali nulla eſt quæſtio. De eâ ſiquidem ſeparatim egimus paragrapho ſecundo propter ſpecialem juris diſpoſitionem.

R. Quidam hanc doctrinam limitant ad ſimoniam realem in materiâ Beneficiali; contenduntque pretium receptum in aliis materiis ſimoniæ etiam realis non eſſe reſtitutioni obnoxium ante ſententiam Judicis, niſi fuerit injuſtè acceptum: injuſtè autem acciperetur, inquiunt, ſi Paſtor v. g. pretium expeteret pro miniſterio aliunde debito, vel ſi pro indebito ſuprà valorem operis & laboris exigeret.

Refellitur illa ſententia, tùm ex cap. *Audivimus*, tit. *de ſimoniâ*, in quo injungitur Epiſcopo illorum reſtitutio, quæ pro ſepulturâ ſimoniacè acceperat: tùm ex cap. *Ea quæ*, 1. qu. 3. ubi Urbanus II. in Concilio Plancetino ſic ſtatuit pro qualibet ſimoniâ reali. *Quidquid vel in ſacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel datâ, vel promiſſâ pecuniâ acquiſitum eſt, nos*

irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus. Ex quibus verbis Bonacina, quamvis patronus ſententiæ, quem refellimus, ſic concludit diſp. 1. qu. 7. puncto 2. propoſit. 1. *Exiſtimo valdè probabilem, in praxi tutam nonnullorum Doctorum ſententiam aſſerentium quamlibet acquiſitionem rei Eccleſiaſticæ, modò ſpiritualis ſit, irritam eſſe, ſi fiat datâ aut promiſſâ pecuniâ. Ratio eſt, quia in* C. in Ea quæ, *generaliter irritatur ſimoniacè, acquiſitum.*

Major eſt difficultas, nùm ſimonia mentalis obliget ad reſtitutionem. Plures negant, modò non ſit injuſta, probatque Suarez hoc dilemmate: Reſtitutio facienda eſſet vel jure naturali, vel jure Eccleſiaſtico: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, quia naturalis obligatio reſtituendi non oritur, niſi ex injuſtâ vel acceptione, vel retentione rei alienæ; ergo ubi nulla eſt talis injuſtitia, nulla quoque poteſt eſſe reſtitutio. Non Secundum, tùm quia lex humana nec præcipit, nec prohibet actus interiores, tùm quia C. *Mandato*, tit. *de ſimoniâ*, Gregorius IX. ſic habet: *Conſultationi tuæ breviter reſpondentes dicimus .... reſignationes ſpiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente, utrinque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori) eos pro ſimoniâ hujuſmodi non teneri: Ergo*, inquit Gloſſa, *ſola voluntas ſeu affectus animi, non facit aliquem ſimoniacum, licèt aliter peccet .... Et hæc ambitio ſolâ pœnitentiâ purgatur ſine renuntiatione. Secùs de uſurâ, ubi ſola ſpes uſurarii uſuram inducere videtur*, Cap. *Conſuluit, tit de uſuris. Quia*, inquit Suarez, *injuſtum eſt ex mutuo lucrum intendere, non item ex Beneficio; ac proinde uſura mentalis, non verò ſimonia mentalis ad reſtitutionem obligat.*

Item docet S. Thomas hîc art. 6. ad ſextum, *Quoad Deum ſola voluntas facit ſimoniacum. Sed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur ut ſimoniacus, ut abrenuntiare teneatur; ſed debet de malâ intentione pœnitere.*

Probabilior tamen videtur ſententia Adriani, Joan. Majoris, Soti, Sylvii, & aliorum benemultorum aſſerentium, ſimoniam mentalem jure naturali inducere reſtituendi obligationem. Probatur 1°. ex S. Gregorio relato 1. q. 1. cap. *Si quis*, in quo ſic legitur: *Si quis... fraudulento munuſculo Epiſcopalem, ſeu Sacerdotalem, non lucro animarum, ſed inanis gloriæ avaritiâ fultus, Dignitatem acceperit, & in vitâ ſuâ non ſponte reliquit, eumque inſperata mors pœnitentem non invenerit, procul dubio in æternum peribit.* Per fraudulentum autem munus intelligendum eſt ex Gloſsâ, munus quod datur ſub ſpecie liberalitatis & gratificationis, cùm reverà offeratur affectu obtinendi ſpirituale, & idcircò in conſcientiâ reſtituendum dicitur. Porro quis credat Gregorium IX. citato cap. *Mandato*, quidquam ſtatuiſſe contra S. Gregorii mentem; cùm facilè conciliari poſſit, ſicut & S. Thom. nempe ſimoniacum mentalem cùm non ſit reus in foro exteriori, ſed apud Deum duntaxat, non incurrere pœnas à lege latas: ſatiſque eſſe ſi coram Deo pœnitentiam agat, quæ vera non erit, niſi reſtituatur injuſtè detentum. Quòd autem acquiſitum per ſimoniam mentalem, injuſtè detineatur, patebit ex ratione ſequenti.

Probatur itaque 2°. Eadem eſt ratio ſimoniæ mentalis ac uſuræ: Atqui ex patronis prioris ſententiæ, uſura mentalis obligationem reſtituendi inducit, & quidem jure naturali: Ergo & ſimonia mentalis. Major oſtenditur. Ideo uſurarius mentalis peccat contra juſtitiam, &

reſtituere tenetur : quia mutuandi officium gratis non exhibet, pretiumque illius intendit & accipit à mutuatario ſecundùm quid invito, quatenùs pretium non offert, niſi ex neceſſitate mutui obtinendi. Atqui eadem injuſtitia occurrit in ſimoniaco mentali, qui, licèt ſpiritualia ſint gratis concedenda jure naturali & divino, ea tamen non miniſtrat, niſi iis, à quibus temporalia accepturus eſt, & ita neceſſitatem ea emendi illis imponit, quamvis nullo interveniente pacto. Ergo mentalis ſimoniacus æquè ac uſurarius reſtituere tenetur.

Q. 3°. *Cui verò facienda eſt reſtitutio ſimoniacè acquiſitorum?*

R. Jure naturali facienda eſt illi, à quo accepta ſunt, niſi aliqua lex poſitiva obſtet, ad puniendam pravitatem dantis. Quia qui injuriam intulit, reſtituere debet, ei qui paſſus eſt, v. g. uſurarius mutuatario, venditor rei vel alienæ vel vitioſæ emptori decepto: Atqui ſimoniacus dum vendit ſpirituale, vendit non ſuum, ut patet ex dictis : Ergo quod ſimoniacè & injuſtè accepit, illud emptori naturaliter reſtituere debet.

Dixi, *niſi aliqua lex poſitiva obſtet;* quia Superior ſubditum re ſuâ privare poteſt in pœnam peccati.

Q. 4°. *Prohibet-ne Eccleſia reddere Simoniacis quæ malè dederunt?*

R. Sanctus Thomas 2. 2. qu. 32. art. 7. univerſaliter affirmare videtur; ſic enim de ſimoniâ ſcribit : *Dans & accipiens contra juſtitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri reſtitutio ei, qui dedit, ſed debet in eleemoſynas erogari.* Hanc ſententiam amplectitur Eſtius in 4. diſt. 26. part. 18. & quidem de omni ſimoniâ : ſive realis ſit, ſive non. Sylveſter verò qu. 20, Hadrianus

quodlib. 9. art. 3. Navarrus cap. 23. num. 103. & alii limitant ad ſimoniam realem, & ex utraque parte completam; & de hâc Sylvius interpretatur laudata Sancti Thomæ verba, additque communem eſſe ſententiam, pretium ſimoniacè acceptum in ſimoniâ mentali & conventionali eſſe reſtituendum ei, qui dedit; eo quòd impleta non fuerit conditio. Atque ad id probandum ſolet adduci cap. *Dilectus*, tit. *de ſimoniâ*; ubi Celeſtinus III. decernit, Archidiaconum, qui promiſſis non ſteterat, reſtituere debere Præpoſito cuidam, quam ab eo acceperat pecuniam; ſed textus ille non eſt ad propoſitum. Præpoſitus enim non ſimoniacè dederat, ſed inquam Archidiaconi vexationem redemerat. Expreſſius eſt caput *De hoc*, eodem titulo in quo circa Regem & Principes, qui electioni Epiſcopi, pecuniâ receptâ conſenſerant, ſic ſtatuitur: *Regem autem & Principes ejus debes inducere, ut ſi qua receperint à præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Oxonienſi ſine diminutione reſtituant, cùm ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint.* Ubi pecunia ſimoniaca non Epiſcopo, qui dederat, ſed Eccleſiæ reſtituenda dicitur. Verùm quia lex illa ſpectat duntaxat ſimoniam realem in materiâ Beneficiali, nec quidquam ſimile habetur de aliis ſimoniæ ſpeciebus.

Alii Theologi communiter docent, niſi ſimonia ſit realis in materiâ Beneficiali, pretium ſimoniacum ſemper eſſe reſtituendum ei, qui dedit. Et ratio eſt, quia jure naturali unicuique reddendum eſt quod ſuum eſt, niſi lex aut ſententia Judicis ob crimen admiſſum reddi prohibeat: Atqui nulla lex ſimoniaco reddere prohibet quod ſacrilegè dedit, niſi ſimonia fuerit realis in materia Beneficiali. Ergo.

Neque verò ſic à pari argumentari licet: ſimoniacus in Beneficio recipere non debet quod illicitè dedit; ſed reſtituendum eſt Eccleſiæ, (modò tamen ipſa non fuerit ſimoniæ particeps) vel pauperibus: Ergo & quivis alius ſimoniacus. Nam odia ſunt reſtringenda: pœna autem eſt quid odioſum, ac proinde non eſt extendenda ad eos, qui in lege non exprimuntur. Imò in cap. *Veniens*, tit. *de ſimoniâ*; præcipitur reddi pecuniam ei, qui ſimoniacè Religionem fuerat ingreſſus.

Hîc monere oportet eum, qui pro Beneficio bonâ fide & ex ignorantiâ probabili pecuniam dediſſet, teneri quidem Beneficium remittere Collatori, ut mox dicetur; ſed privandum non eſſe ſuâ pecuniâ; quia privatio illa eſt pœna: pœna autem neceſſariò ſupponit culpam, à quâ bona fides excuſat. Atque hæc de pretii ſimoniaci reſtitutione.

Quod ſpectat cenſuras ſimoniæ annexas, nulla ferè in ſcholis controverſia; omnes enim conſentiunt nullam in jure contra Simoniacos latam eſſe cenſuram, niſi ſimonia commiſſa ſit vel in ingreſſu Religionis, vel in ordinatione, vel in Beneficio. Difficultas ſolùm eſt utrùm ſimonia in tribus illis caſibus debeat eſſe realis, & ex utrâque parte completa. Plures quippè contendunt ſimoniam conventionalem in Beneficio tùm inducere pœnas canonicas, cùm Beneficium eſt collatum, etiamſi pretium nondum fuerit ſolutum. Sed communior eſt ſententia non inducere (niſi conventio fuerit confidentialis de quâ paragr. 2°.) favetque praxis Curiæ Romanæ, in quâ ſimoniacè proviſus non habetur excommunicatus, nec irregularis, ſi celebraverit, quando pretium nullâ ex parte fuit ſolutum, ut docet Navarr. c. 25.

n. 104. Idem dicendum de ſimoniacè profeſſo aut ordinato; ſi pecunia non ſit tradita, ſaltem ex parte; eſt enim regula apud Theologos communiter recepta, pœnam juris incurri duntaxat, ubi crimen fuerit conſummatum, niſi lex contrarium diſertè exprimat, quemadmodum citatæ Bullæ Pii IV. & Pii V. quæ fiduciarios anathemati ſubjiciunt, etiamſi conventio ſit ſolùm ex parte impleta.

Q. 5°. *Cur in jure pœna ipſo facto non decernitur niſi in eos, qui emunt aut vendunt Religionis ingreſſum, ordinationem, & Beneficia; cùm levius non ſit crimen alia ſpiritualia vendere; putà Sanctorum reliquias, functiones ſacras, & quæ in Religione auguſtiſſima ſunt, ut Sacramenta, præſertimque Euchariſtiam.*

R. Quia hâc triplici viâ peſtis ſimoniaca maximè graſſatur in Eccleſiâ propter honores, dignitates, & alia terrena emolumenta, quæ ex hujuſmodi ſpiritualibus conſequuntur, & cupidos vehementiùs incitant. Leges enim ſilere non debent, ubi plus periculi continuò ſocietati imminet; fruſtra verò vigilare viderentur contra illa criminum monſtra, quæ raròapparent, quæque ubi exorta fuerint facilè à Paſtoribus præfocari poſſunt.

Q. 6°. *Quâ plectuntur pœnâ, qui ſimoniam circa ingreſſum Religionis committunt?*

R. 1°. Dantes & accipientes, ſi ſint ſingulares perſonæ, excommunicationem; Conventus verò ſuſpenſionem ipſo facto incurrunt, à quibus extrà periculum mortis, abſolvi nequeunt niſi à Romano Pontifice, Extravag. *Sanè*, tit. *de ſimoniâ*. Ex ſpeciali tamen gratiâ ibi concedit ſummus Pontifex Urbanus V. aliàs IV. Extravagantis Auctor, iis qui jam labe hujus criminis fœdati ſunt, ut ab Ordinariis

locorum, hâc vice duntaxat à crimine hujuſmodi, & notâ infamiæ inde contractâ abſolvantur. Ergo jus novum non condit, ſed antiquum confirmat, ut ipſe teſtatur. Nec veriſimile eſt quod ſcribunt nonnulli, Martinum V. hanc legem revocaſſe in gratiam Monialium: tùm quia nullibi extat illa revocatio, nec à quoquam viſa eſt: tùm quia credere nefas eſt, quod aiunt, nempe Martinum V. propter inolitam apud Moniales conſuetudinem, pœnas à prædeceſſoribus ſuis, etiam in Conciliis generalibus latas ſuſtuliſſe. Recta quippe ratio exigit, ut Paſtores tum maximè ſeveritatem legis opponant, cùm in patrocinium criminis conſuetudo adducitur. Sic Concilium Nicænum ſecundum can. 19. vult Abbatiſſam ejici ex Monaſterio, quæ mandatorum Domini (Domini ait non Eccleſiæ) oblita, candidatas deinceps mediante auro, ex veteri abuſu ad ſacrum Monaſticum Ordinem admiſerit. Sic Alexander III. tùm in Concilio Lateranenſi tertio, tùm C. *Veniens*, tit. *de ſimoniâ*, contra hujuſmodi conſuetudinem recrudeſcentem eandem adhibuit ſeveritatem. Sic Clemens III. C. *de Regularibus*, tit. *de ſimoniâ*. Sic Innocentius III. in Concilio Lateranenſi quarto, & in reſponſione ad Cantuarienſem Epiſcopum C. *Dilectus* 2. tit. *de ſimoniâ*, decernit propter peccantium multitudinem nihil de ſeveritate detrahendum. Enimverò diſciplinæ relaxatio in his circunſtantiis peccandi licentia cenſeri debet.

2°. Simoniacè profeſſus in arctius Monaſterium expelli debet, ut tam execrabilem exceſſum ſine intermiſſione deploret, C. *de Regularibus*, tit. *de ſimoniâ*. Mitiùs tamen cum eo agendum, ſi ipſo ignorante pecunia data fuerit,

ut ibi dicitur. Sed hæc pœna non incurritur ante ſententiam Judicis.

Q. 7°. *Quænam ſunt pœnæ ordinationis ſimoniacæ?*

R. 1°. Ordinans eſt ipſo facto excommunicatus, ſuſpenſus à collatione cujuſcunque Ordinis, etiam primæ tonſuræ; interdictus ab uſu Pontificalium, & ingreſſu Eccleſiæ, ex Extravag. *Cùm deteſtabile*, tit. *de ſimoniâ*, abſolvi non poteſt niſi à Romano Pontifice, etiamſi crimen illius ſit occultum, ex Bullâ Sixti V. *Sanctum & ſalutare*, in quâ derogat privilegiis Epiſcoporum. Sed advertunt communiter hanc Bullam non eſſe receptam præſertim in Galliis.

R. 2°. Simoniacè ordinatus, 1°. excommunicationem ipſo facto incurrit, nec à quoquam abſolvi poteſt, niſi à Romano Pontifice, etiamſi crimen ſit occultum, ex eâdem Extravag. in quâ Paulus II. omnes pœnas in jure latas contra ſimoniacos confirmat & innovat, quod & Patres Tridentini præſtiterunt ſeſſ. 21. C. 1. de reform. Deinde ſic ordinatus ſuſpenſus eſt ab executione ſuorum Ordinum, maximè verò illius, quem ſimoniacè ſuſcepit; quia licèt habeat caracterem propter efficaciam Sacramenti, ut loquitur ſanctus Thomas, attamen nullum acquiſivit jus per ſimoniacam ordinationem, fieretque irregularis, ſi in Ordine ſic ſuſcepto miniſtrat, etiamſi ſimonia nondum ſit realis & completa; ac propterea necdum ſi excommunicatus, ut notat Suarez lib. 4. c. 56. num. 32. & 33. colligiturque ex C. *Si quis*, tit. *de ſimoniâ*, ubi ordinatus cum promiſſione dandi temporalis, ſuſpenditur *ab Ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerit. Hic patet*, inquit Gloſſa, *quòd cum ſimoniaco ſcienter in Ordine ſolus Papa*

diſpenſat ſcienter, ait; nam ſi ignoranter, Epiſcopus diſpenſare poteſt. Imò contendit idem Suarez. C. 61. ejuſdem libri num. 6. bonâ fide ſic ordinatum non indigere diſpenſatione. Ubi autem Bulla Sixti V. non eſt recepta, Epiſcopus, ex conceſſione Concilii Tridentini ſeſſ. 24. C. 6. de reform. poteſt abſolvere ſimoniacum in Ordine, tùm ab excommunicatione, tùm à ſuſpenſione, ſi crimen ſit occultum. Ita Suarez cit. lib. 4. Henriquez c. 39. Bonacina diſp. 1. de ſim. qu. 7. parag. 6. propoſitione 5. quam confirmat declaratione Congregationis Cardinalium.

R. 3°. Mediatores ſimoniacæ ordinationis ligantur excommunicatione ſummo Pontifici reſervatâ, ex cit. Extravag. *Cùm deteſtabile*: quòd extendunt nonnulli ad eos qui pro Litteris dimiſſoriis & pro ſigillo pecuniam exigunt; illa quippe ad ordinationem conferunt, tanquam media ad finem. Notarius tamen, juxtà Concilii Tridentini diſpoſitionem, poteſt quid modicum expetere ratione ſalarii & ſtipendii; quanquam non videatur quomodò qui apponit ſigillum ordinatione jam factâ, dici poſſit mediator ſimoniacæ ordinationis, niſi cum ordinando pactum inierit de pecuniâ tradendâ priuſquam Ordo conferretur.

Q. 8°. *Quas pœnas incurrunt ſimoniaci in Beneficio?*

R. 1°. Incurrunt excommunicationem Apoſtolicæ Sedi reſervatam, & qui eligunt, præſentant, confirmant, aut conſtituunt, & qui ſic eliguntur, præſentantur, & inſtituuntur, ex cit. Extravag. Nomine autem Beneficiorum & Eccleſiaſticorum officiorum intelliguntur quælibet Officia ſpiritualem juriſdictionem habentia, ut Prioratus, Guardianatus, quidquid non

nulli contra ſentiant, non verò penſiones, aut Vicariæ temporales.

R. 2°. Omnis ſimoniaca electio, præſentatio, confirmatio, collatio irrita eſt, nullumque jus per eam acquiritur, adeò ut ſic proviſus ad omnium fructuum reſtitutionem teneatur, ex eâdem Extravag. Nec favet illi regula Cancellariæ de triennali poſſeſſione, cùm expreſsè requirat, ut poſſeſſio ſit *abſque ſimoniaco ingreſſu.* Carolus Molin. in regulam *de publicandis*, num. 30. ſic ſcribit: *ingreſſo per ſimoniam non prodeſt triennalis poſſeſſio pacifica.* Idem tradit Covarruvias parte 2. & Sambovius tomo 1. caſu 4. Fagnanus, tamen & alii benemulti exiſtimant irritam non fore electionem, ſi ex pluribus electoribus unus duntaxat pecuniâ fuerit corruptus, in hypotheſi & non aliàs, quòd ejus ſuffragium fuerit ſuperfluum.

R. 3°. Simoniacè electus vel proviſus ipſo facto inhabilis eſt ad idem Beneficium, niſi cum eo diſpenſetur, C. *Nobis fuit*, de ſimoniâ.

Excipe, niſi pecunia data ſit vel reclamante electo, vel in odium ipſius electi; ut ſcilicet vitiaretur ejus proviſio: in his enim duobus caſibus ſimonia aliena ignoranti & contradicenti non nocet, ex Innocentio III. C. *Sicut tuis*, tit. *de ſim. Nihil*, inquit, *debet tibi ad pœnam vel culpam imputari, niſi poſteà conſenſeris pecuniam ſolvendo promiſſam, aut reddendo ſolutam: alioquin contingeret, quòd alicujus factum inſidias inimico parantis, ei damnoſum exiſteret, cui penitus diſpliceret; & ſic aliquis de fraude ſuâ commodum reportaret.*

Q. 9°. *Quis diſpenſare poteſt cum ſimoniacè electo aut inſtituto, ut idem Beneficium poſſidere poſſit?*

R. Diſtinguendum eſt: vel fuit conſcius ſimoniæ, vel monitus ſimoniacam fuiſſe ejus

electionem, præſentationem, collationem; eidem conſenſit retinendo Beneficium: vel prorſus ignoravit, & monitus non conſenſit. Si primum, ſolus ſummus Pontifex cum ipſo diſpenſare poteſt, ex C. *Nobis fuit*, tit. *de ſimoniâ*, ubi ſic habetur: *Per pravitatem ſimoniacam reprobatus, ab Episcopo ſuo diſpenſationem aliquam obtinere de jure non poteſt.* *Aliquam*, inquit, ſive ad titulum Beneficii retinendum, ſive ad fructus perceptos, etiam conſumptos, non reſtituendos. Si ſecundum iterùm diſtinctione opus eſt, vel enim Beneficium eſt Dignitas, Prælatura, aut cura animarum: vel eſt ſimplex. Si ſit ſimplex, Epiſcopus diſpenſare poteſt: ſi ſit Dignitas, aut habeat curam animarum annexam; vel ſimonia eſt notoria, & ad forum contentioſum deducta; vel eſt occulta. Si notoria, ſolus Papa ad eam rehabilitare poteſt, ex citato capite *Nobis*, & ex capite *Si alicujus* tit. *de electione*, in quo ſic ſtatuit Gregorius IX. *Si alicujus electionem propter ſimoniam, eo ignorante, ac ratum non habente, commiſſam contigerit reprobari; cum eo ſuper prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illâ vice, non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Quamvis circà eum, qui ignoranter recipit ſimplex Beneficium* (putà Capellaniam, Canonicatum) *poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleratur.* Idem poteſt Capitulum, ad quod pertinet Canonicatuum omnimoda diſpoſitio, C. *Ex inſinuatione*, tit. *de ſimonia*.

Si verò ſimonia ſit occulta, nec ad forum contentioſum deducta, poterit Epiſcopus rehabilitare ad idem Beneficium, licèt Curatum aut Dignitas ſit, ex caput *Quicunque*, causâ 1. qu. 5. quod eſt Concilii Placentini, cui præſuit Urbanus II. *Quicunque ſanè cupiditate pa-*

rentum, cùm adhuc parvuli eſſent, Eccleſias, vel Eccleſiarum partes per pecunias adepti ſunt, poſtquam eas omninò dimiſerint, ſi canonicè in eis vivere voluerint, pro magnâ miſericordiâ ibidem eos eſſe concedimus. Et cap. *Præſentium*, quod eſt ejuſdem Urbani II. ſcribentis ad Epiſcopum Metenſem de quodam, pro cujus ordinatione ejus parentes ipſo neſciente, pecuniam dederant; referturque cauſa 1. his verbis: *quòd ſi fortaſſe Eccleſiæ utilitas exegerit, ut curam regiminis aſſumat, liceat ei ex conceſſione ſui Epiſcopi fratrumque obedientiâ Sacerdotali Officio fungi.* Idem tradit Gloſſa in cap. *Poſt tranſlationem*, tit. *de renuntiatione*, in laudatum caput *Si alicujus*, in caput *de ſimoniacè*, & in caput *Ex inſinuatione*. Hanc ſententiam ſequuntur Navarrus Conſil. 97. num. 5. de ſimonia; Zerola parte 1. de ſimoniâ num. 4. parte 2. eodem titulo num. 4. Fagnanus in laudatum caput *Nobis*, ubi pro eâ plures laudat ex antiquis Canoniſtis ut Joannem Andream, Oſtienſem, eique admodum favent Pragmatica Sanctio, & Concordata tit. *de pacificis poſſeſſoribus*; agnoſcunt enim in Epiſcopo facultatem reſtituendi cujuſcunque Beneficii & Dignitatis eidem Clerico qui careret titulo etiam colorato, modò non ſit intruſus, aut violentus, aut aliàs indignus.

Paragraphus V.

Reſolvuntur nonnulli caſus ex præſtructis fundamentis.

Quæ hactenus tradidimus circa ſimoniæ definitionem, diviſionem, & pœnas, certæ ſunt regulæ, quibus deprehendi poſſit

peſtifera illa labes in caſibus occurrentibus. Verùm, quia uſus & applicatio hujuſmodi regularum difficultate non caret, propter varias artes, quibus ambitio & cupiditas lethale illud vitium occultare ſolent, nonnullos caſus in tironum gratiam ex præmiſſis principiis reſolvemus.

Primus caſus. Titius in minori ætate conſtitutus Canonicatus poſſeſſionem iniit, mediante Mævii reſignatione in ejus favorem. Aliquot annis elapſis, cùm eſſet major effectus, pater ejus petit ut ſibi refundat quatuor millia libellarum, quas poſſeſſione adeptâ Mævio dedit in grati animi teſtificationem: Quæritur, utrùm pater dando, & Mævius accipiendo, ſimoniam commiſerint, poſſitque Titius tutâ conſcientiâ illam ſummam patri reſtituere.

Reſpondeo 1°. Pater non commiſit ſimoniam, ſi nullum pactum vel expreſſum, vel tacitum reſignationem præceſſit; quia ſimonia eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi ſpirituale: Atqui talis voluntas non fuit in parte; nuſquam enim voluit ſpirituale ſibi comparare pretio vel pecuniâ. Unde ſequitur, Titium tutâ conſcientiâ poſſe reſtituere datam pro ſe pecuniam in munus antidotale.

Reſpondeo 2°. Mævium non eſſe reum ſimoniæ realis aut conventionalis; quia, ut ſupponitur, nullum inter illum & patrem interceſſit pactum, ac proinde nullam pœnam incurriſſe: potuiſſe tamen infici ſimoniâ mentali, ſi nempe non reſignavit in favorem Titii, niſi quia patrem ejus liberalem & generoſum expertus eſt, ita ut ex motivo temporalis adipiſcendi illum ceteris prætulerit; in quâ hypotheſi acceptam pecuniam reſtituere tenetur, juxta ſententiam, quam probabiliorem diximus.

Reſpondeo 3°. Hujuſmodi munera antidotalia, quamvis à labe ſimoniæ pura, non eſſe tamen offerenda, nec acceptanda, præſertim ſi fuerint alicujus momenti; & à viris probis conſtanter rejici: tùm quia ſimoniacæ ſpeciem præ ſe ferunt, nec ſine aliorum ſcandalo accipiuntur; ingerunt enim ſimoniacæ conventionis ſuſpicionem: ab omni autem ſpecie malâ abſtinere præcipit Apoſtolus: tùm quia ſi hujuſmodi gratificationes in more eſſent; Beneficia fierent venialia ex conſuetudine communiter receptâ, quæ vim cujuſdam legis videtur habere, adeò ut turpe eſſet accipienti ſpiritualia, ſi pro magnitudine Beneficii munus non rependeretur.

Secundus caſus: Clericus dives, ambiens alquem gradum honoris, Eccleſiæ Cathedrali offert bona ſua, ad fundandam Præbendam, eâ tamen conditione, quòd ipſi tanquam fundatori conferetur. Quæritur utrùm abſque ſimoniâ acceptari poſſit illa donatio.

Reſpondeo, minimè; quia Capitulum venderet ſpirituale pro temporali; colligiturque ex cap. *Tua nos*, tit. *de ſimoniâ*, ubi Innocentius III. ſic reſpondet: *Si quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur aut offerat bona ſua, ut illa poſt modum pro Præbendâ retineat, hujuſmodi oblatio vel receptio fieri non poterit ſine vitio ſimoniæ; cùm in talibus omnis pactio aut conventio ceſſare debeat juxta canonicas ſanctiones. Si verò purè ac ſine pacto offerat rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur .... hujuſmodi receptio fieri poterit abſque ſcrupulo ſimoniacæ pravitatis.* Sed omittendum non eſt quod ſummus Pontifex addit de ſimoniâ mentali; illud enim efficaciter confirmat ſecundam noſtram reſponſionem ad præcedentem caſum: *Si tamen*, inquit, *is*

qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci; & Clerici qui eum in fratrem admittent, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri: ſine dubio tam ille, quàm iſti apud diſtrictum Judicem (qui ſcrutator eſt cordium) culpabiles judicantur.

Q. *Quid ſi idem Clericus eâ intentione reditus Beneficii ſimplicis, quod poſſidet, ex propriis bonis augeret ut permutatione mediante Dignitatem Eccleſiaſticam, vel aliud majus Beneficium acquireret?*

Reſpondeo 1°. Vitioſam eſſe illam intentionem ac ſpeciem ſimoniæ præ ſe ferre, ut patet ex cap. *Tua nos* mox laudato; Clericus enim ille Beneficium per pecuniam ſibi comparare intendit. 2°. Beneficiorum permutationes eſſe illicitas niſi fiant ex causâ neceſſariâ, vel ſaltem utili Eccleſiæ; ſic enim habetur cap. *Quæſitum*, de rerum permutatione. *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre perſonas, ut quæ uni loco minùs ſunt utiles, alibi ſe valeant utiliùs exercere.* Et ſanctus Thomas 2. 2. qu. 100. ad quintum, *poteſt tamen Prælatus ex officio ſuo permutationes hujuſmodi facere pro causâ utili vel neceſſariâ.* Ergo niſi adſit alterutra ex his cauſis, illicita eſt permutatio: Imò ſi unus ex permutantibus principaliter intenderet commodum temporale, puta honorem, propinquorum conſuetudinem, quâ per primum Beneficium ſe privari ægrè ferebat ſimoniam contra jus divinum committeret.

Tertius caſus, iſque frequentiſſimus. Decanus aut Parochus Beneficium ſuum in nepotem vellet transferre. Sed quia obſtat hujus ætas pupillaris, illud offert Titio Canonico, eâ ta-

men lege, ut ipſe Titius Præbendam ſuam in gratiam nepotis abdicet. Titius accipit conditionem, Præbendam in Curiâ Romanâ reſignat in gratiam nepotis, & viciſſim Decanus ſive Parochus ſuum Beneficium in gratiam Titii. Eſtne licita hujuſmodi conventio?

Reſpondeo. Eſt illicita & ſimoniaca, niſi exponatur ſummo Pontifici, cùm ex cap. *Pactiones* ſupra laudato paragr. 2. pag. 644. in Beneficiis *omnis conventio debeat omninò ceſſare.* Quare conventione impletâ Decanus ſeu Parochus, & Titius excommunicationis pœnam incurrunt, & nulla eſt collatio utriuſque Beneficii.

Quartus caſus. Non minùs frequens. Titius non poteſt obtinere Dignitatem, aut aliud pingue Beneficium, niſi viâ permutationis. Sed quia nullum habet Beneficium, quod permutare poſſit, Caïus ipſi reſignat ſimplex Beneficium, quod adeptum Titius ſub beneplacito Epiſcopi permutat cum dignitate aut pinguiori Beneficio. Peccarunt-ne Titius & Caius viam illam ineuntes?

Reſpondeo. Peccarunt. Titius quidem acceptando ſimplex Beneficium, negotiationis cauſâ; nam ex cap. *Grave nimis:* quod eſt Concilii Lateranenſis IV. tit. *de Præbendis,* Beneficia non debent conferri niſi iis, qui poſſunt & volunt in iis Eccleſiis famulari. *Præcipimus, ut prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant* (Epiſcopi) *qui Deo & Eccleſiis velint & valeant impendere famulatum.* Et cap. *Super inordinatâ*, eodem titulo, ſic habet Gregorius IX. *cùm autem illi ſint in Eccleſiis idonei reputandi, qui ſervire poſſunt & volunt, reſpondemus*, &c. Atqui Titius non voluit in illo ſimplici Beneficio Eccleſiæ deſervire, ſed per illud negotiari, & acquirere

Dignitatem aut Beneficium pinguius: Ergo reverà peccavit. Caïus quoque, quia ſciens & volens communicavit peccato alieno. Nulla tamen eſt ſimonia in illâ negotiatione; quia nullum interceſſit pactum, nec datum eſt temporale pro ſpiritali.

Quintus caſus. Beneficiarius vult reſignare Dignitatem, putà Archidiaconatum, aut aliud inſigne Beneficium, cum penſione, quæ æquat, vel etiam excedit fructus Beneficii, qui ſunt exigui, contendens rationem habendam eſſe præeminentiæ honoris tali Beneficio annexi: Quæritur an id licitè fieri poſſit ſub beneplacito ſummi Pontificis?

Reſpondeo 1°. Penſiones jure communi non debere excedere tertiam partem fructuum Beneficii, nec ſolere creari in Curiâ Romanâ, ni ſub conditione, quòd non excedant. 2°. Si tertia pars fructuum non ſufficeret ad ſuſtentationem reſignantis viribus exauſtis propter diuturnum ſervitium, & aliunque indigentis, majorem poſſe imponi penſionem priùs expoſitâ causâ. 3°. Penſionem omnes fructus Beneficii excedentem, eſſe ſimoniacam contra jus divinum, nec præeminentiam poſſe æſtimari pretio, cùm ſit quid ſpirituale. Unde ſi quæ foret conceſſio Sedis Apoſtolicæ, cenſenda eſſet ſubreptitia, aut obreptitia. Summus enim Pontifex eatenùs ex dictis penſiones creat, quatenùs ſeparat fructus Beneficii ſpirituali annexos, quorum cùm diſpenſator ſit, poteſt huic aut illi dare prout Eccleſiæ utilius eſſe judicat. At in hypotheſi, quòd penſio excedat fructus Beneficii, ille exceſſus, cùm ſit ſolvendus ex bonis propriis reſignatarii, quæ non ſubſunt adminiſtrationi ſummi Pontificis, eſſet verum pretium ſimo-

niacum jure naturali & divino prohibitum.

Confirmatur: qui, ut officium in Republicâ adipiſcatur, per alterius ceſſionem, ſe obligat ad ſolvendum ipſi cenſum annuum, verè & propriè emit illud officium. Ergo & qui pro obtinendo Beneficio, onus penſionis ex pacto imponit bonis patrimonialibus, cenſendus eſt illud emere.

Dices: quædam Congregationes Regulares dicunt ſe habere à Sede Apoſtolicâ privilegium, quo ipſis liceat annuatim ſolvere reſignantibus in favorem Monaſterii penſionem, quæ æquet, vel etiam ſuperet fructus Beneficii. Ergo.

Tranſeat antecedens, de quo mihi non conſtat: Nego conſequent. Diſparitas eſt, quod ſummus Pontifex bona Monaſteriorum utpotè Eccleſiaſtica diſpenſet prout utilitas poſtulat; è re autem Monaſterii eſſe poteſt, ſi ex ejus reditibus extrahatur quantùm neceſſe eſt, ut Beneficia ex ejus bonis dotata & pro Regularibus erecta ad ipſum redeant. Sed bona patrimonialium Fidelium non ſubſunt regimini ſummi Pontificis, nec ſub ejus beneplacito dari poſſunt pro obtinendo Beneficio; quia ſimoniacum eſt contra jus naturale & divinum.

Sextus caſus. Titius reſignat ſuum Beneficium in favorem nepotis; ſed Reſcriptum Apoſtolicum apud ſe retinet, ne nepos poſſeſſionem adeat; & ipſe interim fructus Beneficii percipit. Quæritur, nùm reſignatio illa ſit ſimoniaca?

Reſpondeo 1°. Si nullum præceſſit pactum cum nepote, ſimoniaca non eſt: quia ex dictis ſimonia eſt ſtudioſa voluntas emendi aut

vendendi ſpirituale : in omni autem emptione & venditione intelligitur duorum ſaltem conventio. Attamen Titii intentio eſt illicita, vult enim actu & de facto dare, & ſimul retinere, quod repugnat. 2°. Si Titius ante reſignationem hâc de re pactum iniit cum nepote, ambo ſimoniam fiduciariam commiſerunt, pœnaſque fiduciariorum incurrerunt, nempe excommunicationem, & inhabilitatem ad Beneficia. Vide quæ in hanc rem dicta ſunt paragrapho ſecundo.

Septimus Caſus. Dominus alicujus fundi, cui annexum eſt jus nominandi ad Eccleſiam parochialem, & ad nonnulla alia Beneficia ſimplicia, putâ Canonicatus & Capellanias, propter hanc ſingularem præeminentiam longè majori pretio fundum illum vendit. Quæritur 1°. Utrùm validus ſit ille contractus; nam ex dictis ſpirituale, quale eſt jus Patronatûs, vendi nequit? Deinde utrùm vendens, & emens ſimoniacorum pœnas incurrerint,

Reſpondeo 1°. Fundum cùm ſit temporale antecedenter annexum ſpirituali, validè & licitè poſſe vendi & emi : jus verò Patronatûs, minimè, quia eſt quid ſpirituale. Porro ex regulâ 37. Juris in ſexto, utile non debet per inutile vitiari, maximè quando ſunt ſeparabilia, ut contingit in hoc caſu; fundus enim & jus Patronatûs ſeparari poſſunt, ſicut calix & conſecratio. Unde rata eſt venditio fundi, & irrita ac ſimoniaca venditio juris Patronatûs, ac proinde reſtituendum eſt ejus pretium, vel pauperibus, juxtà doctrinam S. Thomæ, vel ei, qui emit, in aliorum ſententiâ. Conſule paragraphum quartum.

Reſpondeo 2°. Nec vendentem nec empto-

rem pœnas incurriſſe; quia ſimonia, licèt realis, nullas inducit pœnas, niſi ſit in Ordine, vel Beneficio, vel ingreſſu Religionis.

Dices: Jus Patronatûs reſpicit Beneficia; ergo ſicut qui pretio obtinuit Litteras dimiſſorias, incurrit pœnas ſimoniacorum in Ordine; quia Litteræ dimiſſoriæ ad ordinationem referuntur: ſic & qui emit jus Patronatûs.

Nego conſeq. & paritatem; namque emens Jus Patronatûs nullatenùs cenſetur emere Beneficium, ſicut qui emeret uſum hujuſmodi juris, nempe præſentationem, ſeu nominationem.

Octavus Caſus. Titius largitus eſt munera amico, quem habet in Curiâ, ut invigilaret quando vacaret aliquod Beneficium, & pro ſe peteret. Quæritur quale judicium de his ſit ferendum?

Reſpondeo 1°. Si Titius reverâ Beneficium conſecutus eſt, ambo ſunt rei ſimoniæ realis in Beneficio, excommunicationem incurrerunt; Titius irregularitatem contraxit ſi in Ordine miniſtravit; tenetùrque dimittere Beneficium, & fructus indè perceptos; amicus verò reſtituere debet Eccleſiæ, vel pauperibus, pretium quod accepit.

Reſpondeo 2°. Si Beneficium non ſit collatum, neuter pœnas ſimoniacorum incurrit; quia ſimonia eſt duntaxat conventionalis. Sed amicus pretium reſtituere tenetur, quia eſt ſimoniacè acceptum; & quidem Titio, non verò pauperibus; quia conditio non fuit impleta.

Nonus Caſus. Officium Clericale inſtitutum ad Sacramenta infirmis miniſtranda vocavit in Eccleſiâ Parochiali; Titius effecit precibus &

muneribus, ut ſibi conferretur; jam quærit quid ſibi facto ſit opus?

Reſpondeo. Tenetur dimittere officium, & reſtituere fructus; quia collatio fuit nulla, ut pote ſimoniaca: nullas tamen pœnas contraxit; quia officium illud non eſt Beneficium.

Et hæc de ſimoniâ ſufficiant.

FINIS.

INDEX
RERUM IN HOC TOMO CONTENTARUM.

A

ABLATUM jure naturali, divino, & humano reſtituendum, *Pag.* 137. 138.
An ſufficiat ad ponendam æqualitatem, ut reddatur res ablata, ſi extet: vel ejus pretium, ſi conſumpta ſit, 148
Ablatæ rei fructus naturales reſtituendi ſunt, *ibid.*
Quid de ceteris fructibus rei ablatæ, 149
Abſentes à Choro legitimo impedimento ceſſante, peccant graviter, & reſtituere tenentur, 250, niſi levitas materiæ excuſet, 251
Quanta debeat eſſe abſentia ad peccatum mortale, *ibid.*
Abſentes ſine causâ dum minores Horæ cantantur, an reſtituere tenentur, 252
Abſentes Jubilati, ſi ſint vegeto corpore, an à reſtitutione excuſentur, 253
Abſentes frequenter à Capitulo Canonici, an peccent, 254
Abſentes generatim, vel Canonicus, vel Judex, vel quivis Superior, damna ex ab-

ſentiâ ſuâ orta reparare tenentur, 168
Accepta ob turpem cauſam ſunt ne reſtituenda, 171.
Quæ quis accepit, ut peccaret contra ſuum officium, ſive ut faceret opus præceptum, vel abſtineret ab opere malo, an ea reſtituere teneatur, 173. *& ſeq.*
Acceptio, ratione injuſtæ acceptionis, reſtituendum eſt, 139
Triplici modo fit injuſta acceptio, *ibid.*
Acceptionis perſonarum definitio, 16
Juſtitiæ diſtributivæ, opponitur, *ibid.*
Duo requiruntur ad peccatum acceptionis, 17
In Deum non cadit, *ibid.*
Quotuplici modo committi poteſt acceptio perſonarum, *ibid. & ſeq.*
Quale ſit peccatum, 20
Acceptio acquirendi dominii modus, 87. 88.
Acceſſus, ſpecies ſimoniæ confidentialis, 635
Actus interiores ab Eccleſiâ præcipi poſſunt, 405
Acquiſitio, de rerum acquiſitione, 49
Quomodo acquiritur poſſeſſio, *ibid.*
An acquiri poſſit dominium in homines, 55
De acquiſitione dominii per occupationem Beſtiarum, 59
De acquiſitione dominii in bona vacantia & derelicta, *66.* in res inventas, *67.* in theſauros, 71
De acquiſitione dominii per uſucapionem & preſcriptionem, 74
Rei alienæ dominium per præſcriptionem acquiritur etiam in foro conſcientiæ, *ibid.*
De ceteris acquirendi dominii modis, 87
Adoratio, religionis actus, 396
Adulatio, eſt munus à linguâ ac proinde aliquando ſimoniæ reatum inducit, 630
Adulter & *adultera*, quomodò damna ex adulterio

terio ſecuta reſarcire tenetur, 188
Quid, ſi dubium ſit an ab adultero, an à marito proles ſit genita, 189
Advocati, quandonam primaria cauſa damni, & reſtitutioni obnoxii, 158. 159. 160
An tenentur ad reſtitutionem ex culpâ levi, 155
Ædes, qui ad illarum ædificationem vel reparationem pecuniam credidit, retento jure pignoris, aliis creditoribus preferendus eſt, 177
Quomodò ædes accedunt ſolo, 88
Æqualitas, juſtitiæ ſcopus, 2. 3. 6. *& ſeq.*
In quo poſita, 4. & 89
Æquivocationes, nuſquam licitum iis uti, 568
Alea, quid ſit, & quotuplex, 374
An licitè, & quotuplici modo in ea pecunia poſſit exponi, *ibid.*
Alea prohibita eſt præſertim Clericis, 176. *& ſ.*
Aleæ deſervire eſt peccatum mortale, 379. *& ſeq.*
Aleæ modicam exponere pecuniam recreationis causâ, an ſit grave peccatum, præſertim in Laicis, 383
An lucrum ex aleâ perceptum tutâ conſcientiâ retineri poſſit, 386
Sponſio verò ſolvendi quod in aleâ amiſſum eſt, an aliquam pariat obligationem, 387
Alienare bona ſua poſſunt-ne pupilli, 34. Minores, 35. Monaſteria, 107
Alimenta, rectus eorum uſus, 367. *& ſeq.*
Alimentorum inopi Clerico ſubminiſtrandorum causâ, poteſt-ne ipſi, quamvis non digniori, conferri Beneficium ſimplex, 27
Alluvio, quid ſit, & quomodò transferat dominium, 87
Animalia, ab iis damnatum illatum quis reparare

debeat, 168
Ex eorum motibus aliquid conjectare, an ſemper ſuperſtitioſum, 588
Animarum cura, quid ſit, & quàm grave onus; 268. 269.
Quas animi dotes in Paſtoribus requirit, 276 *& ſeq.*
Annata, an licitè & abſque ſimoniâ exigantur à Curiâ Romanâ, 617. 618
Arma Paſtoralis militiæ quænam ſint, & quantùm valida, 273. 274
Ars artium regimen animarum, 268
Artifices, an poſſint abſque injuſtitiâ retinere aut ſurripere de bonis eorum, pro quibus operantur, 210
An tenentur ex culpâ levi damnum illatum reparare, 153
Aſtrologia, duplex, naturalis, & judiciaria: prior licita; poſterior verò damnata, 587 588
Augurium, aruſpicium, & auſpicium, ſpecies ſunt divinationis illicitæ, 587
Attentio, an ſit neceſſaria, ut Beneficiarius ſatisfaciat præcepto recitandi Horas Canonicas, 248. 249
Mentis attentio requiritur in oratione, 403
Triplex hujus attentionis ſpecies, *ibid.*
An harum quælibet ſufficiat, 404. *& ſeq.*
An ille conſequatur orationis ſuæ fructum: qui involuntariè mentis attentionem non ſervat, 406
Auri & argenti venæ, ad quos pertineant, 54. & 64

B

B*eati*, cur ſint impeccabiles, 479
Deum poſſident non amore concupiſcen-

tiæ, ſed amore benevolentiæ, 445
Beatitudo, ubi quærenda, 441
Beneficiarii, diſpenſatores, non domini bonorum Eccleſiæ, 119. & *ſeq.*
Utrùm ad reſtitutionem teneantur, ſi ea in uſus ſuperfluos impenderint, *ibid.*
Quo ſenſu dicantur domini fructuum ex Beneficiis perceptorum, 126. 127.
Debent ex juſtitiâ implere officia ſui Beneficii, 241
An Beneficiariis, qui ſufficiens patrimonium habent, licitum ſit veſci ex bonis Eccleſiæ, 182
Vid. *Abſentes*, *Canonici*, *Clerici*, *Horæ Canonicæ.*
Beneficia, quomodò peccatur contra juſtitiam in eorum collatione, 15. & *ſeq.*
Collator, qui Beneficium conferendum Clerico ex familiâ Fundatoris, ei licèt digno non confert, tenetur-ne ad reſtitutionem, 16
Conferre Beneficium Curatum digno, digniori omiſſo, quale ſit peccatum, 24
Quid, ſi ſit ſimplex Beneficium, 27
Ad quid inſtituta Beneficia, 21
An etiam permutantes, reſignantes, vel præſentantes eligere debeant digniores, 23
Quomodò jus in re Beneficii acquiritur, 33. 36
Beneficiorum fructuum Clerici an ſint domini, vel diſpenſatores, 119. & *ſeq.*
Beneficium Eccleſiaſticum per tres annos à pacifico poſſeſſore titulum ſaltem coloratum habente præſcribitur, 85. modò poſſeſſor ille ſit abſque ſimoniaco ingreſſu, 659
Vid. *Simonia* & *Simoniacus.*
Beſtiæ, vel ſunt manſuetæ & cicures, vel feræ, 59

Cicures, licet-ne occupare, *ibid.*
An etiam feras cicuratas, quandiù præſumuntur ad priſtinam domum reverſuræ, 60
Beſtiæ verò feræ à nullo apprehenſæ, ſunt-ne primi occupantis, *ibid.*
Beſtias domeſticas agrum alienum depaſcentes, licet-ne occidere, *ibid.*
Blaſphemia, quid eſt, 576
Quibus modis in Deum poteſt conjici, 577
Variæ illius ſpecies, *ibid.*
Quàm grave ſit peccatum, 579
Ex quo ſpiritu procedat, 580
An ſit blaſphemia, nomina Dei, Jeſu, & Sanctorum ſæpius ſine causâ appellare, 584
Pœnæ in blaſphemos ſancitæ, 582
Quid inquirere debet Confeſſarius ab iis, qui ſe blaſphemiæ accuſant, 583
Bona fides, Vid. *Fides.*
Bonitas moralis, ſolius habitûs virtuoſi character, 3
Bonum commune eſt objectum juſtitiæ legalis, 8. 9. 10
An præferendum ſit bono privato, quod eſt objectum juſtitiæ commutativæ, *ibid.*
Bona communia Reipublicæ ſunt-ne aliquibus ſtricto jure debita, 14
Quomodò & quando peccari poteſt in eorum diſtributione, 15. *& ſeq.*
Quænam bona vincula dicantur, 35
Bonorum diviſio, quo jure facta, 49. *& ſeq.*
Bonorum communitas, an convenientior eorundem proprietate, 51. 52
An bona ſint communia in extremâ neceſſitate, 53. an etiam in gravi, 207
Bona vacantia & derelicta, quænam ſint, 66
Cujus ſunt, & quo jure, 54. 55. & 66

An bona certò peritura, niſi è periculo eripiantur, cenſeantur derelicta, 66
Bona caſtrenſia & quaſi caſtrenſia quænam ſunt, 100
Adventitia item & profectitia, 101
Quodnam jus competat filiis familias circà illa bona, 101. 102
An bona, quæ Clerico obveniunt poſt Clericatum, cenſeantur caſtrenſia, 100
Quot ſunt caſus, in quibus pater bonorum adventitiorum filii non habet uſum fructum, 102
Quid ſunt bona paraphernalia, 104
Bona mariti quomodò obligata uxori ejuſque liberis pro dote, 177
Quænam bonorum poſſeſſio competit Religioſis, 107. *& ſeq.*
Bona Eccleſiæ, impendenda in uſus pios, non in ſuperfluos aut profanos, 114. *& ſeq.*
De eorum quadripartitâ diviſione quid ſentiendum, 121. 122
Bona patrimonialia inter & Eccleſiaſtica quale diſcrimen, 124. 125
Quotuplicis generis ſint bona, in quibus proximo noceri poteſt, 185
Quale nocumentum inferri poteſt in bonis ſpiritualibus, *ibid.*
Burſa Collegiorum, an vendi poſſint, 300

C

CAmbium, quid ſit, & an licitum, 338. 339
Quotuplex ſit, 340
Quid ſit cambium reale, quid ſiccum, *ibid.*
An liceat cuilibet privato cambium exercere, *ibid.*
Canonici, Choro & divino Officio addicti, 249. *& ſeq.*

Abſentes ultrà tres menſes faciunt-ne fructus ſuos, 126
Canonici ſine causâ abſentes, an pro ratâ abſentiæ reſtituere debeant, 250
An illis proſit remiſſio ceterorum, 182
An abſentes diſtributiones quotidianas lucrentur, 250
An mulctæ ſubjacere debeant, qui ingrediuntur ante finem primi Pſalmi, 251
An illi Canonici, qui de jure eximuntur à præſentiâ in Choro, excuſari poſſint, ſi abſint, nec ſint legitimè impediti, 253.
Vid. *Abſentes.*
Cantus, an Choro addicti teneantur etiam cantare, 260
An peccent qui inter cantandum verſus aut verba mutilant, 253
An tuti ſint in conſcientiâ, qui in Vicarios onus cantandi refundunt, 262
Cauſa, duplex in donationibus, & aliis contractibus, finalis & impulſiva, 236
Causâ finali ſubſiſtente ſubſiſtit-ne contractus, 237
Cauſâ impulſivâ ſublatâ, tollitur-ne contractus, *ibid.*
Cauſæ damni quotuplicis generis, 140
Quo ordine reſtituendum eſt, 141. *& ſeq.*
Cenſus, unde ſic dictus, 340
Quotuplici modo ſumitur, 341
Ejus varia diviſio, 343
Cenſus redimibilis, an licitus, *ibid.*
Cenſus reſervativus, quid eſt, 341
Cenſus conſignativus, quis, & an licitus, *ibid. & 343.*
Ceſſio bonorum, an debitorem liberet à reſtitutione, ſi quid poſtea acquirat, 183
An qui cedit bonis, poſſit aliqua occultare ad-

neceſſariam ſuſtentationem, *ibid.*
Charitas, quo ſenſu nomen juſtitiæ ſibi vindicat, 2
Ejus eſt omnium virtutum actus ordinare in Deum, *ibid.*
Comites habet omnes virtutes, nec ſine illis Deus eam infundit, 11. 439
Proprius eſt ejus effectus obſervatio omnium mandatorum, 11
Charitas, quare virtus Theologica, 391
In quo præciſè differat à ſpe Theologicâ, 441
Charitas, an poſſit eſſe otioſa in corde Juſti, 373
Charitati opponitur omne peccatum mortale, 371
An officia charitatis dimittenda ſint ad vacandum contemplationi, & aliis Religionis actibus, 395
Per charitatem homo ſe totum tradit Deo, 397
Charitas maximè proſequitur bonum amici, 398
Charitas per devotionem nutritur & conſervatur, *ibid.*
Charitate creſcente creſcit humilitas, 400
Chirographa certa & liquida an poſſint emi infrà determinatum eorum pretium, 288. 291
Chiromantia, quid eſt & an licita, 587
Choreæ, quàm periculoſæ, 363. 364
Chorus, an & ſub quâ pœnâ præcipiatur Canonicis Choro intereſſe? 250. *& ſeq.*
Præceptum illud eſt-ne duntaxat pœnale, 253
Clerici, immunes ab oneribus publicis, 6
An domini fructuum Beneficiorum ſuorum, 114. *& ſeq.*
Quorum bonorum diſpoſitio ſit iis conceſſa, 125

An eorum ſint domini, quæ eis contingunt impendendo operas ſuas divinis officiis ad miniſteriis, 130.
Clerici ex bonis patrimonialibus divites poſſunt-ne uti reditibus Eccleſiæ, 132. 133
Laïcis præbere debent exemplum frugalitatis ac modeſtiæ, 133
Clericus Horas Canonicas etiam privatim recitans, orationem publicam fundit, 426.
Quæ dotes in eo neceſſariæ, ut ad tantum miniſterium ſit idoneus, *ibid.*
An Clericus peccati mortalis reus ſatisfaciat Eccleſiaſtico orandi præcepto, 265. 428
Clericis interdictus popinarum ingreſſus, 361 venatio, *ibid.* & alea, 376
Cleromantia, quid ſit, 587
Codicillus, quid ſit, 346
Cognitio, duplex, ſpeculativa, & practica, 418
Utriuſque acquirendæ modus, *ibid.*
Comœdia, licet-ne iis aſſiſtere, 361
Commixtio & *Confuſio*, modi acquirendi dominii, 88
Quid ſint, & in quo differant, *ibid.*
Commodatarius, quando tenetur ex culpâ levi, 153 *& ſeq.*
Commodatum, in quo differat à mutuo, 306
Commodatum ſine culpâ commodatarii periens perit commodanti, *ibid.*
Commodari poteſt pecunia, 307
Communitas bonorum; an convenientior eorum proprietate, 51. 52
Uxor ex bonis communitatis aliquid ſurripiens, aut inaniter conſumens, an peccet contra juſtitiam, 104. An etiam maritus, *ibid.*
Communitas ſeu Congregatio Regularis, quomodò capax dominii, 107. *& ſeq.*

Commutatio votorum ad quem pertinet, 541. *& ſeq.*
Vid. *Votum.*
Quid de juramentorum commutatione, 560. *& ſeq.*
Vid. *Juramentum.*
Compenſatio in debitis, an ſecretò & propriâ auctoritate fieri poſſit, 208. 209
Quid in praxi Confeſſario obſervandum circà compenſationem occultam, 209
Concurſus in Beneficiis & officiis obligat-ne Superiorem ad eligendum digniorem, 15
Tenetur-ne ad reſtitutionem Superior, qui in concurſu minùs dignum eligit, *ibid.*
Examinatores à concurrentibus ad Beneficia aliquid accipientes honeſtæ ſuſtentationis titulo, fiunt-ne rei ſimoniæ juris naturalis vel Eccleſiaſtici, 643
Conditio, qualis eſſe debeat, ut in contractibus obligationem tollat, ſi non impleatur, 233. 234
An conditio diſtractiva contractûs eum invalidum reddat, 255
Donans ſub conditione poteſt-ne reſilire ante conditionis eventum, *ibid.*
Confeſſarius, an teneatur reſtituere, ſi pœnitentem reſtitutioni obnoxium reſtituere non obliget, 165
Non minùs inquirere debet à pœnitente utrùm retineat alienum, quàm utrùm rapuerit, 144
Qualis ſcientiâ ornatus eſſe debet, 150
Confeſſio ſacramentalis eſt-ne integra, cùm pœnitens injuſtitiæ ſe accuſans non aperit quandiù duraverit voluntas non reſtituendi, 144
Confidentia in Beneficiis, peſſimum ſimoniæ ge-

nus, 634

Quot modis committitur, 635

Pœnæ in confidentiarios latæ, 637

Simonia confitentialis eſt-ne juris divini, vel humani, 644

Pactum poſſeſſionem non adeunti, niſi poſt certum tempus, adjunctam-ne habet ſimoniam confidentialem, 668

Conjectatio ex ſomniis & motibus animalium, eſt-ne ſemper ſuperſtitioſa, 588

Conjuges, an & quibus in rebus poſſit inter eos eſſe juſtitia, 103

Conjugum alter alterius vota poteſt-ne irritare, 530

Quænam vota emittere poſſunt conjuges, 523

An conjugum alter ſine alterius conſenſu continentiam vovere poſſit poſt conſummatum matrimonium, 531

An conjux, qui continentiam non vovit, ſed compartis voto conſenſit, conſenſum poſtmodùm revocare poſſit, & in hâc hypotheſi vovens licitè reddere debitum, *ibid.*

Conjuges omninò pares ſunt in iis, quæ ad thorum ſpectant, 530. & *ſeq.*

Conjuges, qui votum continentiæ violant, ſunt-ne adulteri vel fornicarii, 533

Conſanguinitas, an habeat rationem pretii ſimoniaci, 632

Licet-ne conferre Beneficia conſanguineis ſolummodò vel principaliter propter conſanguinitatem, *ibid.* & 633

Conſentiens, quandònam reſtituere debet, 160

An complacentia ſit conſenſus ſufficiens, ut ex eâ oriatur obligatio reſtituendi, 161

Quoties conſenſus cenſeri debet cauſa effectûs, vel damni ſecuti, *ibid.*

An teneatur ad reſtitutionem, qui inter po-

ſtremos ſuffragium ferens, conſentit injuriæ jam à ſufficienti numero decretæ, *ibid.*
De conſenſu requiſito ad validitatem contractûs, 221
Vid. *Contractus.*
Conſilia Evangelica, comparatè ad quid dicuntur de meliori bono, 515
Quomodò evadere poſſunt præcepta, 516
Conſulens, quandònam cenſetur primaria cauſa damni, 157
An qui minus malum conſulit, ad majus vitandum, teneatur reſtituere, 158
Revocato conſilio remanet-ne obligatio reſtituendi, ſi nihilominùs ſequatur damnum, *ibid.*
Quid, ſi dubium ſit, an conſilium influxerit, 159
An qui malè conſulit, ſed bonâ fide, ad reſtituendum teneatur, *ibid.*
Conſuetudo, an poſſit præſcribere contra legem naturalem, 263
Quomodò deroget juri communi, *ibid.*
Contemplatio, quid ſit, & an diſtincta ſpecies à meditatione, 413
Contemplatio ſolet eſſe admodùm brevis, *ib.* & rara, præſertim in incipientibus, 414
Ad contemplationem longè faciliùs aſſurgunt perfecti, quàm incipientes, *ibid.*
Contractus definitio, 214
Tria ad contractum eſſentialiter requiſita, nimirùm conſenſus, ſignum externum, & vis obligandi, *ibid.*
An contractus poſſit jure poſitivo irritari, 215
Contractus contra legem aliquam poſitivam, non ſemper cenſetur irritus, aut invalidus, *ibid.*

Quomodò cognoſci poteſt contractum eſſe invalidum, ex eo quòd factus ſit contra legem, *ibid.*
Solemnitas duplex in contractibus, 216
Lex civilis irritans contractus minùs ſolemnes, fundatur in periculo fraudis, *ibid.*
Contractus defectu ſolemnitatum invalidus, eſt-ne etiam irritus in foro conſcientiæ, *ibid.* & 354
Contractus licitus firmatur-ne juramento, 217
Contractus juramento firmatus poteſt-ne reſcindi nondum relaxato juramento, 219
Contractus invalidus firmatur-ne juramento, 216. & *ſeq.*
Quinam conſenſus requiratur in contractibus, 221
Valet-ne contractus, quando eſt error aut dolus circà ſubſtantiam rei, *ibid.*
Vid. *Error, dolus, metus.*
Quibuſnam competit facultas contrahendi, 226
Varia contractuum genera, 230
Quotuplicis generis ſunt contractus innominati, 231
Quotuplex eſt contractus non purus, 232
Contractus ſub conditione, an & quando pariat obligationem, 233. & *ſeq.*
De contractu ad modum, 236
Contractus eſt-ne validus, modo non impleto, *ibid.*
De contractu ad cauſam, *ibid.*
An valeat contractus, non ſubſiſtente cauſâ, 237
Conditio tacita non annullat contractum, *ib.*
Contractus ad diem, quotuplex ſit, 238
Dies appoſitus in contractu, ſuſpendit-ne con-

ſenſum, *ibid.*
Contractus ad demonſtrationem, an ſit validus, ſi error ſit in demonſtratione, *ibid.*
Contractus conſignativus, quis, & an licitus, 341. *& ſeq.*
An poſſit emi infrà determinatum ejus pretium, 288. 291
Vid. *alias Contractuum ſpecies*, v. g. *Emptio*, *Societas*, &c.
Convicium, quot modis poteſt in Deum conjici, 576. *& ſeq.* Vid. *Blaſphemia.*
Cooperatores, uſurarii, qui, & ad quid tenentur, 163. 331. 332
Creatura, quidquid habent vel agunt, à Deo eſſentialiter pendet, 91
An dominii ſint capaces comparatæ inter ſe, *ibid.*
Creaturæ ſunt ſymbola veritatis, potentiæ, & ſapientiæ Dei, 545. 546. 551
Creditores, quinam in debitorum ſolutione præferendi, 175. *& ſeq.*
An poſſint aliquid ultrà ſortem exigere ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, 145. 324. 326
Vid. *Debitum*, *remiſſio.*
Crimen, qui falſum vel etiam verum, ſed occultum crimen evulgat, tenetur-ne ad reſtitutionem, & quomodò, 100. *& ſeq.*
Culpa, quotuplex eſt culpa, 150
Quid eſt culpa Theologica, quid juridica, *ibid.*
Quid ſit culpa lata levis, & leviſſima, 150. 151
Ex quâ culpâ obligatur quis ad id reſtituendum, quo non eſt factus ditior, 151
Damnum ex culpâ veniali illatum, eſt-ne totum reparandum, etiam ſub mortali, 152

Damnum ſine ullâ prorsùs culpâ illatum eſt ne reparandum, *ibid.* & 168
Cùm præceſſit contractus aut quaſi contractus, ex quâ culpâ damnum eſt reſarciendum, 153
Cultus indebitus, quis, & quotuplex, 585
Vid. *Religio.*
Cuſtodes ſylvarum, vinearum, &c. ad quid tenentur, ſi damnum non impedierint, vel non manifeſtant damnificatores, 166

D.

Dæmones, utrùm, & quarè permittantur à Deo maleficia, & alia id genus operari, 592. 593
Damnum, quotuplici modo inferri poteſt, 139
Quænam ſunt cauſæ poſitivæ damni, quæ negativæ, 140
An qui ex charitate tantùm tenetur impedire damnum, reſtituere debeat, ſi non impedierit, *ibid.*
Quo ordine ſinguli damnificatores reſtituere tenentur, *ibid.* & *ſeq.*
Ex quâ culpâ illatum damnum reſarciendum eſt, ſive in contractibus, ſive extrà contractus, 151. 152. Vid. *Culpa.*
An qui ratum habet damnum ſuo nomine factum reſtituere teneatur, 157
Debitum, duplex hujus nominis acceptio, 4
Debitum ad æqualitatem reddendum eſt objectum juſtitiæ, 6. 7
Quæ debita prius ſolvenda, 175. & *ſeq.*
An poſſint occultò compenſari, 208
Debitor, quæ neceſſitas in eo requiritur ad differendam ſolutionem, 144
Quandonam cenſetur in gravi neceſſitate, *ibid.* & 145.

Quid, ſi creditor eſſet in pari neceſſitate, *ibid.*
Debitor tenetur-ne excidere è ſuo ſtatu ad ſatisfaciendum creditori, 144. 145
Debet ne reparare damnum, quod ex dilatione ſolutionis patitur creditor, 145 324. 326
Decima, in veteri lege cujus erant, 127. 128
Decimarum ſolutio eſt actus Religionis, 396
Defloratio virginis, ad quid obligat, 185. 186
Vid. *Virgo.*
Demonſtratio, quis error in demonſtratione contractum irritet, 238
Quomodò dignoſci poteſt, an demonſtratio taxatè vel demonſtrativè fiat, *ibid.*
Depoſitarius, ex quâ culpâ tenetur, 154. 155
An poſſit uti re depoſitâ, 38
Deſiderium ſpei & charitatis in quo differant, 441
Deſiderium obtinendæ rei, pro quâ oratur, eſſentiale eſt orationi, 402. 403
Deſiderium vitæ æternæ omnis orationis noſtræ finis, 404. 405
Sincerum proficiendi deſiderium proximè diſponit ad orandum, 409
Deſiderium bonorum cæleſtium excitatur propriæ infirmitatis ſenſu, 428
Spiritus eſt orationis, & continuum in nobis eſſe debet, 464
Deſideriorum noſtrorum finis Deus, 432 444
An poſſint deſiderari virtutes ac beatitudo ſine propriæ voluntatis nævo, 436. & ſeq.
Deſiderium cæleſtium ſuffocant ſollicitudines & curæ ſeculi, 464. 467
Deſideria noſtra aliquandò differuntur, ut in oratione inſtantiùs perſeveremus, 479
Quo fuerint ardentiora, eò ſumus capacio-

res ad accipiendum, 479
Magna magnæ deſideranda ſunt, 486
Diù deſiderata dulciùs obtinentur, 490
Temporalia poſſunt-ne deſiderari, 451. 477
Vid. *Temporale.*
Detentionis nomine quid intelligitur, 46. Vis illius quoad dominium & poſſeſſionem, *ib.*
Detentor injuſtus rei alienæ ad quid tenetur, *69. 139*
Debet declarare in confeſſione quandiu duraverit voluntas non reſtituendi, 144
Detractio, ad quid obliget, 200
An qui detrahentem audit, ad reſtitutionem teneatur, 201
Qui narravit crimen, quod credebat eſſe verum & publicum, tenetur-ne reſtituere, *ibid.*
Tenetur-ne qui publicum crimen narrat, ſi auditor de alio narrari exiſtimat, innocentis famam reſtituere, 202
An detractor famam reſtituere debeat apud eos, quibus ipſe crimen non revelavit, 203
Quid de heredibus detractoris, 202
Vid. *Fama.*
Devotio, unde ſic dicta, *396*
Definitio illius explicatur, *397*
Quomodò diſtinguatur vera devotio ab umbratili, *398*
Devotionis cauſa duplex, *ibid. & 399*
Qui genuini & proprii devotionis effectus, 400
Non omnes, qui devotionem profitentur, ſunt devoti, *397.* 400
An Clericos pudere debet audire devotos, 401
Deus, ſolus Dominus vitæ noſtræ, 55.

Abſolutiſſimum ejus in res creatas dominium, 91
Quo ſenſu juſtus dicitur & debitor, 93
An ſit juſtitia Dei ad creaturam, vel creaturæ ad Deum, 94. 95
Hâc conditione geniti ſumus, ut Deo juſta & debita obſequia præbeamus, 389
Deus eſt finis noſter ultimus, 444
Dei voluntas, quomodo in nobis adimplenda, 445. *& ſeq.*
Dei fruitio an debeat abſolutè deſiderari, 436. *& ſeq.*
Hoc præſertim vult Deus, ut cum ipſo regnemus, 438. 445
Deus maximè diſplicet peccatoribus, 434
Deus propter ſe eſt amandus, *ibid. & ſeq.*
Dignus, ſemper eligendus ad Beneficia, 20. *& ſeq.*
An etiam dignior, *ibid.*
Quis cenſetur dignior infelici hâc noſtrâ ætate, 28
Diffidentia, in oratione cavenda, 480
Diligentia, quænam requiratur in tractandis negotiis alienis, 151. *& ſeq.*
Diſpenſare poteſt-ne Eccleſia, 535. 560
Ad licitè & validè diſpenſandum eſt-ne neceſſaria cauſa, 534. 563
Diſpenſatio cadit-ne in legem naturalem, 535
Quibus competit facultas diſpenſandi, 537. 540. 561
In quibus votis & juramentis diſpenſare poteſt Epiſcopus, 537. 562
Vid. *Juramentum & votum.*
Delegatus ad diſpenſandum in votis poteſt-ne diſpenſare in juramentis, 562
Poteſt-ne diſpenſare cui munus commutandi delegatum eſt, 542

Quid obſervare debet Confeſſarius, cui committitur diſpenſandi vel commutandi officium, *ibid.*
Quis diſpenſare poteſt cum ſimoniacè electo aut inſtituto, 659
Diſpoſitio rerum ſuarum quando vetita, 35
Facta contra leges aut conſuetudines, aut ſine præſcriptis ſolemnitatibus, eſt-ne valida in foro conſcientiæ, 54. 347. 351. *& ſeq.*
Diſtributio juſta munerum & onerum Reipublicæ, ad quem pertinet, ejuſque regulæ, 12. *& ſeq.*
Quomodò peccatur in tali diſtributione, 16. *& ſeq.*
Diſtributivæ juſtitiæ definitio, 12
An ſit juſtitia propriè dicta, 14
Habet-ne ſemper adjunctam juſtitiam commutativam, 15
Dives, pauperi quandoque præfertur ex merâ charitate, 19
Divinatio, quid ſit, & quotuplex, 586. 587
Diviſio rerum, quo jure facta, 49. *& ſeq.*
An ſit juſta & conveniens, 51
Dolus, ſive error, duplex, 221
Quotuplex eſt dolus circà accidentia, *ibid.*
An contractus ſit validus, cùm dolus eſt circà ſubſtantiam rei, *ibid.*
Quid de dolo incidenti in contractum, 222
Dolus dans cauſam contractui, irritat-ne contractum, *ibid.*
Domeſtici, Vid. *Servi.*
Dominium, quomodò dividitur, 34
Quid ſit dominium juriſdictionis, *ibid.*
Quid dominium proprietatis, *ibid.*
Quænam acquiruntur ad dominium, 35
Dominium altum, & humile, quid, & ad quos pertineant, 37

Dominium humile, duplex, plenum, & non plenum, 38
Quotuplex dominium non plenum, *ibid.*
An in rebus quæ unico uſu conſumuntur, uſus poſſit diſtingui à dominio, 41
Dominium directum & plenum in hominem à nemine poteſt acquiri, 55
Acquiſitio dominii multiplex, 59. 64. *& ſeq.* 71. 74. 87. Vid. *Acquiſitio.*
An Deus & creatura, pater & filius, maritus & uxor, diſtincta habeant dominia, 91. 97. 103.
An infideles & peccatores ſint capaces dominii, 96
Quid de ſervis, 106. & Religioſis, 107
Domini, an teneantur reſarcire damnum per propria animalia illatum, 168
Bona, quæ verum habent dominum, ſuntne ſemper ei reſtituenda, *ibid.*
Quis intelligendus nomine veri domini, 169
Cui danda ſunt bona, quorum non inventus eſt dominus, *ibid.*
Donatio, quid ſit, & quotuplex, 345
Donationes præſcriptis à lege vel conſuetudine ſolemnitatibus deſtitutæ, valentne in foro interno, 351
Donatio inter vivos communiter eſt irrevocabilis, 346
In donationibus cauſâ mortis non teſtator propriè dat, ſed Reſpublica ejus nomine, 355
An reſtituere teneatur, qui à moriente partem ſupellectilis, vel quid ſimile dono accepit, *ibid.*
An etiam depoſitarius, cui à moriente causâ mortis donatum eſt depoſitum, *ibid.*
An donans ſub conditione poſſit reſilire ante

conditionis eventum, 233. & ſeq.
Donatio alicui facta, ut faveat in aliquo negotio, eſt-ne valida in hypotheſi quòd donatarius non faveat, 237
Quid ſi donans non fuiſſet daturus, ſi crediſſet non alliciendum donatarium, *ibid.*
Spes voto donatoris non reſpondens, irritat-ne donationem, 348
Dubitatio, an impediat bonam fidem, & præſcriptionem, 81
Dux, quomodò militibus dividere debet ſpolia urbis expugnatæ, ſi id Princeps jubeat, 16

E

Eccleſia, quo privilegio gaudet in præſcriptionibus, 84
Chriſtus Eccleſiæ tradidit omnem veritatem, 120
Eccleſiæ bona ſunt Deo dicata, 114
Eccleſia ſub Imperatoribus paganis nonniſi bona mobilia poſſidebat, ſaltem communiter, 123. 131. Vid. *Bona*, *Clericus*.
Eleëmoſynarius, an peccet diſtributione inæquali, & ad reſtitutionem teneatur, 14 *& ſeq.*
Emancipatio, quibus modis fit, 99. 100
Filius emancipatus poteſt-ne ſalarium à patre expetere, 102
Emphiteuſis, etymologia & origo, 42
Definitio illius, *ibid.*
Ad quid obligatur Emphyteuta, 43
Quomodo emphyteuſis diſtinguitur ab uſufructu & feudo, *ibid.* & 41
Emptio, quid ſit, quidve ad eam requiritur, 281. 282
Qui alterius nomine emit poteſt-ne aliquid

ex pretio retinere, 296
Rei emptæ pretium à quo tempore ſumendum eſt, 293
Quæ ſub haſtâ emuntur, poſſunt-ne minoris emi, quàm valeant, 291
An juſtè poſſunt emi chirographa certa, vel contractus conſignativi infrà determinatum eorum pretium, 288. 291
Emptor bonæ fidei poteſt-ne reddere furi rem emptam, ut ab eo pecuniam ſuam recipiat, 211
Quid ſi dominus compareat, poſtquam emptor bonæ fidei rem furtivam ſecundo emptori vendidit, 212
Quid, ſi ſecundus emptor non compareat, *ibid.*
An qui emit à fure reſtituere teneatur, 210
Quis emptorum præferendus, ſi res pluribus ſit vendita, 300
Epiſcopi, quomodo debent uti rebus Eccleſiæ, vel de iis diſponere, 115. *& ſeq.*
Quibus conferre debent Beneficia, 20. *& ſeq.*
Quam habeant diſpenſandi poteſtatem circa vota, juramenta, & ſimoniacos, 537. 539. 540. 562 660
Error, quotuplex diſtinguitur, 221
Error circa ſubſtantiam contractûs tollit omninò validitatem ejus, *ibid.*
Quid ſi error dans cauſam contractui, contigit vel à parte deceptâ; vel à tertiâ perſonâ, vel ab altero contrahente, ſed ſine ejus culpâ, 223
Error circa accidentia incidens, vel dans cauſam contractui, irritat-ne contractum, 221. 222
Error in demonſtratione contractui appoſitâ, ejuſque effectus, 238

Eutrapelia, quid ſit, & ejus objectum, 365. 368. *& ſeq.*
Excommunicatio, an, & qui ſimoniaci incurrant excommunicationem, 648. *& ſeq.*
An illa excommunicatio ſit reſervata ſummo Pontifici, *ibid.*

F

Fabrica pars bonorum Eccleſiæ aſſignata, 121. 122
Falſitatis nota, doctrinæ novitas, 120
Famâ, an liceat occidere propter defenſionem famæ vel honoris, 195. 196
Famæ violatio eſt vera injuſtitia ad reſtitutionem obligans, 200
An ſit reſtituenda cum propriæ vitæ periculo, *ibid.*
Quid de famâ defuncti, 202
Famæ reſtituendæ modus, *ibid.*
Quid, ſi famæ violatio penitus abierit in oblivionem, 203
Excuſat-ne compenſatio à reſtitutione famæ, *ibid.*
Famuli, nihil ex bonis domini poſſunt ſurripere abſque injuſtitiâ, 210
An teneantur reſtituere, ſi non manifeſtent dilapidatores rei familiaris, 164
Fera, duplicis generis, 59
An licitum eas occupare, 60. Vid. *Beſtia.*
Cujus ſit fera ab uno vulnerata, & ab altero apprehenſa, 63
Feudum, unde hoc nomen, 43
Definitio illius, *ibid.*
In quo differat ab emphyteuſi, *ibid.*
Fidei commiſſum, quid ſit, & in quo differat à legato, 347

De iis fidei commiſſis, quæ fiunt in fraudem legis, 349
Fidei commiſſa non præſcribuntur, niſi longiſſimo tempore, 86
Fidejuſſor, an poſſit pretium recipere pro obligatione, quâ ſe aſtringit ad ſolvendum nomina aliena, 326
Fides, bona ſit in poſſidente, ut præſcribat, 75. 79
Quid, ſi mala fides ſit ex errore aut ignorantia juris, 80
An ſufficiat quòd fuerit bona fides quando res cœpit poſſideri, *ibid.*
Bonæ fidei poſſeſſor tenetur-ne ad reſtitutionem propter rem alienam conſumptam, 152
Dubitatio impedit-ne bonam fidem, 81
Bona fides ſubſiſtit-ne cum ignorantiâ culpabili, 82
Quis cenſendus eſt bonæ fidei, 180
Fides divina eſt fundamentum & radix orationis, 453. 474. 489.
Fiducia noſtra in oratione, quanta eſſe debet, 474. 480. *& ſeq.*
Filius, non eſt perfectè alter à patre, 97
Patrem inter & filium non eſt juſtitia propriè dicta, *ibid.*
Quale eſt peccatum filii qui bona patris uſurpat, 98. 99
Quandònam conſideratur ut perſona diſtincta à patre, *ibid.*
Quomodò emancipatur, 99. 100
Emancipatus debet-ne patri operas, 102
Quotuplicis generis bona poteſt acquirere, 100 *& ſeq.*
Filius non emancipatus poteſt-ne expetere ſalarium, 102
Quâ ætate filius poteſt ſe obligare, 226. 227

Qualis quantitas requiritur, ut filius bona patris ſurripiens peccet mortaliter, 99
Quandonam filius bonorum adventitiorum uſum fructum habet, 102
An teneatur filius credere matri aſſerenti, etiam cum juramento, ipſum non eſſe legitimum, 189
An, & quæ vota filiorum patres irritare poſſint, 525. 526
Filiorum puberum vota perſonalia poſſuntne directè irritari à patre, vel ſaltem ſuſpendi, 527. 528
Vid. *Pater*, *Votum*.
Fortitudo, quomodò ſervit charitati, 6
Timorem & audaciam moderatur, 7
In quo cedat juſtitiæ, 9
Franciſcanis, interdicta bonorum mobilium poſſeſſio, 107
Dominium rerum, quibus utuntur; ad Papam pertinet, 41. 107
Fructus, quotuplicis generis, 148
Quinam reſtitui debeant, 149
Fur, ne quaquam dominium habet pecuniæ, furto acquiſito, 35
An ſit verus poſſeſſor rei furtivæ, 46
An furi aut vero domino ſit facienda reſtitutio, 168
Quæ à fure empta ſunt, cui reddi debent, 210. *& ſeq.* Vid. *Emptio*.
An licitum ſit, furem occidere ob defenſionem bonorum fortunæ, 197. *& ſeq.*
Furtum, quid ſit, ejuſque ſpecies, 104
Quale ſit peccatum, *ibid.*
Quænam quantitas requiritur ut furtum cenſeatur peccatum mortale 99. 205
Qui de eo, qui ab uno vel à pluribus leves ſummas furatur, quæ ſimul junctæ faciunt

ciunt quantitatem notabilem, 206. 207
Qui ſuratur ab eo, à quo novit alios jam modica ſuratos, ſit-ne reus peccati mortalis, 207
Neceſſitas extrema, vel etiam gravis, excuſat-ne à furto, 53. 207
Furantur artifices qui de bonis eorum, pro quibus operantur, retinent, 210
An excuſetur à furto, qui ſecretâ compenſatione utitur remque ſuam ſibi propriâ auctoritate vindicat, 208

G

G*Emitus Orationis*, 490
Genethliaci, quinam dicantur, 586
Geomantia, quid eſt, 587
Gratia, preces noſtras ſemper prævenit, 457. 487
Gratia ſanctificans, quale fundamentum juſtis ſperandi auxilia ad ſalutem neceſſaria, 481. 482
Gratitudo, in quo differt à juſtitiâ, 7

H

H*Abitus* virtuoſus, in quo differt ab aliis, 3
Denominat hominem ſimpliciter bonum, *ibid.*
Hereditas, quo pacto adeatur, 36. 48
Heres, unde ſic dictus, 346
Heres, univerſalis ob malam fidem defuncti non præſcribit rem poſſeſſam bonâ fide, 78
Quid ſit heredis inſtitutio, 346
Locum-ne habet in Galliâ heredis inſtitutio, *ibid.*
Heredes debent-ne exequi omnia teſtatoris

legata quamvis defectu ſolemnitatum irrita, 351. & ſeq.
Vid. *Legatum.*
Heredes detractoris, an teneantur reſtituere, 202
Heredes uſurarii tenentur-ne reſtituere, 330
An tenentur in ſolidum, *ibid.*
Homicida, quænam reſtituere debet, 190
An debeat ſatisfacere occiſi creditoribus, *ibid.*
Quid de iis, in quos occiſus beneficus eſſe ſolebat, 191
Homicida debet-ne alere occiſi uxorem & liberos, 190
An ſit obligatio reſtituendi ex occaſione in ſingulari certamine, 192
Qui ob defenſionem ſui occidit, tenetur-ne reſtituere, *ibid.*
Fit-ne irregularis, qui ſic occidit, *ibid.*
Quid occidendo invaſorem exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ, tenetur-ne reſtituere, 194
Homicidium eſt-ne licitum propter defenſionem famæ, 195. pudicitiæ, 197, & bonorum fortunæ, *ibid. & ſeq.*
Licet-ne occidere hoſtes in bello juſto, 198
Homo, nullius dominio directo & pleno ſubjectus, 55
Jure naturali dominium habet indirectum & utile in propriam vitam & membra, 56
Honor, in quo propriè conſiſtat, 195
Honoris exhibitio abſque perſonarum acceptione facienda, 18
Quo titulo alicui debetur honor, 19
An liceat occidere propter defenſionem honoris, 195
Quo in caſu reſtitui debeat propter ereptum honorem, 185, 200. Vid. *Detractio.*

Horæ Canonicæ, ad eas tenentur Beneficiarii, 241
An hæc obligatio ſit juris naturalis, aut Eccleſiaſtici, 242
Quo tempore cœpit illud præceptum, 243
Quâ parte fructuum privantur, qui Horas Canonicas non perſolvunt, *ibid.*
An eas recitare teneatur, qui tenue admodùm habet Beneficium, 245
An etiam qui nullos ex Beneficio ſuo fructus percipit, 246
An ſolus titulus Beneficii, nondum adeptâ poſſeſſione, ad recitandum obliget, *ibid.*
Quâ animi attentione id peragi debeat, 248. 403. *& ſeq.*
Item de præſentiâ in Choro, dum Horæ Canonicæ cantantur, 249
Horæ Canonicæ maximi faciendæ ſunt, præſertim à Sacerdote, 428
Solvuntur nomine Eccleſiæ, ideòque magnam habent efficaciam, 260. 426
An Clericus peccati mortalis reus Horas Canonicas cum fructu recitet, 266
Vid. *Abſentia*, *Cantus*, *Chorus*, *Clericus*.
Horoſcopum, licet-ne ex horoſcopo prædicere, 588.
Hydromantia, ſpecies eſt divinationis, 587
Hypotheca, quo privilegio gaudet, 33. 86
Hypothecarii, creditores præferendi chirographariis, 177
Inter creditores hypothecarios, quis ordo ſervandus, *ibid.*

I.

Ignorantia, juris, an impediat præſcriptionem, 82
Ignorantia invincibilis excuſat-ne à ſimoniâ, 554. & ab uſurâ, 330

Quænam ignorantia irritat vota, juramenta, vel alium quemlibet contractum, 221 558
Incrementum latens & patens, quomodò fit, & cui accreſcit, 87
Indigni, à Beneficiis arcendi, 24
Infamans, reſtitutioni obnoxius. 200
Vid. *Detractio.*
Infamans poteſt-ne occidi, 195
Infames ſunt uſurarii, 333. & ſimoniaci, 648
Infideles, an capaces dominii, 96. 97
Inhabilitas ad Beneficia pœna eſt Simoniacorum, 648
A quo tolli poſſit. Vid. *Simonia.*
Injuria, ex eâ oritur obligatio reſtituendi, 134
Vid. *Damnum.*
Injuſtitia, duplici modo ſumitur, 134
Quis dicendus eſt injuſtus, *ibid.*
An poſſit fieri injuſtitia volenti, *ibid.* & 135
Bona fides & ignorantia invincibilis excuſant ab injuſtitiâ, 75, 79. 134
Inventa, ad quos pertineant, 67
Qui rem inventam conſumpſit tenetur-ne reſtituere domino comparenti, 69
An poſſit inventor retinere ſibi aliquid pro præmio inventionis, 70
Quid cenſendum de præmio inventori promiſſo, ſi rem perditam deferat, *ibid.*
Cujus eſt theſaurus inventus, 71 & *ſeq.*
Vid. *Theſaurus.*
Irregularitas, an is, qui occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, fiat irregularis, 192
Irreligioſitas, qui ſit, & quotuplex, 596
Judex, quomodò peccat peccato acceptionis, 17. 18
Quæ peritia in eo requiratur, 154
Ex quâ culpâ damnum illatum reſarcire tenetur, 153. 168

Poteſt-ne aliquid accipere ad ferendam ſententiam, ſive juſtam, ſive injuſtam, 173

Juramentum, quid ſit, & quotuplex, 544. 545

Toties ſervari debet, quoties ſervari poteſt abſque peccato, & præjudicio alterius, 216

An accedens contractui invalido, illum confirmet, adeò ut obligationem pariat, *ibid.* & 217

Quid, ſi aliqua inveniretur turpitudo in eo, propter quod præſtatur juramentum, *ibid.*

An contractus validus firmetur juramento, *ibid.* & 218

Juramentum, quo confirmatur contractus, duas parit obligationes, 218

Quo in caſu illius obligatio tranſit ad heredes, *ibid.* & 567

Juramentum relaxari non poteſt in præjudicium tertii, 218. niſi ſit injuſtè extortum, 219

Juramenti relaxatio licitè peti poteſt, etiamſi quis juraſſet ſe non petiturum, 219

Juramentum promiſſorium, de quo ſolo obtineri poteſt diſpenſatio, eo modo obligat, quo promiſſio, in cujus confirmationem prolatum eſt, 220

Quot ſunt cauſæ, propter quas juramentum promiſſorium abſque perjurii periculo non impletur, 553 & ſeq.

Quænam irritum reddunt juramentum, 217. 553. & ſeq.

An juramentum licitum ſit Chriſtianis, 547. & ſeq.

Num melius ſit jurare, quàm non jurare, 551.

Conditiones requiſitæ, ut juramentum ſit licitum, 552

Quotuplici modo juratur contra veritatem, *ibid.*

Variæ juramentorum formulæ, 546
Quid cenſendum de juramentis, quibus parentes ſe obligant ad puniendos filios delinquentes, 556
Diſpenſatio aut commutatio juramenti cui competit? 560
Delegati ad diſpenſandum in votis poſſuntne etiam diſpenſare in juramentis, 562
Ipſe jurans poteſt-ne privatâ auctoritate juramentum commutare, *ibid.*
Obligatio juramenti remanet etiam poſt hujus commutationem, *ibid.*
An valet diſpenſatio, aut commutatio juramenti ſine legitimâ causâ, 563
An liceat juramentum petere ab eo, qui pejeraturus eſt, 569. an etiam ab idololatriâ, 570
Juramentum ſine judicio & neceſſitate prolatum, quale peccatum, 572
Quid de juramento ſine juſtitiâ, 574
Jus, quot modis ſumitur, 2. 3
Definitio juris ſtrictè ſumpti, 4. 5
Diviſio illius in jus in re, & jus ad rem, & utriuſque explicatio, 32. 33
Quænam ſunt ſpecies juris in re, 33
Quomodo jus in re in Beneficiis acquiritur, 33. 36.
Juris nomine lex nonnunquam appellata, 49
Jus hoc modo ſumptum duplex, naturale, & poſitivum, *ibid*
Jus gentium; quid, *ibid.* & 50
Hoc jure facta rerum diviſio, 51
Quodnam ſit ſubjectum juris, 90
Juſſio, cauſa damni illati, 140
Vid. *Mandatum*,
Juſtitia, quot modis ſumitur, 1. 2
Definitio illius explicatur, 3. 4
Ejus objectum materiale, 6. formale, 7

An, & in quo diſtincta ſit à ceteris virtutibus, 7
Quare dicitur verſari circà medium rei, 8
Præſtat-ne reliquis virtutibus moralibus, *ibid*, & 9
Juſtitia dividitur in legalem, commutativam, diſtributivam, & vindicativam, 10
Vindicativa revocatur ad diſtributivam, 14
Juſtitia legalis, quid ſit, ejuſque ab aliis diſcrimen, 10
Duplex eſt: imperans, & exequens, 11
Conſiſtere non poteſt ſine ceteris virtutibus, *ibid.*
Rara eſt admodùm, *ibid.*
An ſit juſtitia propriè dicta? 12
Cum eâ ſæpè concurrit juſtitia commutativa, *ibid.*
Juſtitia commutativa, quid ſit, *ibid.*
Juſtitia diſtributiva, quid, *ibid.*
An juſtitia ſtrictè ſumpta, 14
Cum ea ſæpè conjungitur juſtitia commutativa, 15
Juſtitia vindicativa, quid ſit, 13
Eam exercere privatis illicitum, 14
Juſtitiam commutativam non minùs quàm diſtributivam violat, qui in imponendis tributis, & aliis Reipublicæ oneribus proportionem geometricam non ſervat, 15
Juſtitiæ diſtributivæ opponitur acceptio perſonarum, 16
Quodnam eſt ſubjectum juſtitiæ, 89. & *ſeq.*
An poſſit eſſe juſtitia ejuſdem ad ſeipſum, *ibid.*
An irrationalia poſſint eſſe ſubjectum juſtitiæ, 90
An ſit juſtitia inter Deum & creaturam, 94
patrem & filium, 97. maritum & uxorem, 103

Quotuplici modo juſtitia violari poteſt, 139

L.

Lapicidinæ, & carbonariæ, cujus ſunt, 64
Legatum, quid ſit, 347
In quo differt à fideicommiſſo, ibid.
Valent-ne legata ſub conditione, conditione non impletâ, 234. 235
Legantis heredes poſſunt-ne ſibi vindicare legatum, ſi modus ipſi abjectus non ſervetur, 236
Dies incertus abjectus legato ſuſpendit-ne conſenſum, 238
Legatum ad demonſtrationem eſt-ne ſemper nullum, ſi ſit error in demonſtratione, ibid. & ſeq.
Quando dubitatur utrùm legatum ſit ad conditionem vel ad modum, quomodò judicandum eſt, 232
Valent-ne legata ad pias cauſas, cùm teſtamentum eſt nullum defectu ſolemnitatum, 351. & ſeq.
Sunt-ne irrita cetera legata, 353
Quid, ſi legans voluntatem ſuam legatario non declaraverit, ſed legatarius eam ex circonſtantiis ita intelligit, ut moraliter ſit certus rem eâ intentione ſibi fuiſſe legatam, ut uxori vel filio defuncti reſtituat, 347
An ejuſmodi legatum ſit in fraudem legis, vel ſaltem contra ejus mentem, 349
An Eccleſiâ nolente rem cum onere ſibi legatam acceptare, poſſint heredes illam retinere, 355
Lex, quid ſit & quotuplex, 215
Quas ſolemnitates præſcribit in contractibus,

eæ ſunt ad amuſſim obſervandæ, 216
Libellus, quæ ſpecies contractûs, 44
Libertas creaturæ in quo poſita, 41
Quæ libertas requiratur ad validitatem contractûs, 224. *& ſeq.*
Lucrum, an liceat aliquid accipere ſupra ſortem propter lucrum ceſſans, 148
Quotuplici modo lucrum ceſſare poteſt, *ibid.*
Quot conditiones requiruntur, ut mutuans obtendere poſſit lucrum ceſſans, 322
Homicida tenetur-ne reſtituere familiæ occiſi propter lucrum ceſſans, 190
Lucrum ex pecuniâ alienâ perceptum, eſt-ne reſtituendum, 148
Quid de lucro ex aliis rebus alienis proveniente, *ibid.*
An omne lucrum ex mutuo immediatè proveniens ſit uſurarium, 311. 319. Vid. *Uſura*,
Lucrum in ludo principaliter intendere, an ſit licitum, 375
Lucrum ex ludo perceptum poteſt-ne retineri, 384. *& ſeq.*
Ludus, quid ſit ludus genericè ſpectatus, 356. 357.
Quid ludus ſpecificè ſumptus, 356
Ludus ad lucrum inſtitutus duplici ex capite poteſt eſſe vitioſus, *ibid. &* 375
Omnis ludus eſt-ne Chriſtianis interdictus, 358
Quâ ratione licitus eſt & honeſtus, *ibid.*
Ludis Chriſtianorum præſidere debet virtus eutrapeliæ, *ibid. & ſeq.*
Licet-ne ſolam delectationem intendere in ludo, 559. 567. *& ſeq.*
Tria obſervanda ſunt, ut ludus inſtituatur ad normam virtutis, primùm an liceat, 360. deinde an deceat, 364. demùm an expe-

diat, 367
Quænam ludorum genera ſint illicita, *361. & ſeq. & 376*
Quomodò ludus licitus poteſt eſſe indecens, *365*
Quænam in ludis neceſſariis cavet eutrapelia, ut ad æternam ſalutem expediant, *368*
Quinam ludi cenſendi ſunt non expedire, *368, 369*
Quandònam delectatio, quæ in ludis percipitur, curſum noſtrum ad beatitudinem retardat, 370
Quale eſſe poteſt peccatum in ludo, 371
Quid de nonnullis divitibus, qui totos dies in ludis conſumunt, 373
Quotuplex eſt ludus, in quo pecunia exponitur, 374
Quotuplici modo pecunia in ludo exponi poteſt, *ibid.*
Licet-ne pecuniam in ludo exponere, *ibid.*
Quibus ex capitibus poteſt eſſe vitioſus ludus in quo pecunia exponitur, 374
Tenetur-ne luſor reſtituere lucrum ex ludo perceptum, vel ſolvendi ſponſionem implere, 384
Quomodò ludus poteſt eſſe injuſtus, 384. 385
Luxus, quantâ curâ cavendus Clericis, 115. *& ſeq.*

M

Magia, quid ſit, & quotuplex, 591. 592
Quibus indiciis colligitur magiam eſſe ſuperſtitioſam, & diabolicam, 592
Magiſtratus, duplex in eo ratio attendenda, 12
Tenetur-ne ad reſtitutionem, ſi officium ſuum

non impleat, 12, ſi oneribus, tributis, &c. alios premat, ut ſeipſum vel amicos levet, 15
An poſſit ſine injuſtitiâ ex multis dignis ad officia eligere quos voluerit, *ibid.*
Ad Magiſtratum regium ſuper Beneficii poſſeſſorio provocatur, 625
Ad ipſum recurrere debent qui injuſtè à poſſeſſione Beneficii ineunda repelluntur, 626
Maleficium, quid, & quotuplex, 592
Quibus modis poteſt diſſolvi, 595
Licet-ne à malefico petere diſſolutionem maleficii, *ibid.*
Poſſunt-ne morbi maleficiis curari, 596
Maleficia amatoria inducunt-ne abſolutam peccandi neceſſitatem, 592
Mandatarius, tenetur-ne ad damni reſtitutionem defectu mandantium, 141
Ex quâ culpâ obligari poſſit ad reſtitutionem, 155
Mandatum, quibus modis fieri poteſt, & ad quid obligat, 154. 155
Num mandans reſtituere teneatur non ſolùm damnum quod præcipit, ſed etiam quod inde ſecutum eſt, quamvis præter ejus intentionem, 156
Non cenſetur mandans ſatisfeciſſe, cum præceptâ reſtitutione nomine ſuo, mandatarius non implevit mandatum, *ibid.*
Quid ſi mandans revocaverit mandatum ante executionem, *ibid.*
Vid. *Damnum.*
Maritus, inter eum & uxorem, quâ tales ſunt, non poteſt eſſe juſtitia: ſecùs, ſi conſiderentur ut perſonæ diſtinctæ, 103
Maritus habet adminiſtrationem & uſumfructum dotis, non verò proprietatem, *ibid.*

Dominus eſt bonorum communitatis, 104. 105
Habet-ne adminiſtrationem bonorum paraphernalium, 104
Quid de marito dilapidante dotem, vel bona communitatis, 104. 105
Si maritus amens ſit, vel prodigus, nec curatorem habeat, ad quem pertinet adminiſtratio bonorum, 105
Marito abſente, vel inſcio, poteſt-ne uxor diſponere de bonis communibus, *ibid.*
Vid. *Conjuges.*
Martyres, fortitudo eorum præſtantior juſtitiâ ratione charitatis, quæ maximè elucet in martyrio, 5
Actio injuriarum in perſecutores ſuos Martyribus reſervata coràm tribunali Dei, 135
Matrimonii contractus eſt ſpecies quædam ſocietatis, 103
Dolus dans cauſam Matrimonio, illud-ne dirimit, 223
Matrimonium ex metu gravi & injuſto contractum eſt-ne validum, 225
Medici, ex quâ culpâ tenentur, 153
Meditatio, quid ſit, 412
An fidelibus omnibus ad ſalutem neceſſaria, 415. *& ſeq.*
An omnes illius capaces, 419
Quatuor in meditatione attendenda, 420
Quis finis meditationis eſſe debeat, quæ materia, 420. 421
Quis modus in meditatione ſervandus, 421
Quantum temporis dandum eſt meditationi, 425
In quo differt meditatio à lectione & ſtudio, 420. & à contemplatione, 413
Quænam in meditandi modo cavenda, 424

Meditatio incipientibus maximè propria eſt, 414. 415
Meritum, unde procedit in creaturis liberis, 91. 92
Mercatura, Vid. *Negotiatio.*
Merx, obſervanda quoad illius pretium, 285 *& ſeq.* Vid. *Pretium*, *Venditio.*
Metus, etiàm gravis, neque voluntarium, neque liberum perimit, 224
An jure poſitivo contractus per metum initi irritari poſſunt, *ibid.*
Quinam contractus ex metu gravi & injuſto ſunt irriti, 225
Qui metu injuſto ad contrahendum impulit, ad quid tenetur, *ibid.*
Metus gravis non excuſat pejerantem, 567
Metus injuſtus cadens in conſtantem virum, irritat votum, 496
Miſericordia, juſtitiæ præferenda, quare, 8
In Superiore maximè relucere debet, *ibid.*
Modus, in contractu, quomodò in eum influit, 236. 241.
Modo non impleto contractus eſt-ne validus, 236
Tenetur-ne ad reſtitutionem, qui modum non implet, 241
Quando cognoſci non poteſt utrùm contractus importet modum aut conditionem, quomodò judicandum, 232
Mohatra, quæ ſpecies contractûs, & an licitus, 284
Monaſteria, an ſint dominii capacia, 107
An bona ſua communia poſſint alienare, *ibid.*
An ſummus Pontifex poſſit unius Monaſterii bona ad aliud transferre, *ibid.*
An poſſit reſignantibus in favorem Monaſteriorum concedere penſiones fructus Bene-

cii excedentes, 667
Monaſterii reditus conſequenter annexi ſunt profeſſioni Religioſæ, 605. 607. 639. & ſeq.
Monaſterium pingue, poteſt-ne ſine ſimoniâ aliquid accipere pro ingreſſu Religionis, 605. 611. 639. & ſeq. Vid. *Simonia*, *Religio*.
Monopolium, quid ſit, & an licitum, 304
Monopolium privatâ auctoritate conſtitutum injuſtum eſt, & ad reſtitutionem obligat, ibid.
Quomodò fieri debet reſtitutio propter monopolium, 305
Quænam ad monopolium referuntur, ibid.
Licet-ne mercatori monopolii non participi vendere pretio per monopolium conſtituto, ibid.
Montes pietatis in Italiâ, quid ſint & an liciti, 325
Munera, quænam inducunt ſuſpicionem ſimoniæ, vel non, 603. 604
Poſſunt-ne, collato Beneficio ſolvi aut exigi tanquam debita, 604. 605
Poteſt-ne collator intuitu doni antidotalis conferre Beneficium, 605. 662
Munus à manu, munus ab obſequio, munus à linguâ, quid ſint, 629. 630
Eſt-ne ſimoniacum amico largiri munera, ut invigilet, quandò aliquod Beneficium vacaturum ſit, 669
Sunt-ne offerenda vel acceptandâ munera antidotalia, ſeu quæ dantur poſt acceptum Beneficium, 663
Muſici, ad quid in Eccleſiis adhibiti, quove titulo temporale accipere poſſunt, 616. 651.
Licet ne in Templis animum deflectere ad

Muſicas modulationes, 411
Mutilatio injuſta membrorum, ad quid obligat, 192
Mutus, quis in moralibus, 140
Quandonam ad reſtitutionem tenetur, 163. *& ſeq.*
Quid de eo, qui ex charitate ſolâ tenetur clamare, 166
Mutuum, quid ſit, 306
Rei mutuatæ damnum aut fructus, ad quem pertinet, 307
Mutuum eſt de rebus, quæ uſu ſuo conſumuntur, *ibid.*
An mutuans poſſit ſtatim rem mutuatam repetere, 308
Licet-ne, etiam tutoribus, lucrum ex mutuo percipere, 307. 312. *& ſeq.* Vid. *Uſura.*

N

NAtivitas, illius effectus in ſervis, 58
Quod ex agris noſtris, vel animantibus feminei ſexûs naſcitur, noſtrum ſit, 89
Natura intellectualis, ſola capax eſt dominii, 90
Navis, qui ad illius ædificationem pecuniam credidit, eſt-ne ceteris creditoribus præferendus, 177. 178
Nauta, caupones, &c. ex quâ culpâ tenentur, 155
Neceſſitas, quomodò in neceſſitate extremâ omnia dicuntur communia, 53
Quis cenſeri debet in extremâ neceſſitate, *ibid.*
Tranſactâ neceſſitate extremâ tenetur-ne qui bona aliena conſumpſit, reſtituere, *ibid.*
Quæ neceſſitas in debitore requiritur ad differendam reſtitutionem, 144

Quandonam debitor cenſetur in gravi neceſſitate, ibid.
Quid, ſi creditor eſſet in pari neceſſitate, 145
Neceſſitas gravis excuſat-ne à furto, 207
Necromantia, ſpecies divinationis, 587
Negotiatio, quid ſit, & an licita, 303
Notorietas, facti & juris in uſurâ, 329

O

Oblationes Fidelium ſunt res ſacræ, & Deo dicatæ, 129
Obligatio, quid ſit & quotuplex, 214
An aliquam pariat obligationem contractus jure poſitivo irritus, 215. præſertim ſi juramentum acceſſerit, 216. *& ſeq.* Vid. *Contractus, juramentum.*
Quorum votorum obligatio tranſit ad heredes, 52. Vid. *Votum.*
An filiifamilias, pupilli, & minores, tùm naturaliter, tùm civiliter obligari poſſint, 226. *& ſeq.*
Obligatio reſtituendi unde oritur, 138. *& ſeq.*
Vid. *Reſtitutio.*
Obſervantia vana, quid & quotuplex eſt, 187. 189. *& ſeq.*
Quàm grave peccatum, 594. 595
Occidere, an liceat occidere propter defenſionem famæ, 195. pudicitiæ, 197. & bonorum fortunæ, ibid.
Vid. *Homicidium.*
Officia Reipublicæ nemini ſtricto jure debita, 14
Eorum diſtributio, ad quem pertinet, 18
An Officia ſecularia licitè vendi poſſint, 19
Conditiones ad hoc requiſitæ, ibid.

Quibus dotibus ornati eſſe debeant, qui ad Officia publica eliguntur, 30. 31
An poſſint munera accipere, 31
Officium Eccleſiaſticum. Vid. *Horæ Canonicæ.*
Beneficium eſt propter Officium, 241
Omiſſio, actionis ſacræ, duplex, 626
Onera, Reipublicæ juſtâ proportione imponenda, 12. 15
Oratio, illius definitio, 401. 402
Duo ad Orationem neceſſariò requiſita, ſcilicet mentis attentio, & pia voluntatis affectio, 403
Quænam attentio in Oratione requiritur, *ibid. & ſeq.*
Eccleſia poteſt-ne præcipere attentionem in Oratione, 405
Qui non eſt attentus, conſequitur-ne Orationis ſuæ fructum, 406
Quotuplex eſt Orationis effectus in homine juſto, *ibid.*
Eſt-ne dimittenda Oratio, cùm difficile ſervatur attentio, 407
Qualis præparatio ante Orationem requiritur, *ibid. & ſeq.*
Orationis alæ bona opera, 408
Oratio duplex, mentalis & vocalis, 410
Cur Orationi mentali adjunguntur voces, *ib.*
Quomodò oratur in ſpiritu & veritate, 411
Oratio mentalis duplex, meditatio, & contemplatio, 412
Oratio mentalis meditatione inchoatur, & contemplatione perficitur, 413
Oratio eſt efficax remedium contra peccata ignorantiæ, 417. 418
Oratio vocalis non poteſt eſſe ſine aliquâ mentali, 420
Quomodò vitari poſſunt mentis evagationes

in Oratione, 421. 423
Quis ſit Orationum noſtrarum finis & ſcopus, 424. 425
Oratio vocalis quotuplex, quæve præſtantior, ac præferenda, *ibid.*
Unde æſtimatur Orationis excellentia, *ibid.* & 426.
Quis cenſendus eſt idoneus ad fundendam Orationem publicam, 426. & *ſeq.*
Oratio nobiliſſimum eſt fidei, charitatis, & religionis exercitium, 426
De fide eſt, orationem eſſe actum bonum & honeſtum, 429
Quale ſit diſcrimen inter Orationem, quæ ad hominem dirigitur, & eam, quæ coram Deo funditur, 430
Orationis duplex utilitas, *ibid.* & 431
Quomodò orandum, ut fiat Dei voluntas, 438. & *ſeq.*
Quibus ſignis innoteſcit Orationem noſtram ad aures Dei perveniſſe, 436
Catholica doctrina eſt, quædam eſſe determinatè à Deo petenda in Oratione, *ibid.* & *ſeq.*
Quænam abſolutè & determinatè peti debent in Oratione, 444
Orationis Dominicæ petitiones explicantur, *ibid.* & *ſeq.*
Orationis illius dignitas & efficacia, 446
Omnis Fidelium Orationem Dominicam tanquam ad lydium lapidem probanda eſt, *ib.*
Quinam ſint idonei ad Orationem Dominicam fundendam, *ibid.*
Orandum pro omnibus, nequidem inimicis exceptis, 447
An fructus aliquis Orationis noſtræ nobis excidat, dùm illam ad alios extendimus, *ibid.*

Unde reperitur Orationis efficacia, *ibid.*
Poſſunt-ne in Oratione peti bona temporalia, 448. *& ſeq.*
Oratio eſt actus Religionis, iſque poſt devotionem præcipuus & præſtantiſſimus, 453. *& ſeq.*
Ex Orationibus Eccleſiæ probatur abſoluta gratiæ neceſſitas, 455
An Oratio extinguat gratum animi ſenſum erga Beneficos, 456
Oratio nullatenùs etiam occupatiſſimis, negligenda, *ibid.*
Donum eſt Dei ſupernaturale, 457
Quomodò Oratio confert ad vitam æternam, 458
An Oratio aliquando præcedat fidem, *ibid.*
An detur omnibus orandi gratia, *ibid. & ſeq.*
Orandi ſpiritus & affectus in juſtis continuus eſſe debet, 460. 464
Pro majori vel minori charitate ardentius vel remiſſius eſt Orationis deſiderium, 461
Oratio propriè dicta eſt aliquoties neceſſitate medii neceſſaria ad ſalutem, 462
Quando, & in quibus circunſtantiis Oratio eſt neceſſaria, *ibid.*
Duo in Oratione diſtinguenda 463
De continuitate illius, atque frequentiâ, 464. *& ſeq.*
Peccatorum venia, & virtutum dona non conceduntur niſi orantibus, 466
Ad orationem recurrendum, ut acceptis donis benè utamur, 467
De neceſſitate crebræ Orationis ad perſeverandum, 470. *& ſeq.*
Utrùm Oratio habeat infallibilem effectum, 472
Oratio, quatenùs eſt actus ſupernaturalis,

meritoria eſt de condigno in juſtis, in peccatoribus de congruo, in utriſque verò ſatisfactoria, 473
Quænam ſunt conditiones neceſſariæ, ut Oratio infallibilem habeat effectum, 474
Quot requiritur, ut Oratio piè fiat, *ibid. & ſeq.*
Eſt-ne pia Oratio, in quâ petitur rès ad ſalutem indifferens, 476
Cur Oratio, quæ fit pro temporalibus adipiſcendis, ſæpiùs careat effectu, 477. *& ſeq.*
Duo imprimis vitanda in Oratione, diffidentia & præſumptio, 480
Unde peccator fiduciam impetrandi ſumere poteſt, 482. 483
An ex juſtitiâ orantis repeti poſſit impetrandi fiducia, 481. 482
Utrùm ad infallibiliter impetrandum neceſſe ſit ut quis pro ſeipſo oret, 485
Sanctorum Orationes nobis non proſunt, ſicut noſtræ, *ibid.*
Unde ſit, ut Orationes noſtræ pro aliis ſæpiùs careant effectu, *ibid.*
An ſint inutiles ejuſmodi Orationes, 485
An infallibiliter impetrent, ſi alii non ponant obicem, *ibid.*
Utrùm Oratio ſine perſeverantiâ ſit ſemper inefficax, 487
Duplex Orationis effectus, *ibid.*
Quare Deus differt precantium, vota, 488. *& ſeq.*
Quandiù perſeverare debet Oratio, ut infallibiliter impetret, 490 *& ſeq.*

P

Anis, quid intelligitur nomine panis quotidiani, 445. 448
Papa, quomodò juſtè ita componit cum injuſtis poſſeſſoribus, ut partem bonorum incertorum ipſis cedat, reliquam ſuæ Cameræ applicet, 170
Papa dominus eſt rerum, quibus Franciſcani utuntur, 41. 107
Adminiſtrator eſt omnium bonorum Eccleſiaſticorum, 107. 667
Solus Papa ordinariè penſiones ſuper Beneficiis imponere poteſt, 619
Papæ poteſtas in diſpenſando à votis, 535. 537. *& ſeq.* à juramentis, 561. Vid. *Juramentum*, *Votum*.
Partus, ut ſequitur ventrem, 58. 59
Paſſiones, an, & quo pacto ad juſtitiam pertineat eas refrenare, 6
Paſtio, quid obſervandum circa illam, 64. 65
Paſtores animarum, proprium eorum officium, 268. *& ſeq.*
An ſemper malitia plebis Paſtorem excuſet, 271
Quanta in Paſtoribus requiratur animi celſitudo, 272. *& ſeq.*
Quam pugnam ſuſtinere, & quibus armis ſe tueri debeat Paſtor, 273
Ut ſe gerere debet erga peccatores, 274. 275
Varia Paſtorum nomina, 276
Dicendi vis & libertas, conſtantia, & vigilantia Paſtoribus neceſſariæ, *ibid.*
Charitas eorum erga infirmos, ſollicitudo ſingularis erga juſtos, 276. 277
Paſtores jure naturali & divino tenentur ad

ſedulam reſidentiam, 277
Paſtoribus maximè ſubſerviunt prædicatio & doctrina, 279
Iis perfunctoriè incumbere non debent, 280
Paſtores ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ, 277
Pater, poteſtas ejus in filium, 57, 58. 224
Inter patrem & filium, quatenus tales ſunt, non eſt juſtitia propriè dicta, 97
Quandonam pater conſideratur, non ut pater, ſed ut perſona diſtincta, 98
Quam poteſtatem habeat pater circa bona adventitia & profectitia filii, 101. 102
An, & quæ vota filii, poſſit irritare pater, 526. *& ſeq.* Vid. *Votum.*
Patronatûs jus, an vendi poſſit abſque ſimoniâ, 606. 638
Poteſt-ne vendi majori pretio ager, cui adhæret jus Patronatûs, 606. 668
An venditio juris Patronatûs inducat pœnas contra ſimoniacos latas, 669
Patroni debent-ne, ad Beneficia digniores nominare, 22. *& ſeq.* Vid. *Beneficia*, *dignus.*
Patrono debitum remittere, vel ipſi ex pacto mutuum dare ſimoniacum eſt, 629
Vid. *Simonia.*
Pauperes, quid ipſis debeatur titulo juſtitiæ de bonis Eccleſiaſticis, 114. *& ſeq.* 127. 128
Quæ quis accepit pauperi familiæ diſtribuenda, ipſi & non alteri diſtribuere tenetur, 15. 16
Pauperibus aliquando dives præfertur ex merâ charitate, 19
Cauſæ pauperum à Judice differri non poſſunt ſine vitio acceptionis perſonarum, 18
Quid ſentiendum de pauperibus, qui ligna

cædunt in ſylvis privatorum, 75
Qui pauperem ſe fingens eleemoſynas emendicat, ad reſtituendum tenetur, 236
Pauperum miſeriâ, moveri non debet Judex ad injuſtitiam, 17
Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur, 116
Pauperibus ſuperflua ſunt eroganda, 116. 117
Unde votum ſolemne paupertatis vim illam habet, ut vovens reddatur incapax omnis dominii & juris temporalis, cenſeaturque civiliter mortuus, 111
Vid. *Religioſus*, *Votum.*
Peccatores obſtinati, terrore percellendi, 272. *& ſeq.*
Qui ad meliorem frugem ſe recipiunt, magnâ cum charitate tractandi, 276
An peccatores ſint dominii capaces, 96. 97
Undenam peccator orans, fiduciam impetrandi ſumere poteſt, 482. 483
Pro peccatorum etiam impœnitentium converſione utiliter orantur, 486
Peculium habere poſſunt ſervi, 106
Peculium filiisfamilias proprium quotuplex eſt, 100. 101
Si pater filium lædat in peculio injuſtus eſt, 99
Peculium Religioſis interdictum, 108
Penſiones, quid ſentiendum de penſionibus, quæ conceduntur à parentibus Moniali, quando Monaſterium non habet ſufficientes reditus, 111
An Monialis eas apud ſe retinere poteſt, *ibid.*
Huic Moniali non competit in eas penſiones plus juris directi, quàm alteri è Monaſterio, *ibid.*
Regulæ de penſionibus Eccleſiaſticis, 128. 619. *& ſeq.*

Perjurium, quam grande ſit peccatum, 563
An perjurium in materiâ levi ſit mortale, 564. *& ſeq.*
Gravis metus excuſat-ne à perjurio, 567
Vitatur-ne perjurium per æquivocationes & reſtrictionem mentalem, 568
Quibus de cauſis juramentum non impletur abſque perjurio, 553
Licet-ne ab eo juramentum petere, qui pejeraturus eſt, 569
Pejerandi periculum vix deeſſe poteſt in jurandi conſuetudine, 572
Inadvertentia excuſat-ne à perjurio, 573
Permutationes, quid in eis cavendum, 23. 636 *& ſeq.*
Perſeverantia, crebræ orationis eſt effectus, 466. 470
Duo complectitur perſeverentia, 470. 471
Diſcrimen inter perſeverantiam patriæ, & perſeverantiam viæ, *ibid.*
Perſeverantia in oratione eſt-ne neceſſaria ad infallibiliter impetrandum, 487. 488
Quare Deus differt precantium vota adeo ut ſoli perſeverantes infallibiliter impetrent, 488. *& ſeq*
Philtra, inducunt-ne abſolutam peccandi neceſſitatem, 592
Pietas, in quo præſtantior juſtitiâ, 8
Pietas parentibus à filiis debita, 98
Pietatem violat filius, qui vel bona patris uſurpat, 99. vel ejus famam lædit, 94
Pietas in Deum, Vid. *Religio.*
Pœna irrogatio, ad quem pertinet, 13
Debita pœna intelligitur pœna juſtè promerita, 14
Reus non tenetur ſubire pœnam ante condemnationem Judicis, 146
Poteſt-ne

Poteſt-ne privatus aliquid à damnificatore exigere in pœnam ſceleris, *ibid.*
Poſſeſſio, unde ſic dicta, 46
Quotuplici modo ſumitur, *ibid.*
Poſſeſſio facti quid ſit, ejuſque conditiones, *ibid.*
Poſſeſſio juris in quo poſita, 47
Quid eſt poſſeſſio civilis, *ibid.*
Quid naturalis, 48
Poſſeſſio civiliſſima, quæ, *ibid.*
Definitio poſſeſſionis coloratæ, 47
Poſſeſſio triennalis colorata ſufficit-ne ad præſcribendum Beneficium, 85. 659
Quanto tempore cetera poſſideri debeant, ut præſcribantur, 75. & *ſeq.* Vid. *Præſcriptio.*
Qui fructus, quæve privilegia poſſeſſionis, 48
Quomodo acquiritur vel deperditur poſſeſſio, 49
Juſto poſſeſſori reſtituendum eſt, 169
Quid cenſendum de injuſtis poſſeſſoribus, qui partem bonorum incertorum obtinent à ſummo Pontifice, 170
Poteſtas, duplex in nobis reſpectu eorum, ad quæ dicimur jus habere, 4. 5
Poteſtas, quæ ſecundùm legem non competit alicui, jus non eſt, ſed vis & injuria, 5
Poteſtatem ſuam excedit-ne pater matrimonium filio ingratum ipſi proponendo, 224
Vid. *Pater.*
Prædicatio verbi divini quàm neceſſaria Rectoribus animarum, 279
Quid in prædicatione attendendum, quid cavendum, 281
Præparatio, ad orationem neceſſaria, duplex, proxima, & remota, 407. & *ſeq.*
In quo utraque conſiſtat, 408. 409
Præſcriptio, & uſucapio an differant inter ſe, 74

Quid ſit præſcriptio, *ibid.*
An per eam rei alienæ dominium acquiratur, etiam in foro conſcientiæ, *ibid.*
Conditiones requiſitæ ad legitimam præſcriptionem,
Quænam res præſcribi non poſſunt, 75. 78 659
Adversùs Superiorem non præſcribitur, *ibid.*
Prælati viſitatio præſcribi non poteſt, *ibid.*
De titulo & poſſeſſione ad præſcriptionem requiſitis, 77
Præſcriptio duplex; alia longi temporis, alia longiſſimi, 78
Ad præſcriptionem longiſſimi temporis requiritur-ne titulus, *ibid.*
Nulla valet præſcriptio abſque bonâ fide, 79
Quid, ſi mala fides ſit ex errore aut ignorantia juris, 80. 82
Dubitatio impedit-ne præſcriptionem, 81
Quandonam præſcriptio dicitur dormire, vel interrumpi, 84. 85
Præſcriptio interrupta de novo inchoari debet, non item dormiens, 86
Quanto tempore præſcribitur, 82. 83. 85
Interrumpitur-ne præſcriptio, cùm quis injuſtè re ſuâ privatur; 81
Præſcriptio contra privatum inchoata, quomodo continuatur, ſi res incipiat eſſe Eccleſiæ, 85
An detur remedium adversùs præſcriptionem, 86
Præſentantes ad Beneficia non excuſantur, ſi omiſſo digniores minus dignum eligant, 23. 24. Vid. *Beneficium*, *dignus.*
Præſentatio ſimoniaca irrita eſt, 659
Vid. *Simonia.*
Præſentiam Choro debent Canonici, etiam In-

bilati, ſi ſint vegeto corpore, 250. 252
Præſentes eos tenere, qui in anniverſariis momento adfuerint, vel tranſeunter ſtallum tetigerint abuſus eſt, 255
Vid. *Abſentes Canonici.*
Præſumptio, quantopere cavenda in oratione, 480
Principum munus in diſtribuendis Reipublicæ officiis, 18. 30
Dominium etiam altum in bona ſubditorum, 37
An poſſint ſine ullâ neceſſitate uti privatorum bonis, 37. 38
An habeant dominium plenum & directum in homines, 55
Quomodo jus gladii & necis ipſis competat, 55. 56
Pretium rerum venalium, quomodo æſtimandum, 285
Unde augetur, aut minuitur, *ibid.*
Ad emptionem aut venditionem requiriturne ut pretium ſit ſolutum, 281
Mercator indigens aut infortunatus poteſtne augere pretium ſuarum mercium, 285. 286
Quodnam ſit juſtum vel injuſtum rei venalis pretium, 286
Pretium duplex, 287
Quid ſit pretium legitimum ſeu legale, *ibid.*
Poteſt-ne licitè res vendi ſupra pretium legitimum, quando mercis valor ſecundùm communem æſtimationem excedit alias merces, 292
Quid eſt pretium naturale, ſeu vulgare, 287
Quomodo æſtimanda latitudo juſti pretii vulgaris, 288
Qui minoris emit, poteſt-ne abſque injuſti-

tiâ pluris vendere, *ibid.*
Vid. *Venditio.*
Profectitia bona quænam dicuntur, 101
Quodnam jus circa ea competat filiis familias, 102
Promiſſio, quid ſit, in quo differat à propoſito, 344
Promiſſio non obligat priuſquam acceptetur, 445
Diſcrimen inter promiſſionem homini factam & votum, quod eſt promiſſio Deo facta, *ibid.*
Promiſſio tria includit, 492
Promiſſio ex errore facta, quandonam irrita, 493
Proviſio ſimoniaca eſt irrita, 652
Vid. *Simonia.*
Propinqui, non augendi, neque ditandi de rebus Eccleſiæ, 115. & *ſeq.*
Poſſunt-ne ſuccedere Beneficiariis, 117. 127
Aliquid accipere poſſunt à Beneficiariis ut pauperes, 125
Proportio, Arithmetica & Geometrica, in quo differunt, 13
Juſtitia commutativa ſequitur proportionem Arithmeticam, diſtributiva verò Geometricam, 12. 13
Propoſitum, in quo differt à promiſſione, 344
Parit-ne novam obligationem, *ibid.* & 493
Pubertas, quâ ætate contingit, ejuſque effectus, 22. & *ſeq.*
Pudicitia, an licitum occidere illius defendendæ causâ, 197
Pupilli & minores, in quo differunt, 227
An poſſint contrahere, 228. 259

Q

Quietiſtarum error exploditur, 436. & *ſeq.*

R

Rapina, quid ſit, & quale peccatum, 204. 205.
Rapinæ ſpecies variæ, 204
Receptans, quis intelligendus nomine receptantis & recurſum præſtantis, 162
Rectoris officium, in quo poſitum, 298. & *ſeq.* Vid. *Paſtores* animarum.
Regreſſus, ſpecies ſimoniæ confidentialis, 636
Regulares, an capaces dominii, 107. & *ſeq.*
Regularem ſimplicem inter & Beneficiarium Regularem quale diſcrimen, 113
Vid. *Religioſus.*
Religio, quomodo definitur, 590
Unde ſic dicta, 389
Quotuplex eſt Religionis acceptio, *ibid.*
In quo diſtinguitur à ceteris virtutibus moralibus, 390
Quare iis præferenda, 8. 392. & *ſeq.*
An ſit virtus Theologica, 391
Quodnam illius objectum, 390. & *ſeq.*
Quo ſenſu dicitur omnis virtus, & ipſamet ſanctitas, 392. 393
Proprius ejus actus, voluntas exhibendi cultum divinæ Majeſtati, 393
In quo deficit à perfectâ juſtitiæ ratione, 394
Religionis actus duplicis generis, 395
Quinam ſint eliciti, quinam imperati, 396
Religioſus ſolemniter profeſſus in particulari ſit-ne incapax dominii, 108
Poteſt-ne agere ſuper jure alimentorum, vel

jure manendi in tali Monaſterio, 109
In quibus peccat contra paupertatis votum, *ibid.*
An Religioſus Beneficiarius poſſit agere nomine proprio in iis, quæ Beneficium ſpectant, *ibid. & 113*
Cui acquirit Religioſus habens Beneficium extrà Monaſterium, 113
Qui ingreditur Religionem excuſatur-ne à reſtitutione, 184
Prohibentur gravati rationibus reddendis ingredi Religionem, *ibid.*
Avocans alium à Religione, an teneatur reſtituere ipſi Religioni, 185. *& ſeq.*
Ingreſſus Religionis ei, qui voto ingrediendi Religionem aſtrictus, virginem corrupit ſub ſpe matrimonii, fit illicitus, tenetur-que eam potiùs ducere, quàm voto ſuo ſatisfacere, 187
Religioſi poſſunt-ne ſe voto conſtringere, 534. Vid. *Votum.*
Quâ plectuntur pœnâ, qui ſimoniam circâ ingreſſum Religionis committunt, 655 Vid. *Simonia.*
Quid ſentiendum de conſuetudinibus contrariis Religionis rigori, 256. 257
Remiſſio, creditoris à reſtitutione excuſat, ſi ſit legitima, *ibid.*
Quot conditiones requiruntur, ut remiſſio cenſeatur legitima, 181
Quot ſunt caſus, in quibus jus prohibet fieri remiſſionem, 182
Rerum diviſio quo jure facta, 50. *& ſeq.*
An res inventa tranſeat in dominium inventoris, 67. *& ſeq.*
Reſidentia Beneficiariis & Paſtoribus indicta, 258. 277

Quinam Beneficiarii ab eâ jure eximantur, 259
Reſpublica, triplex in eâ ordo, 10
Non habet plenum & directum dominium in vitam hominum, 55
Quomodo ipſius onera & officia diſtribuenda, 18
Reſtitutio, eſt actus juſtitiæ commutativæ reddentis cuique debitum ſuum ad æqualitatem, 136
In quo differat à ſolutione & ſatisfactione, *ibid.*
Neceſſaria eſt jure naturali, divino, & humano, 137. 138
Unde naſcitur obligatio reſtituendi, 138
Nulla facienda eſt reſtitutio, ubi nulla injuſtitia, 139. 140
Totuplex eſt reſtitutionis radix, quotuplex eſt modus juſtitiam violandi, 139
Qui ex charitate tantùm tenetur, impedire damnum proximi, debet-ne reſtituere, ſi non impediat, 140
Quo ordine damnificatores reſtituere tenentur, *ibid.*
Præceptum reſtituendi, eſt-ne affirmativum, aut negativum, 143
Ad integritatem Confeſſionis explicandum eſt quandiu duraverit voluntas non reſtituendi, 144
Non minus malum eſt non reſtituere, quàm furari, *ibid.*
Quæ neceſſitas requiritur ad differendam reſtitutionem, *ibid. & ſeq.*
Tantundem reſtituendum eſt, quantum eſt ablatum, 145. 146
Tandiu perſeverat injuſtitia, quandiu non fit reſtituendo, 146

An qui non poteſt totum, teneatur quam poteſt debiti partem reſtituere, 147
An bona ſuperioris ordinis, qualia ſunt vita, fama, &c. reſtitui debeant, per bona inferioris ordinis, v. g. per pecuniam, *ibid.*
Sufficit-ne ut reſtituatur res ablata, vel ejus pretium, an etiam lucrum ceſſans, aut damnum emergens reſtituendum eſt, 148
Quinam fructus rei ablatæ reſtituendi ſunt, *ibid. & ſeq.*
Quid reſtituere debet qui rem alienam bonâ fide conſumpſit, 149, 152
An teneatur reſtituere tutor, qui bona fide pupilli ſui pecunias dedit ad uſuram, *ibid.* & 150
Ex quâ culpâ reſtituendum eſt, 151. *& ſeq.*
Damnum per peccatum veniale illatum eſtne totum reſtituendum, 152
An poſſit aliquis ex culpâ veniali teneri ſub mortali reſtituere, *ibid.*
An qui ſine ullâ prorſus culpâ damnum intulit reſtituere debeat, ſaltem poſt ſententiam Judicis, 152. 153
Tenetur-ne mandans reſtituere non ſolùm damnum quod præcepit, ſed etiam quod inde ſecutum eſt, præter ejus intentionem, 156
An ſatisfecit mandans, qui præcepit reſtitutionem, etſi eam mandatarius non fecerit, *ibid.*
Qui mandatum revocavit ante executionem, tenetur-ne reſtituere, 157. 158
Qui ratum habet damnum ſuo nomine factum, tenetur-ne reſtituere, licèt non mandavit, *ibid.*
Dominus, qui dicit famulo ſe appetere ultionem, aut aliquid ſimile, unde famulus

præceptum conjiciat, pro injuriâ illatâ reſtituere debet, *ibid.*
Malè conſulens tenetur-ne reſtituere, 157. *& ſeq.*
Qui minus malum conſulit ad majus vitandum, obligatur-ne ad reſtitutionem, 158
Eſt-ne obligatio reſtituendi revocato conſilio, ſi nihilominus ſequatur effectus, *ibid. &* 159
Quid ſi dubium ſit, an conſilium influxerit; vel id probari non poſſit, 159
Quandonam conſentiens reſtituere debet, 160. *& ſeq.*
Si Petrus comitem aſciverit Paulum ad occidendum Joannem, tenetur-ne ad reſtitutionem, ſi Paulus ipſe occidatur, 162
Qui remotè tantum cooperatur ad damnum, ſicut famulus uſurarii numerans pecunias uſurarias, tenetur-ne ad reſtitutionem, 163
Qui clamare volentem contra fures impedit, tenetur-ne ad reſtitutionem ſi damnum ſequatur, *ibid.*
Tenetur-ne ſervus reſtituere, qui videt rem familiarem domini ſui dilapidari, & tacet, 164
An Confeſſarius, qui pœnitentem reſtitutioni obnoxium ad reſtituendum non obligat, reſtituere ipſe teneatur, 165
Teneatur-ne reſtituere cuſtodes ſylvarum, vinearum, &c. qui non impediunt, vel non manifeſtant damnificatores, 166
Qui ex charitate ſola tenetur clamare, obligatur-ne ad reſtitutionem, ſi promiſerit ſe non clamaturum, 167
Teſtis, qui non aperit veritatem, tenetur-ne reſtituere damnum ex ejus ſilen-
Hh v

tio ſecutum, *ibid.*
Dominus obligatur-ne ad reſtitutionem damni per propria animalia illati, *60. 65. 168*
Quandonam & ſub quâ ratione Magiſtratus vel quivis Superior ad reſtituendum tenetur, *12. 15. 16. & ſeq.*
Qui rem alteri jam venditam vel debitam emit, vel dono accipit, tenetur-ne eam priori emptori vel creditori reſtituere, *33. 300. 301*
An qui habet uſumfructum gregis alicujus, teneatur totidem capita reſtituere in locum mortuorum, *39. 338*
An teneatur reſtituere, qui in extrema neceſſitate rebus alienis uſus eſt, *53*
Eſt-ne reſtitutioni obnoxius, qui bona furtiva metu mortis transfert, *54*
Tenentur-ne reſtituere, qui fideicommiſſum, vel donationes lege prohibitas acceptant, *54. 347. & ſeq.*
Qui in columbario ponit illecebras, ut aliorum columbas retineat, tenetur-ne ad reſtitutionem, *60*
An pauperes, qui ligna cædunt in ſylvis privatorum, peccent, & ad reſtitutionem teneantur, *65*
An & cui reſtitui debeant res inventæ, *67 & ſeq.* Vid. *Inventa.*
Qui legitimè præſcripſit, tenetur-ne reſtituere priori domino repetenti rem præſcriptam, *74*
Reſtitutio in integrum, quid ſit & quibus concedatur, *86*
An poſſit aliquis teneri ex juſtitiâ honorem Dei ablatum reſtituere, *94*
Quandonam pater & filius, maritus & uxor ad invicem conſiderari teneantur ad reſtitutionem, *97. 103*

Vide *Pater*, *Maritus*, &c.
Quæ ſervo reſtituuntur pro injuriâ ipſi illatâ, ſunt-ne ſub ejus dominio, 106
An qui aliquid accipit à Religioſo, inconſulto Superiore, ad reſtitutionem teneatur, 109. 110
Clerici tenentur ad reſtitutionem, ſi bona Eccleſiaſtica in uſus ſuperfluos impenderint, 119. *& ſeq.*
Accipiens Parrochiam ſine animo ſuſcipiendi Sacerdotium intrà annum, obligatur-ne ad reſtitutionem, 126
In dubio an aliquis teneatur ad reſtitutionem, tenetur-ne reſtituere, 128
Cui facienda eſt reſtitutio, 167. *& ſeq.*
Accepta ob turpem cauſam, an & cui reſtituenda, 171. *& ſeq.*
Tenentur-ne reſtituere Judices, qui aliquid accipiunt ad ferendam ſententiam injuſtam, 173
Qui aliquid accepit, ſive ut abſtineret ab opere malo, ſive ut fungeretur officio, an reſtitutioni obnoxius, 174
Quid, ſi opus vel omiſſio non ſit quid debitum ex juſtitiâ, *ibid.* *&* 175
Quo ordine facienda eſt reſtitutio, 175
Debita incerta ſunt-ne jure naturali reſtituenda pauperibus vel Eccleſiæ, 176
Creditor, qui à debitore ſponte offerente accepit integram ſolutionem priorum debitorum perſonalium, tenetur ne reſtituere, 179
Quo loco, quibuſve impenſis reſtitutio eſt facienda, *ibid.*
Poteſt-ne differri reſtitutio, cùm fieri nequit abſque magnis ſumptibus, 180
Remiſſio creditoris excuſat-ne à reſtitutione, 181

Judex delegatus alia præter moderatas expenſas à partibus accipiens reſtituere tenetur, *ibid.*
Item inquiſitores prætextu inquiſitionis pecunias extorquentes, *ibid.*
Ceſſio bonorum liberat-ne debitorem à reſtitutione, 183
Qui alteri bonâ fide & prudenter rem reſtituendam commiſit, liberatur-ne ab obligatione reſtituendi, ſi ad dominum non pervenerit, *ibid.*
Debitor ingrediens Religionem excuſatur-ne à reſtitutione, 184
An, & quando teneatur ad reſtitutionem, qui aliquem inducit in peccatum, aut avertit à propoſito ſanctioris vitæ, 185. *& ſeq.*
Quandonam, & quid reſtituere debet adulter, 188. homicida 290. detractor, & qui illum audit, 200. *& ſeq.*
Quomodo reſtituenda eſt fama, 202
An qui per pauca furta magnam ſummam abſtulit, teneatur reſtituere ſub pœnâ peccati mortalis, 208
An teneatur reſtituere, qui rem ſuam ſibi propriâ auctoritate vindicat, 208
Qui rem emit à fure, tenetur-ne eam reſtituere domino comparenti, 210. *& ſeq.*
Qui rem alienam vili pretio vendidit, quàm dominus erat venditurus ſummo, teneturne ſummum pretium reſtituere, 213
An Beneficiarius, qui non implet officia ſui Beneficii, teneatur ad reſtitutionem, 240
Vid. *Beneficiarius*, *Hora Canonica*, &c.
Qui non implet modum in contractu appoſitum, obnoxius eſt reſtitutioni, 236. 241
Qui vendit aut emit extrà latitudinem juſti pretii, ad reſtituendum tenetur, 287

Qui vinum aquâ miſcent, reſtitutioni ſunt obnoxii, 297
Qui vendit rem notabiliter vitioſam, tenetur-ne reſtituere, 298
Qui furi panem vendit, tenetur-ne pecuniam reſtituere, 299
Qui monopolium exercent, obligantur-ne ad reſtituendum, 304
Quomodò fieri debet reſtitutio propter monopolium, 305
Lucrum uſurarium reſtituendum eſt, 315. *& ſeq.*
Tenetur-ne ad reſtituendum qui aliquid accipit à mutuatario propter damnum emergens, 320. *& ſeq.*
Tenetur-ne luſor reſtituere lucrum ex ludo perceptum, 384
An & quo jure reſtitui debeant ſimoniacè data & accepta, 601. 647. *& ſeq.* Vid. *Simonia.*

Retractus gentilitius, quid ſit, 301
Peccat-ne contra juſtitiam, qui fraudibus impedit quominus fiat, 301. 302
Terminus præfixus eſt retractui gentilitio, 301
Quibus in contractibus vel rebus locum habeat retractus gentilitius, *ibid.*
Quare jus illud conceſſum eſt conſanguineis, *ibid.*
Poteſt-ne extraneo vendi, aut cedi, 302
Si res viliori pretio ſit vendita, poteſt-ne conſanguineus illam retrahere ſine animo eam retinendi, *ibid.*

S

S*Acramenta* ſummum inter res ſacras locum obtinent, 600

Sacramentorum uſus, unus ex primariis Religionis actibus, 396
Sacrificium, item actus Religionis ejuſdem generis, *ibid.*
Sacrilegium, quid ſit, & quotuplex, 597
Quotuplici modo violatur perſona ſacra, vel locus ſacer, 598
Quale peccatum eſt ſacrilegium, 599
Tres ſacrilegii ſpecies continent-ne ſingulæ malitiam ſpecie diſtinctam, & in ſacramentali confeſſione exprimendam, *ibid.*
Sunt-ne diverſi gradus malitiæ in eâdem ſpecie ſacrilegii, *ibid.*
Sacrilegium contra Euchariſtiam, quare omnium graviſſimum, 600
Sanctitas, duo ad ſanctitatem requiſita, 393
Quænam ſancta dicuntur, *ibid.*
Satisfactio, in quo differt à reſtitutione, 136
Servitus, eſt jus quod quis habet in re alienâ, ut ſerviat ſibi, 44
Quotuplex eſt, *ibid.*
Servitus realis duplicis generis, 45
Servitutes urbanæ, aliæ negativæ, aliæ affirmativæ, *ibid.*
Servitutis ruſticæ ſpecies, *ibid.*
Quomodò conſtituitur ſervitus, ac finitur, *ibid.*
Servitus eſt ne contra naturam, 57
Servus, duplici modo poteſt aliquis fieri ſervus, propriâ ſcilicet voluntate, & neceſſitate juſtâ, *ibid.*
Quot modis voluntate propriâ, vel neceſſitate juſtâ poteſt aliquis fieri ſervus, *ibid.*
Chriſtiani poſſunt-ne eſſe ſervi, 58
Quandonam licet ſervis fugere, 58. 59
Quarum rerum ſervus habet dominium, 106
Silvarum cuſtodes ad quid tenentur, ſi non in-

pediant aut manifeſtent damnificatores, 166
Quid ſentiendum de pauperibus, qui ligna cedunt in ſylvis privatorum, 65
Simonia, illius definitio explicatur, 600. *& ſeq.*
Poteſt-ne dari ſimonia materialis tantùm, & quæ non ſit peccatum, 601. 654
Ad ſimoniam requiritur-ne venditio ſtrictè ſumpta, 602
Simonia eſt-ne hæreſis, 607. 617
Simonia reprobata eſt jure tùm divino, tùm Eccleſiaſtico, 608
Vitatur-ne ſimonia per mentis directionem, 610. 617
Quomodò dignoſci poſſit intentio ſimoniaca, 610. *& ſeq.*
Simoniaca ſunt-ne omnia pacta pro ſpiritalibus, 611. 644. 663. 665
Cavenda eſt ſimonia etiam in oblationibus ſponte factis, vel à Superiore taxatis, 613
Id in ſpiritualibus eſt ſimonia, quod in temporalibus uſura, 614. 651
Simonia minùs ex errore procedit, quàm ex cupiditate, 617
Annatæ, & penſiones ſunt-ne Simoniacæ, *ibid. & ſeq.*
Poteſt-ne ſimonia cadere in ſummum Pontificem, 637. 638
Quibus in caſibus ſimonia aliena ignoranti & contradicenti non nocet, 659
Potuit-ne ſimonia locum habere in lege naturæ, & ſcriptâ, 637
Quale peccatum eſt ſimonia, 646
An, & quando ad reſtitutionem obliget, 647. 649. *& ſeq.*
Simonia, niſi ſit realis, & in ingreſſu religionis, vel Ordinatione, vel Beneficio, non

inducit pœnas contra ſimoniacos latas, 654. 655
Quandonam ſimoniaca ſit omiſſio actionis ſacræ, 626. & ſeq.
Simonia juris naturalis & divini; quid ſit, 637
Vendere collationem Ordinum, Sacramentorum, uſum poteſtatis ſpiritualis, Euchariſtiam, Sanctorum reliquias, jus patronatûs, conſecrationes ſeu benedictiones, eſt ſimonia juris divini, 638. 645
Simonia, quæ committitur in ingreſſu Religionis, & in Beneficiis, eſt-ne juris divini, 638. & ſeq.
Penſio omnes Beneficii fructus excedens, ſimoniaca eſt contra jus divinum, 666
Simoniam contra jus divinum committit, qui permutat principaliter propter commodum temporale, 664
Simoniacus eſt jure divino, qui per munus acceptum movetur ad favendum uni ex concurrentibus ad Beneficia præ aliis, 643
Simonia contra jus divinum purgari nequit etiam à ſummo Pontifice, 644. 645
Contractus ſimoniacus jure divino, eodem jure irritus eſt, 648
Simonia juris Eccleſiaſtici, quid ſit, 641
An ſit per ſe mala, 642. 645
An vera ſimonia, 642
Quotuplex ſit, 643
Simoniam contra jus Eccleſiaſticum committit, qui vendit materiam chriſmatis, 642. 643
Officia Sacriſtæ, Oeconomi, Vicedomini, Advocati, &c. poſſunt-ne vendi abſque ſimoniâ juris Eccleſiaſtici, 643. 670
Epiſcopus pro ordinatione, vel Examinatores à concurrentibus ad beneficia aliquid

titulo neceſſariæ ſuſtentationis accipientes, ſunt-ne ſimoniaci jure Eccleſiaſtico, 643
Poteſt-ne abſque eâdem ſimoniâ vendi locus ſepulturæ, 642. 643. 645
Eſt-ne ſimoniaca contra jus Eccleſiaſticum conſuetudo eum ſemper nominandi ad Beneficium, qui deſignatus fuerit à reſignante, 645
Simonia mentalis, qui ſit, 614. 633. *& ſeq.*
Qui eo fine ad Eccleſiam pergit, ut diſtributiones lucretur, eſt-ne reus ſimoniæ mentalis, 608. *& ſeq.* 615. 616. 634
Qui ut ad Beneficium eligatur, munera offert Patrono pravæ illius intentionis inſcio, ſimoniam mentalem committit, 634
Simonia mentalis obligat-ne ad reſtitutionem, 650. *& ſeq.* 664
Comparanda eſt ſimonia mentalis cum uſurâ mentali, 651
Quo jure ſimonia mentalis obliget ad reſtituendum, *ibid.*
Qui non reſignat Titio, niſi quia patrem ejus liberalem expertus eſt, committit-ne ſimoniam mentalem, 605. 662
Simonia mentalis non inducit pœnas contra ſimoniacos latas, 651
Simonia conventionalis, quid ſit, & quotuplex, 634
Omnis conventio in materiâ Beneficiali eſt ſimoniaca, 611. 644. 663. 665
Qui reſignat aut permutat Beneficium eâ conditione, quod reſignatarius aut compermutarius aliud Beneficium, quod poſſidet, dimiſſurus ſit in favorem tertii, reus eſt ſimoniæ conventionalis, 635. 636. 664. 665
Simoniam conventionalem committit præſentans vel conferens, qui confidit, quòd pro-

movendus promiſſum temporale refundet in renumerationem, 636
Qui largitur munera amico, ut invigilet quando vacaturum aliquod Beneficium, & pro ſe illud petat, ſimoniæ conventionalis reus eſt, 669
Simonia conventionalis inducit-ne obligationem reſtituendi, 649. *& ſeq.* an etiam cenſuras, 654
Simonia confidentialis, quid ſit, 634
Nulla eſt ſimonia confidentialis ſine aliquo pacto expreſſo vel tacito, 635
Ad eam requiritur, ut Beneficium traditum ſit, *ibid.*
Non habet locum, niſi in Beneficiis, *ibid.*
Eſt-ne confidentiarius, qui conſentit ut Beneficio ſuo imponatur penſio in alium poſtmodum transferenda, *ibid.*
Quot modis committi poteſt ſimonia confidentialis, *ibid. &* 636
Quænam confidentia ſit ſolummodò juris Eccleſiaſtici, 642
Præſentans vel conferens, confidentes quòd promovendus fructus Beneficii in remunerationem refundet, rei ſunt ſimoniæ confidentialis, 636
Fiduciarium eſt pactum non adeundi poſſeſſionem Beneficii reſignati, 668
Per ſimoniam confidentialem acquiſita jure naturali ſunt reſtituenda, 649
Quaſnam pœnas incurrunt confidentiarii, & eorum mediatores, 637
Ut incurrantur pœnæ illæ, debet conventio ſaltem ex unâ parte eſſe impleta, 635
An præſcribi poſſit contra ſimoniam confidentialem, 636
Simonia realis, quid ſit, 634

Simonia realis non inducit pœnas ſimoniacorum, niſi ſit in materiâ Beneficiali, vel in Ordinatione, vel in ingreſſu Religionis, 654. 655

An omnis ſimonia realis ad reſtituendum obliget, & quo jure, 649. *& ſeq.*

An ſimonia debeat eſſe realis, ut cenſuras inducat, 654. 655

Qui Beneficium conſecutus eſt ope amici, cui munera largitus fuerat, ut invigilaret quando vacaret, & pro ſe peteret illud Beneficium, reus eſt ſimoniæ realis, 669

Simonia in ingreſſu Religionis, eſt-ne vetita jure divino, 638

Reditus Monaſterii ita ſunt connexi profeſſioni Religioſæ, ut ſine eâ vendi nequeant, 605. 607

Nulla res etiam ad uſum Eccleſiaſticum deſtinata, exigi poteſt pro ingreſſu Religionis, 611. 641

Qui aliquid largitur pro ingreſſu Religionis, poteſt-ne excuſari prætextu injuſtæ vexationis, 623

An peccent contra juſtitiam Monaſteria opulenta cùm idoneos rejiciunt, niſi aliquid largiantur, 640

Monaſteria quæ indigent, poſſunt-ne aliquid accipere à profitentibus, 639

Quâ plectuntur pœnâ, qui ſimoniam realem circa ingreſſum Religionis commiſerunt, 655

Simonia in ordinatione, quo jure ſit prohibita, 638

Nullum jus tribuit ad miniſteria ſacra obeunda, 601. 657

Ordinatus, cujus in ordinatione ſimonia

commiſſa eſt ipſo ignorante, indiget Epiſcopi diſpenſatione, 601
Quandonam ſimoniaca ſint munera Ordinatori data, 603. & ſeq.
Nihil, etiam ſpontè oblatum, accipi debet ab Epiſcopo vel ejus Miniſtris pro Ordinatione, 611. 643
Qui pecuniâ corruptus alicui denegat Ordines, eſt-ne ſimoniacus, 627
Quibus pœnis plectuntur ſimoniaci ordinantes, 657. Ordinati, *ibid.* & eorum mediatores, 658
Ordinatus ſimoniacè, ſi in Ordine ſic ſuſcepto miniſtraverit, fit irregularis, etiamſi ſimonia nondum ſit realis, 657
Cenſentur-ne mediatores ſimoniacæ ordinationis, qui pro ſigillo, vel litteris dimiſſoriis aliquid exigunt, 611. 657. 658. 669
Simonia in Beneficiis, etiam ſimplicibus, quo jure ſit prohibita, 638. & ſeq.
Reddit collationem nullam, etiamſi fuerit ſolummodò materialis, 601. 659
Simoniacus eſt qui dat Canonicatum, ut promotus faciat in domo ſuâ quæ ſunt Capellani, 602
Item qui efficit apud Patronum, ut aliquis ad beneficium nominetur; ut nominatus penſionem ſibi debitam extinguat, *ibid.*
Eligendo ſuffragari, ut viciſſim electus ad aliud officium ſibi ſuffragetur, ſimoniacum eſt, *ibid.*
Proventus temporales ita connexi ſunt officio Beneficiarii, ut ſine eo vendi nequeant, 605. 638. & ſeq.
Poſſunt-ne arbitri ad ſopiendam litem abſque ſimoniâ ſtatuere, ut unus litigantium

Beneficium poſſideat, alter verò penſionem à poſſeſſore accipiat, 621
Idem jus competit-ne ipſis etiam litigantibus, 622
Eſt-ne ſimoniacus, qui ſolvit pecuniæ ſummam, ne vexetur in Beneficii poſſeſſione, *ibid. & ſeq.*
Redimi non poteſt vexatio, niſi ſit evidenter injuſta, 623
Simoniacus eſt qui dat pecuniam alteri, ne pro alio apud patronum intercedat, vel ne ei manifeſtet occultum defectum, *ibid. & 627*
Item qui digniori munus daret, ne ad concurſum cum aliis conveniret, *623. 627*
Qui falſis criminationibus impetitur apud collatorem, vel per vim detinetur, ne ad concurſum conveniat, poteſt-ne redimere injuſtam vexationem, 623
Licet-ne ad poſſeſſionem Beneficii ineundam pecuniam juxta antiquum morem dare Canonicis & Cantoribus, *624 & ſeq.*
Eſt-ne ſimoniacum accipere pecuniam ad denegandum alicui digno Beneficium, 627
Omnis pactio in materiâ Beneficiali ſimoniaca eſt, niſi purgetur à ſummo Pontifice, *611. 644. 663. 665*
Quas pœnas incurrunt ſimoniaci in Beneficio, *658. 659*
Non incurruntur, niſi ſimonia ſit ex utraque parte completa, 654
Quis diſpenſare poteſt cum ſimoniacè proviſo, ut idem Beneficium poſſidere poſſit, *659. & ſeq.*
Qui fundat Præbendam eâ conditione, quòd ipſi conferetur, eſt-ne ſimoniacus, 663
Qui Beneficii ſui reditus ex propriis bonis,

auget, ut illud cum majori permutet, eſt ne reus ſimoniæ, 664
Beneficiorum negociationes ſunt-ne ſimoniacæ, 665
Pœna Simoniacorum duplicis ſunt generis, 648
Beneficium per quamcumque ſimoniam etiam materialem acquiſitum, dimittendum eſt, 601. 649. 659
Cenſuræ contra ſimoniacos latæ non incurruntur, niſi ſimonia ſit realis, & in materiâ Beneficiali, vel in ordinatione, vel in ingreſſu Religionis, 654. 655
Quænam ſint pœnæ ſimoniacorum in ingreſſu Religionis, 555. in ordinatione, 657. in Beneficio, 611. 637. 658
Quas pœnas incurrant mediatores ſimoniacorum in ordinatione, 658. in Beneficio, 611. 637.
Tenetur-ne ſimoniacus fiduciarius ante ſententiam Judicis omnia Beneficia & penſiones dimittere, 637
Pretium ſimoniacum, quodnam cenſendum ſit, 603
Licet-ne pecuniam offerre non ut pretium, ſed ut motivum, vel gratuitam compenſationem, 602. & ſeq. 624
Munera quæ præcedunt Beneficium conferendum, ſunt ne ſemper ſimoniaca, 603
Quid de muneribus antidoralibus, 604. 663
Poteſt-ne Beneficiarius munera antidoralia à patre data ipſi reſtituere, 662
An poſſit Beneficium intuitu doni antidoralis conferri, 605. 662
Conſanguinei reſignantis poſſunt-ne exigere munera à reſignatario, 604. 605
Stipendia taxata poſſunt-ne exigi tanquam merces propriè dicta, 608. & ſeq.

Poteſt-ne ex munere accepto conjici ſimonia, 610. & ſeq.
An qui muneribus inducitur ad conferendam rem ſacram, quam negare debet, vel omittendam quam debet, ſit ſimoniacus, 622. 626. & ſeq.
Quid, & quotuplex eſt munus à manu, 629. munus ab obſequio, *ibid.* & munus à linguâ, 630
Preces habent-ne rationem pretii ſimoniaci, 628. 630. & ſeq.
An etiam conſanguinitas, 628. 632. 633
Diſtinguendum eſt inter pretium ſimoniacum & neceſſariam ſuſtentationem, 609
Pretio ex parte ſoluto, & Beneficio collato ſimonia ſit realis, 634
Pretium ſimoniacum quo jure reſtituendum ſit, 648
Cui reſtitui debet pretium ſimoniacum, an ipſis ſimoniacis, 652. & ſeq.
Societas, quid eſt contractus ſocietatis & quotuplex, 333. 334
Quid eſt contractus ſocietatis purus, quidve non purus, 334
Quotuplici modo contractus ſolent admiſceri contractui ſocietatis, *ibid.*
Eſt-ne licitus ſocietatis contractus, 335
Sunt-ne liciti, qui vulgò dicuntur tres contractus, 336
Quomodò dividenda ſocietas, 337
Qui nollet ſocietatem inire, niſi certus eſſet capitale aſſecuratum iri, eſſet-ne uſurarius, *ibid.*
Societas, in quâ omne periculum animalium eſt accipientis, eſt-ne licita, *ibid.*
Solemnitas, duplex in contractibus, 216
An defectus ſolemnitatem irritum reddat

contractum, *ibid.* & 354
Solutio, in quo differat à reſtitutione, 136
Emere infra pretium vulgare, aut legitimum, ob anticipatam ſolutionem, injuſtum eſt & uſurarium, 263. & *ſeq.*
A quo tempore ſumendum eſt pretium rei, quæ anticipatâ ſolutione emitur, *ibid.*
Somnium, an omnis conjectatio ex ſomniis vana ſit & ſuperſtitioſa, 588
Sortes, triplicis generis; conſultoriæ, diviſoriæ, & divinatoriæ, 587. 588
Quænam prohibentur tanquam ſuperſtitioſæ, 588
Extiterunt-ne ſortilegi, 593
Specificatio, quid ſit, 87
Spectacula, ab Eccleſiâ damnata & prohibita, præſertim Clericis, 361. & *ſeq.*
Spes, objectum hujus virtutis, 441
In quo ſpei deſiderium differt à deſiderio charitatis, *ibid.*
An Deus aliquando ſpem omnem ſalutis juſtis auferat, 438. 439
In ſpem contra ſpem credere debet, qui in deſperationem violenter pulſatur, 439
Nemo à ſpe excidere poteſt, quin à charitate etiam excidat, *ibid.*
An ſpe mercedis æternæ bonis operibus incumbere liceat, 440
Spirituale pro temporali vendere vel commutare, quale peccatum, 600. 646
Sponſio ex ludo, 384. & *ſeq.*
Sponſor poteſt-ne aliquid accipere pro obligatione, quâ ſe aſtringit ad ſolvendum nomina aliena, 326
Stabularii, ex quâ culpâ reſtituere tenentur, 155
Stipulatio, cedendi fructus Beneficii accepti, ſimonia eſt confidentialis, 635

Stipulatio

Stipulatio omnis verita eſt, ubi de Beneficiis agitur, 631. 644. 663. 665

Stuprum, ad quid obligat conſtupratorem, 185 *& ſeq.*

Qui virgini à ſe deceptæ matrimonium etiam fictè promiſit, tenetur ne eam ducere, licet aſtrictus voto ingrediendæ Religionis, 186. 187.

Suffragium, quandonam in eo dando juſtitia violatur, hincque oritur obligatio reſtituendi, 161

Qui inter poſtremos rei injuſtæ ſuffragatus eſt, tenetur-ne reſtituere, *ibid.*

Sibi invicem ſuffragari ex pacto ad aliquod officium vel Beneficium Eccleſiaſticum eſt-ne ſimoniacum, 602

Superficies, quis acquirendi dominii modus, 44

Quodnam jus competat ſuperficiario, *ibid.*

Superfluum, pauperibus debitum, 117. 121. 127. 128.

Superior, quandonam violat juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur, 15

Superior Eccleſiaſticus poteſt ſine injuſtitiâ ex multis dignis eligere quos voluerit ad Beneficia, *ibid.*

Superior Regularis non habet poteſtatem concedendi ſuperflua ſuis Religioſis, 109

Nihil poteſt præter aut contra quod jura ipſi concedunt, 110

Ipſius facultas requiritur ut Religioſus inferior retinere, dare, vel mutuare aliquid poſſit, 309. 110

Superiores Religioſorum poſſunt irritare omnia ſubditorum vota, excepto voto ſtrictioris Religionis, 529

An, ut id agere poſſint cauſa aliqua requiritur, 534

Habent-ne eandem poteſtatem circà vota Novitiorum, 526
Superior Regularis nomine Dei acceptat vota ſolemnia, quæ fiunt in profeſſione Religionis, 505
Superſtitio, unde ſic dicta, & in quo conſiſtat, 185
Quotuplex eſt, *ibid.*
Quandonam ſit peccatum veniale duntaxat, 586
Varia ſuperſtitionis exempla, *ibid. & ſeq.*
Suſtentatio, accipiant Miniſtri ſacri ſuſtentationem neceſſitatis à populo: mercedem diſpenſationis à Domino, 131. 609. *& ſeq.*
Sacris Miniſtris cavendum eſt, ne ſuſtentationis neceſſariæ prætextus ſimoniacam intentionem contegat, 612. 613. *& ſeq.*
Nec Epiſcopus pro ordinatione, nec examinatores à concurrentibus ad Beneficia aliquid accipere poſſunt titulo honeſtæ ſuſtentationis, 643
Syderum, obſervantia duplex, 588. an licita, *ibid.*

T

Talionis pœna à Chriſto ſublata, 14
Temperantiæ objectum & finis, 6. 7. 9. 356. 358
Quid præſcribit in uſu alimentorum, 368
Et ludorum, 365. *& ſeq.*
Temporale, quot modis poteſt eſſe annexum ſpirituali, 606
Intentio commutandi ſpirituale pro temporali, eſt ipſamet ſimonia, 602
Temporale antecedènter annexum ſpiritali licitè vendi poteſt, 606. modò non augeatur pretium ratione ſpiritalis annexi, *ibid. &* 668.

Concominanter annexum etiam licitè vendi poteſt ſi ſit extrinſecum, 606. ſecus verò, ſi intrinſecum, 607
Conſequenter annexum nunquam vendi poteſt, 605. & ſeq.
An temporalia poſſint decenter à Deo peti in Oratione, 448. & ſeq.
Ea Deus nonnunquam quibuſdam denegat propitius, aliis concedit iratus, 452
Poſſunt ne temporalia appeti tanquam finis ſecundarius actionis ſacræ, 614
Tentatio Dei, quale peccatum, 596. 597
A Deo miraculum expetere, cùm neceſſitas urget, eſt-ne tentatio Dei, 597
Tentat Deum, qui ante orationem non præparat animam ſuam, 407. 408. 596
Deus non patitur nos tentari ſuprà id quod poſſumus, 439
Teſtamentum, illius definitio, 346
In eo heredis inſtitutio eſſet abuſiva in Galliis, *ibid.*
In quo differat teſtamentum à codicillo, *ibid.*
Teſtamentum olographum quid ſit, 350
Eſt-ne ſolemnitas aliqua in teſtamentis obſervanda, *ibid.*
Teſtamentum ſine præſcriptâ ſolemnitate confectum, eſt ne irritum in foro tum exteriori, tum interiori, adeò ut heredes legata ſolvere non teneantur, 351. & ſeq.
Teſtamenta ex moribus noſtris, & Regiorum Judicum arbitrio tota pendent, 354
Licet-ne Beneficiariis teſtari de iis, quæ ex bonis Eccleſiæ acquiſierunt, 117. 127
Teſtis, quot teſtes requirantur, ut validum ſit teſtamentum, 350
Teſtis, qui non aperit veritatem, tenetur-ne reparare damnum ex ſilentio ſuo ſecutum, 167

Theſauri definitio, 71
Cujus eſt theſaurus inventus in proprio fundo, *ibid.* vel in alieno, *ibid.* & 73
Si theſaurus inveniatur ab eo, qui habet tantum uſumfructum fundi, ad quem pertinet, 72
Si quis emat agrum, in quo theſaurus ſit reconditus, cujus erit theſaurus, *ibid.*
Theſaurus in cœmeterio vel in Eccleſiâ repertus ad quem pertinet, 73
Uſus Galliæ circà theſauros, *ibid.*
Titulus, radix dominii, 35. 37
Quotuplex eſt titulus, 37. 38
Quis titulus requiritur ad præſcriptionem, 75. 77. 78
An requiratur titulus ad præſcriptionem longiſſimi temporis, 78. 83
Titulus coloratus ſufficit cum triennali poſſeſſione ad præſcribendum Beneficium, 85
Traditio, an requiratur ad dominium, 35. 36
An etiam in venditione, 281
Tutelæ definitio, 227
Ad eam ſuſcipiendam cogi poſſunt conſanguinei, *ibid.*
Clerici tutelâ onerari non debent, præterquam perſonarum miſerabilium, *ibid.*
Quandonam finitur tutela, *ibid.*
Tutor, quid ſit, quibus dandus ſit, *ibid.*
In quo differat à curatore, *ibid.*
Non valet auctoritas tutoris per metum extorta, 225
Tutor non poteſt contrahere cum pupillo, 226
Quandonam requiratur auctoritas tutoris, ut pupillus validè contrahere poſſit, 228
Tutores poſſunt-ne pecunias pupillorum dare ad uſuras, 314. & *ſeq.*

Tenetur-ne tutor reſtituere lucrum uſurarium, quod percepit pupillus, 318. 330
Tutor poteſt-ne vota pupilli irritare, 527
An etiam vota puberis, quæ impubes emiſerat, 529

V.

V*Enæ* auri & argenti an ſint occupantis, 64
Venatio, à quibus prohiberi poteſt, 61
Quibus potiſſimum perſonis venatio eſt interdicta, *ibid.*
An Monachi, qui jus venandi habent, per alios venari poſſint, 62
Canones Clericis venationem prohibentes obligant ne hodiè, etiam ſub mortali, *ibid.*
Quibus venatio eſt prohibita, 63
Venditio, definitio illius, 281
Pro merce accipere pecuniam cum aliâ merce, eſt-ne venditio, *ibid.*
Ad venditionem requiritur-ne traditio, *ibid.*
Conſenſus abſolutus venditioni neceſſarius eſt, 281. 282
Res vendita, & nondum tradita, cui perit aut fructificât, 282
Poteſt-ne quis cogi ad rem ſuam vendendam, 283
An licitum ſit vendere cum pacto retro vendendi, *ibid.*
Quid de venditione factâ cum pacto redimendi in gratiam emptoris, *ibid.*
Licet ne vendere majori pretio ad certum tempus ſolvendo, & ſtatim præſente pecuniâ minori pretio recipere, 284
Quomodò eſtimandum eſt pretium rerum venalium, 285
Unde augetur aut minuitur rei venalis pretium, *ibid.*

Venditorum indigentia vel infortunium poteſt-ne efficere, ut res ſit cariùs vendenda, 286
Qui in advehendis mercibus majores ſumptus fecit, poteſt-ne eas pluris vendere, *ibid.*
Quodnam eſt juſtum vel injuſtum rei venalis pretium, *ibid.*
An res tantùm valet; quantùm vendi poteſt, *ibid.*
Venditio eſt nulla infrà dimidium juſti pretii, 287. 291
Injuſtum eſt vendere ſupra pretium à Magiſtratu taxatum, 287. 288. niſi mercis valor notabiliter alias merces excedat, 292
Venditor remittere debet de pretio legitimo, cùm in mercibus ſuis magnus eſt defectus, 292
Qui minoris emit, poteſt-ne abſque injuſtitiâ pluris vendere, 288
Quæ venduntur ſub haſtâ poſſunt-ne minoris emi, quam valeant, 287. 288. *& ſeq.*
Cùm merces uno in loco venduntur, & deportandæ ſunt in alium, cujus loci pretium ſumendum eſt, 292
An à tempore venditionis, vel à tempore traditionis rei pretium ſumendum eſt, 293
Licet-ne vendere fide emptoris ſuprà juſtum pretium, *ibid.*
Quanti vendendus eſt cenſus annuus quatuor aureorum ex centum aureis contractu conſignativo donantis, 290
An poſſit emi viliori pretio ab eo, qui vendit neceſſitate compulſus, 495
Qui alterius nomine vendit, debet-ne totum pretium rei venditæ domino dare, 296
Tenetur-ne venditor vitium mercis manifeſtare, *ibid.*

Ad quid tenetur qui vendidit rem noxiam aut inutilem ad effectum, propter quem empta eſt, 298
Tenetur-ne emptor monere venditorem, qui mercem offert pretioſiorem, quàm putet, *ibid.*
Poteſt-ne vendi res aliena, *ibid. & ſeq.*
Dominus rei venditæ poteſt eam ſibi vindicare ubicunque reperta fuerit, 298
Venditor manet obligatus ut rem faciat emptoris, *ibid.*
Venditori acquiritur dominium pretii rei alienæ, quam vendidit, *ibid.*
Poſſunt-ne vendi burſæ Collegiorum, 300
Si res pluribus ſit vendita, cui tradi debet, 300. 301.
Licet-ne vendere pretio per monopolium conſtituto, 305
Veritas, conditio omninò requiſita in juramentis, 552
Quotuplici modo juratur contra veritatem, *ibid.*
Vexatio in Beneficiis triplex, 623
Quænam redimi poſſit, *ibid.*
Vicarius generalis, an poſſit idem in votis reſervatis, quod Epiſcopus, 543
Vindicta, privatis vetita, ſolique Superiori commiſſa, 13. 14
Vindicativa juſtitia quid ſit, 13
Ad juſtitiam diſtributivam revocanda eſt, 14
Vinum miſcere aquâ, vel aliis rebus noxiis peccatum ad reſtitutionem obligans, 297. 298
Vir & uxor, inter ſe conſiderantur, 103
In quibus rebus jura habent diſtincta, *ibid. & ſeq.* Vid. *Conjuges*, *Maritus*, *Uxor*.
Virtus, quare virtutum omnium collectio juſti-

tia dicitur, & quævis virtus pats juſtitiæ, 2
Unus aut alter virtutis actus non facit virtuoſum, 3
In quo differt habitus virtuoſus à ceteris, ibid
Quodnam eſt diſcrimen inter virtutem moralem & Theologicam, 4. & 390
Virtutes inter morales quænam magis accedant ad Theologicas, 392
In practicis non tàm attenditur excellentia virtutis, quam ejus exercendæ neceſſitas, 395
Vita æterna, petenda imprimis à Deo in Oratione, 444
Vitæ æternæ deſiderium in nobis continuum eſſe debet, 464
Vid. *Deſiderium.*
Vita hominis, Dei ſolius dominio ſubjacet, 55
Vitium mercis, an & quando detegendum, 296 & *ſeq.*
Quid pro vitio mercis reſtitui debet, *ibid.*
Voluntas humana divinæ ſubjacere debet, 431
Qui ſecundùm voluntatem ſuam vivit, tantò eſt miſerior, quantò faciliùs propria ejus voluntas impletur, 432
Voluntas Dei diligentibus ſe, fons omnium bonorum, 433
Quo ſenſu oramus, ut Dei voluntas fiat, 433. 434
Voluntas Dei ad hoc præſertim tendit, ut ſanctitatem ejus agnoſcamus, & cum ipſo regnemus, 445
Votum, definitio illius explicatur, 492. & *ſeq.*
Irritum eſt votum ex errore procedens, 493
Votum ſoli Deo fieri poteſt, *ibid.*
Regula, quam ſequentur Confeſſarii, ad explorandum num pœnitentes ſint reverà

voto aſtricti, 494
Ad votum non ſufficit propoſitum, *ibid.*
Quando ex verbis voventis colligi non poteſt ejus intentio, quomodò judicari debet, 495
Ad votum major deliberatio non requiritur, quàm ad peccatum mortale, *ibid.*
Vis & metus irritant-ne votum, 496
Conditiones, quarum defectu votum non ligat, *ibid.*
Qui vovit rem indifferentem, tenetur-ne voto, ſi res illa poſtmodum bona evadat, 497
Vota nubendi, vel nunquam peccandi ſunt-ne valida, *ibid.*
An qui totum implere nequit; ad partem quam poteſt teneatur, *ibid. & ſeq.*
Religionis vota an collectivè, an diviſim concipiuntur, 498
Duplex regula ad interpretandum votum, 499
Sacerdos ex voto celebrans non poteſt ſtipendium accipere, *ibid.*
Quotuplex eſt votum, *ibid.*
Quid eſt votum perſonale, *ibid.*
Quid reale, 502
Realis, non item perſonalis voti obligatio tranſit ad heredes, 500. *& ſeq.*
Quid eſt votum mixtum, 502
Vota jejunandi, quæ in quibuſdam civitatibus extant, obligant-ne vi voti, *ibid.*
Quotuplex eſt votum perſonale, 503
In quo præcisè conſiſtat voti ſolemnitas, illiuſque diſtinctio à voto ſimplici, *ibid. & ſeq.*
Quid de primis votis in Societate Jeſu emiſſis, *ibid.*
Quis habet poteſtatem acceptandi vota ſolemnia,

Votum ſolemne perfectius eſt ſimplici, *ibid.*
Peccatum contra votum ſolemne gravius eſt, quàm contra votum ſimplex, ceteris paribus, *ibid.*
Aliæ voti diviſiones, 506
Novatorum error circa vota, *ibid.*
Votum eſt actus honeſtus, ſtatui legis Evangelicæ admodum conveniens, 507
Actus eſt Religioſus, & ad cultum Dei pertinens, 509
Opus ex voto factum melius eſt ceteris paribus, 511
Votum & juramentum ad Religionem diverſimodè pertinent, 513
An votum minuat libertatem & meritum, 514. 515
Obligatio ſervandi voti non magis exponit peccati periculo, quàm obligatio parendi præcepto & legi, 516
Quid cavendum, antequam privatus aſtringat ſe voto, præſertim perpetuo, 517
An & quantùm votum obliget, *ibid.& ſeq.*
Omnis violatio voti eſt-ne ſacrilegium, & peccatum mortale, 518. 519
Quandonam implendum eſt votum, 519. 520
Quid, ſi ex impotentiâ, vel negligentiâ votum non reddatur definito tempore, *ibid.*
Quando mutatio fit in materiâ voti, ad quid tenetur vovens, 520. 521
Quinam voto obligari poſſunt, 521
Impuberes voto ſimplici poſſunt-ne aſtringi, *ibid.*
Vota ſolemnia ante annum decimum ſextum emiſſa irrita ſunt, 522
Religioſus poteſt-ne aliquid vovere, *ibid.*
Ne temerè voveat, Superiorem conſulere debet, *ibid.*

Si contradicat Superior, voto non ligatur, *ibid.*
Omnia Religioſi vota per profeſſionem extinguuntur, 523
Servi & conjuges voti obligationem poſſuntne contrahere, *ibid.*
Utrùm & quibus modis tolli poſſit voti obligatio, *ibid.*
Quare obligatio voti tollitur, non impletâ conditione, *ibid.*
Quid ſi per dolum, fraudem, vel minas voventis non impleatur conditio, 524
Quæ vota irritari poſſunt, *ibid.*
An Superiores Religioſorum poſſint omnia ſubditorum, etiam Novitiorum vota irritare, 525. 526
An idem poſſit ſummus Pontifex, 526
Pater irritare poteſt omnia vota filiorum impuberum, 526
Non poteſt directè irritare vota perſonalia puberum, 527
Quodnam ſit diſcrimen inter irritationem voti directam & indirectam, 528
An pater poſſit indirectè irritare vota filiorum puberum, quæ nullum ipſi præjudicium afferunt, *ibid.*
Poteſt-ne irritare vota perſonalia, quæ filius ante pubertatem emiſerat, 529
Extenditur-ne illa poteſtas ad tutorem, 527. 529
Si pater ſemel conſenſerit in votum filii impuberis, poteſt-ne illud irritare, 529
Domini poſſunt-ne irritare vota ſervorum, 530
Conjuges poſſunt-ne mutuò vota ſua irritare, *ibid.*
Quid ſi alter conjugum non voverit qui-

dem, ſed alterius voto continentiæ conſenſerit, poterit ne conſenſum revocare, 531
Eſt-ne neceſſaria cauſa, ut Superior ſubditi votum irritare poſſit, vel in eo diſpenſare, 535
Quodnam ſit diſcrimen diſpenſationem inter & irritationem voti, *ibid.*
Exiſtit-ne in Eccleſiâ circa vota diſpenſandi poteſtas, *ibid. & ſeq.*
Quinam in votis diſpenſare poſſunt, 537
Summus Pontifex poteſt-ne diſpenſare in votis ſolemnibus, *ibid. & ſeq.*
Quænam ſunt vota ſummo Pontifici reſervata, 538
Omne caſtitatis votum eſt ne reſervatum, 539
Poteſt ne aliquando Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis, & ceteris ſummo Pontifici reſervatis, 539. 540
Vicarius Generalis poteſt-ne idem in votis reſervatis quod ipſe Epiſcopus, 540
Licet-ne commutare votum ſine Superioris auctoritate, 541
Quinam vota commutare poſſunt, 542
Mutato ſemel voto reſervato in materiam non reſervatam poteſt-ne quilibet Confeſſarius in illâ materiâ diſpenſare, vel illam commutare, *ibid.*
Licet-ne illi cujus votum commutatum eſt, ad prius redire, *ibid.*
Requiritur-ne cauſa ad voti commutationem, *ibid.*
Quid obſervare debet Confeſſarius, ſi quando delegetur ei facultas diſpenſandi in votis, aut ea commutandi, ut tempore Jubilæi, *ibid.*
Confeſſarius, elapſo Jubilæi tempore, po-

teſt ne commutare votum illius, qui omnia præſtitit ad lucrandam indulgentiam, 543

Unde votum ſolemne paupertatis vim illam habet, ut vovens reddatur incapax omnis dominii & juris temporalis, cenſeaturque civiliter mortuus, 111

Uſucapio, an differat à præſcriptione, 74

Uſura, eſt omne lucrum ex mutuo immediatè proveniens, 310

Qui pro mutuo exigit benevolentiam mutuatarii, vel ab eo petit, ut hîc & nunc remutuet, eſt ne uſurarius, 311

Qui ſupra pretium rigoroſum vendit, eſt-ne uſurarius, *ibid.*

Contractus mutui totus eſt in gratiam mutuatarii, *ibid.*

An poſſit aliquis excuſari ab uſurâ dicendo ſe non ſolùm uſum pecuniæ mutuatæ, ſed etiam dominium transferre, 42

Uſura prohibita eſt etiam tutoribus jure naturali, 312. Divino, 314. Canonico, 316. & Civili, 317

Poteſt-ne mutuans aliquid exigere ratione carentiæ pecuniæ, aut periculi, quod in ſe ſuſcipit, 308. 309. 326. 327

Cujus expenſis recipienda eſt res mutuò data, 308

Quomodò æquanda eſt bonis rei reddendæ cum bonitate rei mutuatæ; mutuo dati ſunt, v. g. decem nummi aurei quorum valor poſtea crevit aut decrevit, 309

Licet-ne mutuanti aliquid ultra ſortem exigere ob lucrum ceſſans aut damnum emergens, etiam ante ſententiam Judicis, 319. 320

A quo emptore exigi poſſunt intereſſe, ut vo-

An mutuans,qui ſecundariâ intentione aliquid ultra ſortem ſperaret, uſuram mentalem committeret, 312
Uſura mentalis obligat-ne ad reſtituendum, 329
Quid eſt uſura pactionalis, aut actionalis, 328
Uſura ſortis, & uſura uſuræ, quid, 329
Quotuplex eſt uſura notoria, *ibid.*
Quid eſt uſura notoria notorietate facti vel juris, *ibid.*
Eſt-ne obligatio reſtituendi pro quâcunque uſurâ, *ibid.*
Qui neſciebat illicitam eſſe uſuram, tenetur-ne ad reſtitutionem, 330
Pecuniâ pupilli ad uſuram datâ, quis reſtituere debet; pupillus, an tutor illius, *ibid.*
An heredes uſurarii reſtituere teneantur in ſolidum, *ibid.* & 331
An & quinam cooperatores uſurarii teneantur in defectum illius reſtituere, 331. 332.
Quibus pœnis puniuntur uſurarii, 333
Uſus, quid ſit & quotuplex, 40
An diſtingui poſſit à dominio, vel à proprietate in rebus, quæ unico uſu conſumuntur, 41. 42
Uſusfructus, definitio explicatur, 38. 39
Uſufructuarii jura & onera, 39. 40
Quibus modis uſusfructus acquiritur, 40
Uxor, quæ jura ei competunt, 103. 104
Quandonam furti rea cenſetur, ſubtrahens aliquid ex bonis communibus, 104
Quando verò excuſatur, 105
Uxoris vota quandonam poſſunt à marito irritari, 530. *& ſeq.* Vid. *Conjuges. Votum.*

Finis Indicis.

cant, rei mutuâtæ, *ibid.*
Sententia, quæ illa mutuanti adjudicat, eſt-ne merè pœnalis, 321
Quid cenſendum de eo, qui eâ intentione mutuat, ut lucretur ex mutuo, interveniente auctoritate Judicis, 320
Quot conditiones requiruntur, ut mutuans aliquid accipere poſſit ob lucrum ceſſans, aut damnum emergens, 322. & *ſeq.*
Debet-ne moneri mutuatarius de lucro ceſſante, aut damno emergente, 323. 324
Poteſt-ne tantum exigi lucrum, quantum ſperatur, 323
An lucrum debeat eſſe certum, & ceſſare præcisè ob mutuum, 322
Qui pro pecuniâ, quam mutuat aliam præſto habet, unde negotietur, poteſt-ne obtendere lucrum ceſſans, *ibid.*
Sed quid, ſi Mercator pecuniam ſuam ultrò ſubtrahat negotiationi, ut eam det mutuam, poteſt-ne ultrà ſortem accipere, 323
Item, de eo, qui vellet negotiari, niſi multi mutuum peterent, *ibid.* & 324
Poteſt-ne ſtatim poſt datum mutuum exigi lucrum ceſſans, 324
Poteſt-ne mutuans in proprium commodum convertere fructus pignoris à mutuatario accepti, *ibid.*
Mutuatarii fidejuſſor poteſt-ne aliquid pro fidejuſſione accipere, 325
An excuſentur qui uſuras exigunt eo pretextu quod mutuatarii lucrentur ex mutuo, 307
Licet-ne pecuniam mutuo accipere ſub uſurâ, 327
Quotuplex eſt uſura, 328
Quid ſit uſura aperta, quid palliata, *ibid.*
Uſura realis, quæ? quæ verò mentalis, *ibid.*

VAI 1533R.00

Digitized by Google

Digitized by Google

163
L
4

Digitized by Google

